BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE VITT. EMANUELE
12
9 H
1

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

12 9 · H · 1

VARIA OPVSCVLA MEDICA TH. ERASTI D. MEDICI CELEBERRIMI;

QVAE CVM IPSE STVDIOSIS communicare ſtatuiſſet, morte præuentus, in lucem edere non potuit;

Quorum ſeriem ſequens pagina indicabit.

AD SERENISSIMVM PRINCIPEM FRIDERICVM, Comitem Palatinum ad Rhenum, Bauariæ ducem, ac S. R. Imperij Archidapiferum & Electorem, &c.

Cum indice Rerum & Verborum longe copioſiſſimo.

FRANCOFVRDI
Ad Mœnum, apud Ioannem Wechelum, ſumptibus Iacobi Caſteluitrei ſenioris.

M D XC.

INDEX TITVLORVM
totius operis.

1,	De Medicinæ laudibus oratio.	Pag. 1
2,	Medicinæ methodus breuiſſima.	15
3,	Diſputatio de Saporibus, quatenus hi vtiles ſunt ad perueſtigandas medicamentorum vires, in qua etiam aliæ quædam vtiles ſcitu quæſtiones declarantur.	48
4,	Epiſtola de natura, & ortu lapidis Sabuloſi, qui in Palatinatu ad Rhenum reperitur, ac de vſu eiuſdem.	68
5,	De Vapore diſputatio ad D. Matth. Stoium Medicum.	74
6,	Epiſtola de quibuſdam quæſtionibus ad curationem peſtilentiæ pertinentibus, ad Conradum Geſnerum Medicum Tigurinum.	88
7,	Anatome librorum quinque Comitis Montani.	102
8,	In aliquot primi libri Aphoriſmos prælectiones.	123
9,	In primum & ſecundum Hippocratis prognoſticum prælectiones.	139
10,	Expoſitio primi Aphoriſ. ſect. 5. lib. 6. Epidem. Hippocra. (Morborum naturæ medicatrices.)	174
11.	Varia ad morbos varios conſilia.	182.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI, FRIDERICO, ILLVSTRISS. PRINCIPIS AC DOMINI, DN. LVDOVICI, COMITIS

Palatini ad Rhenum, Bauariæ ducis, ac S. R. Imperii Archidapiferi & Electoris, felicis memoriæ filio, & heredi, Dn. ſuo clementiſſimo,

IESV·BIBL·SEC·COLL·ROM·SOC· IHS

IACOBVS CASTELVITREVS ſenior S. P. D.

CVM iam abhinc triennium, Sereniſſime Princeps Elector, doctiſſimi viri THOMAE ERASTI olim vxorem, mihi matrimonio iunxiſſem, atque adeo eiuſdem ſcripta hereditario iure conſequutus eſſem; nunquam non in animo habui ea typis deſcribenda curare, in communem ſtudioſorum omnium vtilitatem. Ad quam rem duplici de cauſſa impellebar; primum quidem, ne clariſſimum illum virum, eius ſcripta ſupprimens, tanta iniuria afficerem: deinde etiam ne horum ſtudiorum amantes tanto fructu atque emolumento defraudarem. Quod ego quidem certe pridem pręſtitiſſem, niſi alia ſubinde mea me negotiola ab ea cogitatione auocaſſent. At vero nunc, quo tempore minus ſolito negotiis diſtineor, hoc meum conſilium differre diutius nolui, ac ſub auſpicatiſſimo Celſ. Tuę nomine vxor & ego ſcripta hęc euulgare ſtatuimus, cum pluribus aliis de cauſſis, tum vero maxime, quod cum omnibus conſtet, quanta fide ſemper, & obſeruātia vir ille pręſtantiſſimus, primum quidem Celſ. Tuę Auum, deinde Patrem quoque tuum coluerit, ac veneratus ſit; non ſine nefario ſcelere in publicum ſub alterius nomine edere poſſe ea, nos arbitrabamur; pręſertim cum nobis plane conſtaret, Auctorem ipſum, qui ſemper Illuſtriſſimi nominis veſtri ſtudioſiſſimus, & obſeruantiſſimus fuit, ſi vita frui longiore datum fuiſſet, idem omnino, quod nunc nos, aliquando pręſtiturum, atque haſce ſuas eruditione pleniſſimas elucubrationes Clariſſimo nomini veſtro conſecraturum fuiſſe. Neque parum etiam, vt tibi hęc dicaremus, mouit, quod videremus Celſ. Tuam bonarum literarum amantiſſimam eſſe; atque inſuper (cum quotidie non paucas in eis horas impendat) omnibus teſtatum facere, ſe tanto & honore & fauore eas proſequi, vt non leuem toti terrarum orbi admirationem pariat: atque adeo talem de ſe ſpem in omnium animis excitare, vt facile intelligant Celſ. Tuam non fore minus

gratam & acceptam humano generi, quam olim nobiliſsimi eius Maiores fuerint; quin iam commune ſibi cum ſummo, & optimo illo Romanorum Principe encomium ſuis præclaris virtutibus promeruiſſe, vt ab omnibus Amor & deliciæ generis humani & appelletur & habeatur. Celebratiſsimos autem Celſ. Tuæ Maiores quod attinet, cum præclaræ eorum res geſtæ, & virtutes admirandæ, neminem clam eſſe poſsint, ſuoque ſplendore non poſsint non omnium oculos atque animos in ſe conuertere, eas hîc recenſere ſuperſedebo, ac orationem meam illuc omnem conuertam, vt Celſ. Tuam ea qua decet animi ſubmiſsione & obſeruantia orem atque obſecrem, hoc noſtrum munuſculum hilari & exporrecta fronte accipere dignetur; acſi ab ipſomet Auctore oblatum fuiſſet: ac inſuper rogamus, vt nos quoque in ſuam clientelam ſuſcipere dignetur; ad quam Vxor & ego non minorem fidem, & obſeruantiam allaturos confidimus, quam vel Auctor ipſe, vel quiuis alius afferre poſsit, qui Celſ. Tuam ex intimis animi ſenſibus amat, colit, ac veneratur. Deus Opt. Max. Celſ. Tuam plurimos in annos ſoſpitet, atque incolumen conſeruet. Londini Cal. Ianuarij,

M D XC.

THOMÆ

THOMAE ERASTI D. MEDICI CELEBERRIMI, DE MEDICINÆ LAVDIBVS

ORATIO.

INTER omnes artes liberales, quas Deus Opt. Max. prò immenſa ineffabiliq; ſua erga humanum genus benignitate mortalibus largirus eſt, oulla exſtar, quæ cum Medicina de præſtannia & dignitate certare poſſit. Nam vetuſtate atque origine: inuentorum & cultorum ſplendore: ſubiecti, circa quod verſatur, nobilitate: doctrinæ conſtantia & firmitate: oeceſſitate denique & fructu: facile omoes ſuperar. Cæterum ne me iſta fingere, & abſque probatione dicere aliquis opinetur, ſtatui ea breuitate demooſtrare, qua res tanta doceri poteſt: idque noo more oratorio, ſed Medico potius aut philoſophico, oratione ſimplici ſcilicet minimeque fucata. Valde namque ridicule fecerim, ſi eloquentiam & facundiam óſtentare coner, qui neque narura ad eam rem factus, oeque exercitatiooe ac vſu naturam ſuperare conarus ſum. Proiode vos, qua debeo obſeruantia, oro, vt res potius, quam verba, attendatis: & capita ſolum propoſitæ cauſæ recenſentem audiatis:

Origo artis Medicæ eadem propemodum eſt, quæ & hominom. Statim enim poſt natos homines quæri & coli cœpta eſſe videtur: quod & ratio & hiſtoria demonſtrat. Sane omnibus hominibus, præſertim intelligentibus & doctis, confeſſum hoc eſt, quod ab Ariſtotele ſcribitur, artium illas primas inuentas eſſe, quarum opere homines minime potueruot carere: cæteras, quæ vel ad voluptatem, vel ad ornatum, vel ad contemplationē potius, quam ad vitæ neceſſitatem pertinent, per ocium deiode fuiſſe excogitatas. Quippe cum deſiderium finis excitauerit homioes ad inueſtigandas artes, ambigi non poteſt, quio de illis primo loco ſoliciti fuerint, quib. maxime opus habere ſe animaduerterunt. Certū porro eſt, corpora noſtra ſic fuiſſe ſtatim ab initio conſtituta, vt morbis & cruciatibus obooxia forent. Quoniam non ſolus cibus & potus morbos generant, ſed & aër, aqua, exercitia, labores, animi affectiones: denique tam multæ ac diſpares ſunt eorum cauſæ, vt vitare omries oullus poſſit. Ergo ſtatim atq; ægrotare incœperunt homioes, (iocœperunt autem mox a priocipio) atq; a morbis actiones, ad quas ſe ſactos m em ioeraot, ſenſeruot impediri, de ratione, qua & præſentem valetudinem conſeruarent, & amiſſam recuperarent, oeceſſitate coacti deliberationes inſtituerunt. Notum eſt, actiones ab anima, vt a cauſa effectrice proficiſci, & a corpore, vt inſtrumēto, perfici: oec vllam edi poſſe iotegram, parte corporis, a qua editur, læſa. Quare cum abſque ſanitate nec viuere ſe, nec agere aliquid poſſe perſpexiſſent, quis dubitet eos mox ab initio ſummo ſtudio iodagare artem Medicam voluiſſe, prioſquam de aliis, quæ nnn ad viuendum, ſed ad commodius viueodum faciuot, præcipue cogitatum fuerit? Argumento vel maximo illud ſit, quod hodie etiam nulli ſunt, qui noo medicatum rerum medendiq; aliquam ſibi peritiam arrogent. Quomodo eoim alioquin omoes ad medendū adeo prompti eſſent, ſi onn tacito naturæ impulſu propter vſum neceſſitateinq; cogerentur de hac re omoes ſolliciti eſſe? Certum eſt, ex brutis plurima ſolo naturæ inſtinctu ſibi mederi. Quis igitur neget infinite maiorem & clariorem rerum ad Medicioam pertinentium notitiam noſtris a Deo meotibus inſculptam? Si quis neget, ipſa eum ſacra hiſtoria erroris coarguet. Primus enim homo eam habuit rerum creatarum ſcientiam, quam poſteri eius in hac vita optare magis quam aſſequi potuére. Quam vt poſt lapſum fere totam amiſiſſe concedamus, non tamen igniculos quoſdam retinuiſſe dubitamus, quibus inueſtigatione ac ſtudio ſuſcitatis potuerit oblitarum rerum reminiſci. Quis vero dubitet, an ægrotantes de inue-

nienda ratione ac modo cõſultauerint ſe a morbis vindicandi? Truncus & ſtipes fuerit, non homo, qui in cruciatibus hærens de vita incolumitateq; ſua nihil cogitet: cum bruta animantes ſecus facere videamus. Ergo ſi & ægrotarunt olim homines, & a morbis liberari cupiuerunt, etiam de ratione & via, qua liberarentur ſolicite quæſiuerunt. Nec fruſtra quæſiuerunt: cum inueniendi facultate neutiquam deſtituti eſſent. At mox ab initio cum morbis & doloribus conflictari cœpiſſe certum eſt. Quare ante alias artes de Medicina inuenienda eos cogitaſſe confitendum eſt. Et hæc quidem manifeſta docet ratio: quæ ſi cui non ſatis perſuadet, ipſa factorum hiſtoria confirmari poterit. Etſi enim neque ſacra neque profana hiſtoria tempus definit, quo primum aliqui publice mederi incœperunt, tamen ex vtraque diſcimus, prorſus antiquiſſimam eius originẽ eſſe. In Dei populo ſemper extitiſſe Medicos, ex Moſe, Salomone, Paralipomenis, clare perſpicimus. Etenim Moſes cap. 50. Geneſ. refert Ioſephum mandaſſe ſuis Medicis, vt corpus Iacob patris ſui condirent: quod & factum ab eis ſcribit. Obiit autem Iacob ante annos paulo minus 3300. Idem Moſes 21. Exodi cap. aperte percuſſoribus præcipit, vt læſo ceſſationem ſeu cubatum & Medicationem præſtent. Erant igitur tunc, & multo ante fuerant, qui Medicandi artem profiterentur. Eduxit Moſes Iſrahelitas ex Ægypto ante annos ter mille & amplius. Quod ſi quis apud ſe cogitat, Vulnerarios tantum ſeu Chirurgos fuiſſe: non hos ſolos, ſed & Clinicos, quos hodie Phyſicos nominant, ante illud tempus in honore & admiratione fuiſſe oſtendam. Res ipſa demonſtrat, non magis externis quam internis morbis vexatos homines fuiſſe: & proinde non minus ſolicite laboraſſe, quo pacto his occurrerent, quam quomodo illos pellerent. Quod eo magis factum credemus, ſi naturaliter omnes huc impelli homines, vt morbis & doloribus obliſtãt, meminerimus. Ad hæc certum eſt, Veteres Chirurgiam ab altera parte, quam Clinicen vocatam dixi, minime diſtinxiſſe: ſed eoſdem & Chirurgos & Phyſicos fuiſſe. In magnis quidem vrbibus, qualis Roma fuit, affirmat Gal. alios Chirurgiã, alios Phyſicen præcipue exercuiſſe: quæ partes tamen non ſic erant diuiſæ, vt non vtrilibet vtramq; callerent. Ante annos plus minus quingentos apud Arabes, vt ex Abenzoare coniicimus, ſeiungi cœperunt Chirurgi, Lithotomi, Pharmacarii, & Phyſici. Et manſerunt tres illi Clinicorum velut famuli. Loquor de tempore, quo apud Græcos floruit. Nam Ægyptii, vt ſcribit Herod. multo ante ſic diſtribuerant, vt vnius morbi aut partis vnus eſſet Medicus. Vnde plena omnia Medicorum fuiſſe ait: dum alii oculis, alii capiti, alii ventri, alii occultis morbis mederentur. At hinc non efficitur, Phyſicam inuentam non fuiſſe, ſed probatur potius: dum occultis morbis curandis aliquos deſtinatos affirmat. Iam & in 2. Paralip. cap. 16. mentio habetur Medicorum internis morbis medentium. Salomonem eam non ignorauiſſe norunt omnes, qui vel hiſtoriam Regum, vel alios eius libros attente perlegerunt. Sed & gentilium hiſtoria manifeſte probat, paulo poſt diluuium maxima diligentia ſummos Reges Medicinam colere cœpiſſe: vt mox oſtendemus. Eccleſiaſticus refert Deum & Medicum creauiſſe, & Medicamenta. An ad ſolos externos morbos profligandos pharmaca producit terra? Non opinor. Quid ergo aliud docere voluit, cum addit, Deum Medicinæ ſcientia homines donauiſſe, quam notitiam animis hominum impreſſiſſe recte vtendi pharmacis, quæ ad depellendum omnis generis morbos, externos & internos, terram iuſſerat proferre? Clarius hoc ipſum perſpiciet, qui ob id Deum nobis inſtillauiſſe hanc notitiam animaduertit, vt ſuam erga nos paternam voluntatem declararet, ac gloriam ex mirabilibus, quæ per Medicinam facit, conſequeretur. An non omni tempore voluit Deus propter beneficium hoc mortalibus datum prædicari? Ego certe ſic cenſeo. Cogimur ergo confiteri, Deum ſalutarem hanc artis Medicæ totius cognitionẽ ſtatim ab initio animis noſtris inſeruiſſe. Nõ minus enim, imo multo magis, mirabilis eſt abditorum morborum, quam externorum, ſanatio: nec minus ex illorum, quam horum depulſione laudatur Deus. Scio nullum hic adeſſe, qui certioribus argumentis antiquitatem artis Medicæ demonſtrari velit. Quæ enim poſſit excogitari verior ratio ea, cui ſacroſanctum Dei verbum teſtimonium perhibet? Attamen & profanam hiſtoriam huc vſq; dictis conſentanea tradere breuiter oſtendam. Quod enim mox poſt diluuium Medicinæ ſtudium florere cœperit, poſt vetuſtiſſimos Poetas & Philoſophos teſtatur Suidas, dicens olim apud Ægyptios Medicum Iachenum nomine claruiſſe, qui in curandis morbis excellens, at hoc nomine longè excellentior fuerit, quod Ægyptios docuit accenſis ignibus depellere peſtem. Hunc ſub Rege Senuo vixiſſe tradit. Porro de Senuo Rege alio nullo, quod quidem adhuc audire aut videre potuerim, mentionem faciunt hiſtoriæ, quam de eo, qui alias Chamſenuus, noſtris autem ſimpliciter Cham vocatur. Hic Rheam vxorem habuit, ex qua genuit Oſirim, qui poſtea Rex Magnus vocatus, & pro Deo cultus fuit. Is Iachenus propter inuentam rationem repurgandi aeris pro Deo cultus apud Ægyptios ſcribitur. Mortuo namque templum ædificarunt, in quo & ſepultus fuit. Quotiens deinde peſtis inuaſit Ægyptum, eidem ſacrificarunt, & de igne ſuper altari accenſo, alios per vicos & regiones vrbium

bium ignes accenderunt, itaque virus aëris exſtinxerunt. Regnauit autem Senuus cum Rhea coniuge in Ægypto circa 270. annum a Diluuio. Quod ſi hoc tempore Iachenus illuſtris Medicus fuit, facile intelligi poteſt, ante ipſum præclaros alios viros exſtitiſſe. Hic quia fortaſſe plus cæteris artem amplificauit, ac primus modum peſtis arçendæ pellendæq; reperit, maiores apud eos honores meruit.

Poſt hunc Oſiris prædicti Cham Senui filius in medicina clarus exſtitit: quem nonnulli artis inuentorem falſo exiſtimarunt. Significat autem Oſiris Ægyptiorum antiqua lingua multos oculos habentem, ſiue perſpicacem & oculatum: vnde & Solem eum appellarunt, & pro Deo, vt dixi, coluerunt. Cæterum duo Oſirides Ægyptii Reges fuerunt: quorum alter circa annum mundi 2160. regnauit: quem noſter (Pharao putatur fuiſſe, qui Abrahamo vxorem rapuit) annis centum triginta quinque præceſſit. Hic Oſiris, vt Diodorus Siculus ſcribit, Saturni & Cybeles, ſiue Cham Senui & Rheæ filius fuit, ſororemq; habuit Iſidem, quam etiam vxorem duxit. Creditur a nonnullis Bacchus, ab aliis Serapis, ab aliquibus Iupiter: Iſis autem ſoror & Ceres & Luna & Iuno nominatur. vterque Medicinæ peritus fuit: licet Diodorus Mercurium faciat inuẽtorem: & propter eam cauſam ab Oſiride Saturni & Rheæ filio magnifice habitum honoratumque ſcribat. Iſin nihilominus multorum remediorum inuentricem prædicant. Epitaphium eius, columnæ inſcriptum apud Herodotum lib. 1. habetur: in quo hæc inter alia continentur: Ego ſum Iſis Ægypti Regina, a Mercurio erudita. Ego ſum vxor Oſiridis. Ego ſum prima frugum inuentrix. Ego ſum Ori Regis mater, &c. Oſiridis ergo atque Iſidis, filius fuit Orus, id eſt, Apollo, poſtremus apud Ægyptios Deus. Hic a parentibus Medicinam edoctus eiuſdem inuentor a nonnullis putatur. Legimus & Apin Regem Ægyptiorum, quem & Serapin nominant, Medicinæ inuentoris laudem acquiſiuiſſe: quem aliqui eundem cum Oſiride faciunt. Non multum noſtra refert, ſiue idem ſiue alius putetur, quando moris hoc apud veteres fuiſſe conſtat, vt, quiſquis præclaro additamento artem auxiſſet, vel alia ratione illuſtraſſet, pro inuentore eiuſdem haberetur. Cæterum Ægyptios præ cunctis fere aliis gentibus Medicinæ ſtudioſos fuiſſe, Plutarchus etiam declarat in Dialogo de ratione brutorum vbi Gryllum inducit dicentem, *πάντας μὲν Αἰγυπτίους ἰατροὺς ἀκούομεν εἶναι.* Apud Aſſyrios etiam antiquiſſimam fuiſſe artem hanc vel ex eo conſtat, quod Zoroaſter Magus apud Bactrianos regnãs, quem Nini & Semiramidis temporibus vixiſſe ſcribit Euſeb. lib. de præpar. Euangel. 10. cap. 3. primus eam magicis ſordibus conſpurcauiſſe fertur. Floruit autem Semiramis annis 800. ante bellum Troianum (quod ſeptem annis anteceſſit tempus, quo iudicauit Samſon Iudæos.) circa ætatem Abrahami: annis ferme 400. ante natum Moſen. Poſt Zoroaſtrem ſemper fere manſit eius profeſſio penes Sacerdotes: qui pulcherrimam artem fœdiſſime contaminarunt, donec ad Græcos ſenſim tranſlata eſt. Ab Ægyptiis enim ad Græcos importaſſe Apollo creditur. Noti ſunt Ouidii verſus:

Inuentum Medicina meum eſt, opiſexque per orbem
Dicor; & herbarum ſubiecta potentia nobis.

Huius & Phoronidis filius Æſculapius eam deinde plurimum ornauit, vt ipſe etiam, quemadmodum pater Apollo diuinos honores impetrauerit: etſi in quodam oraculo, quod apud Euſeb. lib. de præparat. Euangelica 3. cap. 4. exſtat, omnem hanc gloriam ſibi ſoli vendicet, hiſce verbis:

Natus ego ex ſacra Tricca, cui tota medendi
Ars, cui ſeſe omnis pariter ſapientia debet.
Quem mater peperit compreſſa ab Apolline magnum
Illum Æſculapium, Diuum numeroque receptum.

Conſtat ex recitatis & propter vetuſtatem non ſatis certum eſſe eius primum inuentorem, & propter nobilitatem ac dignitatem inter ſe clariſſimos quoſq; de Inuentoris titulo & honore certauiſſe. Mercurius Triſmegiſtus qui paulo poſt Moſen, Ioſuæ ſcilicet tẽporibus claruit, vtrumque, Apollinem videlicet atque Æſculapium, Ægyptios fuiſſe aſſerit: ac ſepulchrum Apollinis cum templo in monte Libyæ memorat conſtitutum. Vtut hoc habeat, Græci ſuos fuiſſe ſcribunt: & Æſculapii filios Podalirium & Machaonem Græcos in bellum Troianum ſuis nauibus ſecutos affirmat Homerus. Ex quo perſpicere licet, quanti tunc ab omnibus etiam Regibus fierent, qui in excolenda Medicina ſtudium ac diligentiam ponerent. Circa hoc tempus Chiron Centaurus magiſter Achillis, Saturni & Philyræ filius in hac arte celebris fuit; a quo etiam hodie herba Centaurion nomen retinet. Plutarchus author eſt, Homerum quoque Medicinæ ſtudioſum fuiſſe. Poſt hos in Græcia ſecuti ſunt Æſculapii ſucceſſores longa ſerie, item Herodicus Selybrianus, Democritus, Empedocles, Pythagoras, & tandem Hippocrates ille Cous, ab Æſculapio 18. qui primus, authore Celſo, Medicinam a ſtudio ſapientiæ ſeiunxit: cum ante illud tempus iidem fuiſſent & Philoſophi & medici. Satis perſpicue, vt opinor, non ratione tantum, ſed etiam authoritate hiſtoriæ do-

cui, Medicinam ab ipſo mox diluuio cœptam eſſe quæri. Etſi vero non ſtatim ad artis eam formam reuocari præcepta potuerunt, ſub qua nunc ea videmus: tentauit nihilominus vnuſquiſque pro viribus inuentis aliorum addere, artemque locupletare & augere. Qua in re alios aliis feliciores fuiſſe par eſt: cum idem in aliarum quoq; artium inuentione vſu veniſſe nemo neſciat. Eodem modo ſi non omnes nationes æque ſtudioſæ illius fuiſſe concedatur, non tamen nullam omnino rationem eius habuiſſe putandum eſt. Apud Ægyptios diligentius culta, apud alios obſcurior fuit, donec ad Græcos tranſiit. Hi eam, ſicut omnes bonas artes maiore ſtudio expoliuerũt atq; illuſtrarunt. Primus inter eos Æſculapius ſcriptis mandaſſe nonnulla putatur. In huius poſtea templis, quæ in Pergamo, in Epidauro, alibique habuit, notata ſeruabantur, quæ quiſque vtilia inueniſſet: id quod in Apollinis quoque templis factum memorant hiſtorici: & multo ante apud Ægyptios idem obſeruatum fuiſſe legimus. Equidem ante inuentas literas hieroglyphicis ſignis notarunt remedia, quæ induſtria hominum inueniſſet, aut Fortuna indicaſſet, vſusque probaſſet. Ex his, & ſcriptis aliis plurimis, quæ tunc extabant, opera ſua compoſuit Hippocrates. Edita autem tunc multorum fuiſſe ſcripta de re medica, ex ipſius monumentis clare perſpicitur. Nam in lib. de veteri Medicina ſic ſcribit: Medicina autem iam ab antiquo eſt, & via inuenta, per quam multa & probe habentia comperta ſunt: per multum adeo tempus reliqua deinceps inuenientur, ſi quis idoneus ſit: & iam inuentorum gnarus, ex his procedat ad perquirendum. Quicumque vero his reiectis omnibuſque reprobatis, alia via aliaque forma inquirere conatur, & quid inueniſſe gloriatur, falſus eſt & fallitur. Impoſſibile namque eſt. Facit etiam mentionem ſententiarum Cnidiarum, cõtra quas ſcripſit. Floruerunt enim illo tempore ſcholæ Medicæ tres, præ aliis: Cnidia, Italica, & Coa, vt teſtatur 1. Meth. Therapeut. cap. 1. Galenus. Idem etiam putat duos illos libros, qui de articulis & fracturis inſcripti ſunt, quoſque ſuis ipſe commentariis illuſtrauit, ab auo eiuſdem nominis Gnoſidis filio ſcriptos fuiſſe. In epiſtola quadam ad Democritum fatetur Hippocrates ſe ad finem artis Medicæ non perueniſſe: ſicut nec Æſculapium. Probat id ex eo, quod Scriptores teſteotur, eum in multis a ſeipſo diſſenſiſſe. Ex quibus verbis clare patet, aliorum tunc ſcripta vulgata fuiſſe: & Æſculapium quoque aliqua poſt ſe reliquiſſe. Audiuit noſter Hippocrates præſtantiſſimos ætatis ſuæ Medicos, patrem Heraclidem, Elaphum Chryſæ filium, Gerodicum Selybrianum, Prodicum, Gorgiam Leontinum, Democritum. Floruit autem paulo ante bellum Pelopõneſiacum, & Darii Hyſtaſpæ filii temporibus: vt ex epiſtolis ipſius liquet. Secuti eum deinde ſunt Diocles Caryſtius, Praxagoras, Chryſippus, Eraſiſtratus, Herophilus, aliique plurimi excellente doctrina viri, ad Galeni vſque tempora: qui demum artem perfeciſſe creditus fuit. Non debet hoc ita accipi tamen, quaſi non egregie prius illuſtrata ab Hippocrate fuiſſet. Quippe Galenus non in vno tantum loco libere aperteque fatetur, ſe nihil ad ea, quæ Hippocrates nobis reliquiſſet, addidiſſe, præter vnam doctrinam de pulſibus: quam Hippocrates aut neſciuiſſe, aut neglexiſſe videtur. Propter hanc igitur cauſam, & quod, quæ conciſe, breuiter, obſcure, ſcripſit Hippocrates, fuſius explanauit,ublioreq; & faciliore methodo tractauit, perfeciſſe artem non iniuriâ dicitur. Quæ namq; poſteriores adiecerũt, ea tanti nõ ſunt, vt obſcurare Galeni gloriam nomenq; poſſint.

Ergo manifeſte oſtendi, quibus authoribus ars medica inuenta, conſtituta, aucta, perfecta fuerit. Neque mirabile cuiquam videri debet, tam vtilem, tamque neceſſariam artem Diis inuentoribus adſcriptam fuiſſe ab vniuerſa vetuſtate. Non enim potuerunt ſibi perſuadere tantum ab homine boni proficiſci poſſe, quantum ab arte Medica ad ſe redire ſubinde videbant. Quæ ſane cauſa Eccleſiaſticum quoque permouit, vt a Deo tum medicos tum Medicinam omnem manaſſe conſtanter ſcripſerit. Quocirca Deos eſſe exiſtimarunt non illos modo, qui primi inuenerunt, verum etiam omnes alios, quicumque præclaro inuento aliquo eandem auxiſſent melioremque reddidiſſent. Multæ certe gentes de eius inuentione inter ſe certarunt. Conſtat autem Ægyptios & Aſſyrios multis ante Græcos ſeculis eam & inueniſſe & excoluiſſe. Nam inter Zoroaſtrem ſeu Semiramidem (cuius tempore in magno eam honore habitam demonſtraui,) & primos apud Gręcos Philoſophos, Pythagoram, Anaxagoram, Heraclitum, Democritum, anni haud pauciores 1500. interceſſerunt. Plin. lib. 7. cap. 56. oſtendit inueniri, qui ab Arabo Apollinis & Babylonis filio repertam aſſerant herbariam, & medicamentariam Chironi adſcribant. Sed de hac parte nimis fortaſſe multa diximus. Non poſſum, neque etiam debeo, facere, quin hoc loco moneam, Paracelſum & diſcipulos eius, partim inſcite, partim impudẽter, partim impie ſibi veræ Medicinæ inuentionem arrogare. An non enim turpis inſcitia eſt, neſcire, iam olim veram Medicinam indagatam & inuentam fuiſſe? An nõ incredibilis & nullis ſeculis audita impudentia eſt, aſſerere, nullos Philoſophos vera naturalium rerum principia vidiſſe? nullos Medicos artis ſuæ fundamenta cognouiſſe? omnes tum Philoſophos tum Medicos (neminem aliquando excipiunt) bardos, aſinos, ſtupidos, rerum omnium ignaros fuiſſe? Medicos ſuperiores nil niſi carnificinam exercuiſſe

ercuiſſe

creuiſſe? Pertinaciter negant, quatuor ſimplicia corpora, ignem, aerem, aquam, terram, naturalium miſtorum elementa exſiſtere: ſed cœlum & terram, quæque his clauduntur vniuerſa, ex mercurio, (ſic argentum viuum vocant) ſulfure & ſale primo miſta concretaque eſſe, inque hæc iterum diſſolui. Huius opinionis, vel potius inſaniæ, authorem primum ſe facit Paracelſus. Tolerari forte poſſent, ſi dicerent dumtaxat male, non etiam facerent pernitioſe. Quid enim nouis ſuis principiis & venenatis pharmacis aliquot hiſce annis necis iſti artifices patrauerint, notius eſt, quam vt hoc loco exponere opus ſit. An non horribilis quoque impietas eſt, quod Deum, qui ante tot ſecula ex mirabilibus, quæ per Medicinam largitus eſt mortalibus, laudari & prædicari voluit, mendacii arguentes, artis principia vera nulli ad Paracelſum vſque pateſeciſſe aſſeuerate dicunt & ſcribunt? Si nihil aliud docuit priorum ſeculorum Medicina, quam perdere & excarnificare, nihil ex ea boni ad homines rediit. Quam ergo ex medicationibus gloriam conſequi potuit Deus? aut quo pacto non putabitur vel non donaſſe mortales medendi ſcientia, vel non rectam veramque rationem docuiſſe? Qui non videt iſta ſine blaſphemia cogitari non poſſe, nedum dici, nihil videt. Quare profanis iſtis hominibus miſſis, ad propoſitum noſtrum reuertamur. De origine, antiquitate, & inuentoribus artis Medicæ diximus. De cultoribus eius aliquid adiiciemus. Etenim non abiectæ ſortis homines, ſed præſtantiſſimi & ſummi quiq; viri eam coluerunt, Principes videlicet, Reges, Monarchæ, & Deorum filii putati. Et qui tales non cenſebantur, vel hoc ipſo diuinos honores conſequebantur: ac ſi mortalium reliquorum conditionem longe ſuperauiſſent. Dignam, inquit Hippocrat. libro de veteri Medicina, iudicauerunt, quæ Deo tribueretur: & nunc ita receptum eſt. Non vetuſtiſſimos tantum Deos putauiſſe artis adeo rum neceſſariæ tum vtilis inuentores, ſed etiam ſuæ ætatis homines ita ſenſiſſe affirmat. Nec eum ſefellit opinio. Nam & ipſe diuinos aſſecurus eſt honores. Errarunt illi quidem in eo, quod homines mortales exiſtimarũt deos, aut diuinis honorib. afficiẽdos; at non peccarũt in eo, quod ſummo in honore habuerũt, ac neceſſaria ſuppeditarunt. An nõ enim ab omnibus honorari & beneficiis ornari æquum eſt, qui omnibus, quodcunq; vitæ inſtitutum teneant, cuiuſcunq; generis, ordinis, conditionis, ætatis, ſexus, exſiſtant, quo denique loco & tempore viuant, beneſacere poſſunt? Idem certe hoc, quod ratio rectum eſſe dictat, Deus mandat: dum neceſſaria Medicis ſuppeditare, & eorum operâ, poſt nominis & auxilii Diuini inuocationem quoties opus ſit, vti iubet. Merito igitur non tantum vetuſtiſſimi illi, dum rudius adhuc ſeculum eſſet, ſed & poſteriores Medicinæ cultoribus & ſummos honores, & ampliſſima ſtipendia, decreuerunt. Et de Antiquioribus quidem ſatis diximus in ſuperioribus. De Recentioribus non libet in præſentia recenſere omnia: ſed pauca quædam exempli dumtaxat loco attingam. Soranus in vita Hipp. author eſt Coos ipſi ſacra plurima inſtituiſſe, propter collata in patriam beneficia: Theſſalos quoque & Athenienſes ſummis eum affeciſſe honoribus. Nam & Eleuſinis ſacris eum initiarunt Athenienſes, & honores Herculis tribuerunt, & ciuem ſcripſerunt: &, quod alii affirmant, ſtatuam ei auream poſuerunt. Nemo eſt, qui non audierit aut in epiſtolis eius legerit, quomodo Perſarum potentiſſimi Regis, auri quantum omnino vellet pollicentis preces ſpreuerit: quod Græcorum tunc hoſtis eſſet Perſa. Sic & Aſclepiades a maximo Regum Mithridate vocatus ingentes eius pollicitationes pro nihilo duxit. Auguſtus Cæſar cum ab Antonio Muſa Medico clariſſimo a diuturno & peſſimo morbo, ſolius fere lactucæ vſu magna felicitate curatus eſſet, in grati animi memoriam ſtatuam æream iuxta Æſculapii ſtatuam collocari iuſſit. Ex quibus liquet, non rudi tantum illo ſeculo, ſed florentiſſimo illo Auguſti Imperatoris tempore præclariſſimis eſſe honoribus affectos, propter diuina illa beneficia, quæ in humanum genus contulerunt.

Quæ cum ita habeant, mirum videri nulli debet, quod Philoſophi omnes præſtantiores, quod Reges, quod Principes, quod viri clariſſimi omnium ætatum ac nationum in hac arte excellere ſtuduerunt. De Philoſophis dubitare nullus audet, qui antiquas hiſtorias legit. Supra quoque monuimus Hippocratem primum diſcreuiſſe eam a ſtudio Philoſophiæ: cum ante illud tempus iidem eſſent Philoſophi & Medici. Sed ne hodie quidem aliquis vel præclarus eſſe poteſt Philoſophus, niſi idem quoque ſit Medicinæ peritus: vel in egregium Medicum euaſerit, ſi non ſit ſupra mediocritatem in Philoſophia verſatus. De Regibus exempla & teſtimonia ſatis multa exſtant. Fuit enim hæc doctrina longo tempore in familiis Regum conſeruata & propagata. Non iam repeto, quorum ſupra memini, ſed Alexandrum Magnum, Mithridatem, aliosque tales propono. De Alexandri in arte noſtra ſtudio Plutarchus ſcribit, eum nõ tantum artis ſtudioſum, adhortatore Ariſtotele, fuiſſe, verum etiam amicis quibuſdam Medicinam feciſſe. Mithridatis antidotus ſatis probat, quam fuerit in materia Medica probe exercitatus. Retinent adhuc aliquot plantæ nomina Regum, a quibus vſurpatæ inuentæque ſunt, vt Gentiana a Gentio Rege Illyriorum: Lyſimachia a Lyſimacho: Centaurium a Chirone Centauro. Iohannis Meſuei Abdelæ Regis Damaſci filii libri

in omnium manibus verſantur. Auicennam quoque nemo ignorat vnum ex Regis Perſarum principibus Regi chariſſimis fuiſſe. Horum & ſimilium plurimorum commendatione approbationeq; etſi reddatur omnino clariſſima, multo tamen plus ei ſplendoris illud addit, quod Angeli Dei Medicinam factitarunt. Notum eſt, qnomodo Thobiam docuerit Angelus Domini felle piſcis curare oculos patris: quo remedio etiam hodie in affectibus oculorum ſimilibus vtimur. Quin & Eccleſiaſticus in commendationem Medicinæ illud adfert, quod de aquis amaris ligno quodam dulcoratis, Exodi 15. legimus. Quid quod ipſemet Seruator Chriſtus eam non obſcure nobis commendauit? Tacebo iam quod clariſſimæ totius orbis Prouinciæ eam ſtudioſiſſime iam olim coluerunt, Chaldæi, Aſſyrii, Ægyptii, Græci, Arabes, denique Indi etiam: vt ex Strab. intelligimus. Quocirca minime debetis mirari, quod nullis vnquam artificibus maiora ſtipendia decreta apud Plinium legitis. Quippe lib. 29. cap. 1. annua mercede conductos fuiſſe ſcribit Medicos ab Imperatoribus ducentorum quinqnaginta millium ſeſtertiûm: quæ ſumma iuxta ſupputationem Georgii Agricolæ ſupra 9000. vncialium, ſeu Thalerorum Ioachimicorum: Vngaricorum aureorum 6060. aſcendit. Idem Plinius ſcribit, Q. Stertinium Principibus ſeu Imperatoribus imputauiſſe, quod 500000. ſeſtertiis contentus eſſet, cum 600000. ſibi fuiſſent quæſtu vrbis, oſtenſis domibus. Efficit hæc ſumma fere 22000. Ioachimicorum: vel 14545. aureorum Vngaricorum. Admirabilius eſt, quod idem Plin. lib. 26. cap. 1. ſcripſit, Manilium Cornutum pro ſolius Mentagræ curatione perſoluiſſe 20000. ſeſtertiûm: hoc eſt, 7272. Ioachimicos vnciales: vel 4848. aureos Vngaricos. Galeno Boëthus pro vxore curata, vt lib. ad Poſthumum teſtatur, quingentos donauit aureos: qui paulo minoris æſtimantur mille Vngaricis. Sic & Ptolemæus Eraſiſtratnm propter ſeruatum patrem Antiochum centum Talentis donauit, hoc eſt 51c00. aureorum Vngaricorũ. Ne vero quis opinetur, ſolos veteres illos potentiſſimos Reges atq; Romanorum Imperatores orbis dominos liberales erga Medicos fuiſſe, recentiora quædam attingam. Petrum Aponum, qnem Conciliatorem nominant, quique circa annum 1300. hoc eſt, ante annos 270. plus minus floruit, legimus ſtipendio 50. coronatorum in ſingulos dies conductum aliquando fuiſſe. Scribit etiam Cominæus Regem Galliæ Ludouicum 11. Medicum ſuum in ſingulos menſes ſtipendio 10000. coronatorum conduxiſſe, ipſumq; 4. menſium ſpacio, quibus ei adfuit, vitamq; produxit, ad 50000. coronatorum, præter Abbatias & Epiſcopatus, quos ſuis nepotibus & cognatis impetrauit, accepiſſe. Iacobus Carpenſis, qui ante annos non ita multos vita functus eſt, cum ex aliorum morborum, tum maxime Gallici curatione tantum lucratus fuit, vt moriens ſupra 40000. coronatorum aureorum præter argentum reliquerit Duci Ferrariæ: quem hæredem inſtitnerat. An non ſatis hæc declarant, quanta ſit Medicina omnibus ætatibus ac temporibus æſtimata? Sane in legibus Romanorum ampliſſimi honores & maiora Medicis præmia decernuntur, quam aliarum artium liberalium profeſſoribus vllis. Et merito quidem liberalium ſtudiorum Profeſſoribus anteponunt: quum hi ſtudiorum curam dumtaxt agant, illi communem omnium ſalutem procurent. Et quod maxime mirum eſt, ſoli Medicæ arti feruntur peperciſſe Pyrrhonii illi dubitatores: dum alias omnes explodendas diſputarent. Mirarer profecto Medicos tanti fuiſſe omnibus ætatibus apud omnes, ſummos præſertim Reges, niſi & ex verbo Dei, & ex ipſa artis conſideratione cauſam perſpicerem. Quippe ſic ſcribitur in Eccleſiaſtico: Dominus Medicum fecit, & a Rege ſtipendium accipiet. Scientia eius caput eius extollit: & Proceribus erit admirationi. Manifeſte hic videmus, Deum animos hominum huc inclinare, vt Medicinam, ſuæ erga nos benignitatis & beneficentiæ illuſtriſſimum argumentum, maximi faciant. Etenim per operationem Medicinarum celebrari clementiam ſuam voluit. Hæc porro impulſio non eſt miraculoſa. Non enim alia ratione homines ad opem Medicam quærendum incitauit, quam vt per eum modum amorem ſuum erga genus humanum declararet, atque ad earum rerum contemplationem, quas Medicina profitetur, omnes inuitaret. Quoniam non ſolum circa nobiliſſimum ſubiectum verſatur, verum etiam omnium prope rerum, quas aſpectabilis hic mundus continet, cognitionem complectitur. Quid enim homine inter omnes viſibiles creaturas maius ac præſtabilius fingi queat? Vere dictum a Philoſophis eſt, eum finem quendam eſſe totius mundi corporei: vt, quemadmodum ad glorificandum & celebrandum creatorem ipſe factus eſt, ita ipſius cauſa vniuerſæ res aliæ ſint creatæ. Omnia enim homini ſeruire ſic oportet, quomodo quæ finis cauſa facta ſunt, eatenus valent, quatenus abſq; ipſis finis obtineri nequit. Finis ergo cum longe illis præſtet, quæ hunc efficiunt, liqnido patet, homine præſtabilius & excellentius in hac mundi machina nil inueniri. Quæ res Philoſophos gentiles minime latuit. Etenim natura duce viderunt, homine maius nihil ſub Sole exſtare: tametſi veram eius rei cauſam non potuerint cernere. Nos cælitus edocti ſcimus vnum hominem inter huius fluxi & caduci mundi creaturas ad imaginem Dei factum eſſe. Quis ergo miretur, Deum huius, quam aliarum rerum, maiorem habere curam?

Quomodo

Quomodo ergo non ſit artium omnium nobiliſſima, quæ hominis vitam & incolumitatem tueri & conſeruare docet? At hoc præſtare non poteſt, niſi rerum vniuerſarum naturam & efficientiam ſcrutetur: vt quantum quælibet commodare vel incommodare poſſit, doceat. Non enim neceſſarium eſt, vt, quod propter hominem eſt, ſemper iuuet, obſit nunquam. Etenim & lædentia nonnumquam proſunt: quod Ethnici quoq; intellexerunt. Quis porro neſcit, a ſublunaribus cunctis noſtras vires labefieri vel confirmari? Quare non circa vnum dumtaxat genus inſtar aliarum artium verſatur, ſed pomœrium fineſque ſuos multo protulit longius: dum rerum omnium naturas & facultates explorat, vt quantum quælibet vtilitatis aut damni adſerre poſſit, præuideat. Conſiderat ergo Medicus, quis ſit cuiusque loci ſitus, quæ ventorum & aquarum natura & conditio, qui mores hominum, quæ victus ratio, quæ omnium ibi naſcentium qualitas, efficientia, proprietas: vt ex hiſce qui morbi quouis loco maxime regnent, & qua ratione aptiſſime tum arceantur, tum profligentur, colligat.

Summa eſt, quicquid in hoc mutabili mũdo continetur, contemplationi Medicorũ ſubiectum eſt. Non enim ſalutaribus & vtilibus tantum rebus eos Deus præfecit, vt iis ad ſanitatem hominum vtantur, verum noxias & pernicioſas quoque cenſuræ eorum ſubeſſe voluit: vt quomodo hæ quoque vel vtiles efficerentur, intelligerent, vel apte cauerentur, prouiderent.

Recte igitur Architectonica imperatrixque artinm vocata eſt: vt quæ cæteris omnibus, Ædificatoriæ, Culinariæ, Sutoriæ, Veſtiariæ, ipſi denique Imperatoriæ imperet. Omnibus enim leges modumque præſcribit, quatenus vſui eſſe vel non eſſe poſſint. De ſubiecto & materia omni, circa quã occupatur Medicina, diximus: de probationum firmitate, deq; neceſſitate vtilitateque vt dicamus, reſtat. His enim tribus, ſubiecti ſcilicet dignitate, probationum conſtantia, & vſu, ſcientias alias aliis præſtare monuit Ariſt. initio lib. de Anima. Minime opus eſſe animaduerto; vt certis ac firmis argumentis Medicinam ſua probare theoremata demonſtrem. Quis enim adeo eſt rudis, qui neſciat, quam de Elementis, de temperamentis, de potentiis naturalibus, earumq; operationibus, de generatione humorum & ſpirituum, de partium ſingularum natura, ſitu, actione, vſu, ſolide diſſerant Medici? Quis de morborum differentiis, cauſis, effectibus ſubtilius, verius, certius, diſputauit? Nullæ in tota Phyſica demonſtrationes accuratiores & firmiores reperiuntur illis, quibus omnes probatorum Medicorum libri pleni ſunt. De qua re ſi quem dubitare ſcirem, non difficile mihi foret infinitis prope argumentis teſtatum facere. Non ob id veræ ſcientiæ non eſt particeps Medicina, quia in ea omnia præcepta diriguntur ad effectionem, veluti ad ſcopum: aut quia res mutabiles & fluxas intuetur. Etenim ne phyſicæ quidem rationes certæ iudicari poſſent, ſi hæc ratio valeret. Pura & ſimplex ſcientia in ſola rerum ſpeculatione & perceptione acquieſcit, fateor: & ob eam cauſam Medicinam exquiſitiſſimam ſcientiam non eſſe confiteor. Sed ex hoc minime efficitur, ſcientiam nullo modo eſſe. Principiis inſiſtit naturalibus, veris & perpetuis: quatenus natura conſtantium rationes perpetuo veræ & immutabiles eſſe poſſunt. Ex his concluſiones & præcepta deducit ſimiliter ſtabilia & vera. Quæ ſi mutari nonnunquam videntur, id eis accidit, quatenus nimirum mutabilibus rebus adhibentur. Quis neget immutabilem præcepti huius eſſe veritatem, quo iubemur hominem, qui ob redundantiam ſanguinis acuto morbo correptus ſit, ſi ætas & vires conſtent, ſecta vena vacuare? At multa interim ægroto accidere poſſunt, quæ ſanguinem detrahere vetant. Non inficior. Illud nego, rationes mutabilium rerum communes ideo falſas effici, quia res illæ non eodem modo ſemper habent. Limitationes quædam ſunt, quæ ſic accidunt, quæ nõ minus veræ ſunt ipſa regula, cuius ſunt exceptiones, cum generaliter accipiuntur.

Summa eſt, Medicina Phyſicæ germana ſoror eſt: vt Democrito in Epiſt. ad Hippocr. viſum eſt: ἱστορίη σοφίης, inquit, δοκέω ἰητρικῆς ἀδελφὴ καὶ ξύνοικον. Idem Hippocr. multis in locis affirmauit. Equidem iiſdem inſiſtens principiis rerum naturalium naturas, affectiones, operationes, proprietates, vſus, non minus ſtudioſe perſcrutatur: quædam etiam accuratius quam illa examinat. Quo fit, vt præclarus Medicus nullus eſſe poſſit, niſi qui egregie in phyſicis ſit verſatus: quod cum alii omnes, tum ipſe Hippocr. in lib. de veteri Medicina his verbis teſtatur; ἐπεὶ τοῦτό γε μοὶ δοκέει ἀναγκαῖον εἶναι παντὶ ἰητρῷ περὶ φύσιος εἰδέναι, καὶ πάνυ σπουδάσαι ὡς εἴσεται, εἴπερ τι μέλλει τῶν δεόντων ποιήσειν. Satis opinor, clare demonſtraui, Medicinam inter artes liberales pleraſq; maxime demonſtrationibus ſuperbire: atque ob eam cauſam quoq; admirabilem præ aliis omnibus exſiſtere.

De vtilitate artis Medicæ ideo pauca dicam, quia omnia pro dignitate exponere is ſolus forte poſſit, qui cum Cicerone de Eloquentia certare auſit. Tam late patet eius vſus, vt

omnes, cuiuſcunque ordinis, condirionis, ætatis, ſexus, attingat: & fructu eius carere nullus poſſit. Quod enim per eam efficitur, eſt ſanitas: qua præſtabilius nobis in bac vita nihil contingere poteſt: quod & authoritate, & argumentis certiſſimis docebo. Ariſtoteles in propyleo Apollinis ſcriptum fuiſſe refert, λῷστον τὸ ὑγιαίνειν. Plato in Gorgia antiquũ fuiſſe dictum hoc ait, ὑγιαίνειν μὲν ἄριστόν ἐστι· τὸ δὲ δεύτερον, καλὸν γενέσθαι· τρίτον δὲ, τὸ πλουτεῖν ἀδόλως. Pythagoras loco eius, quod nos dicimus, ſalue, ὑγίαινε dicere ſolebat: quod nihil optari poſſe maius & præſtantius arbitraretur. Max. Tyrius antiquiſſimum carmen citat, quod ſic habet: ὑγιία πρεσβεύη μακάρων, μετὰ σεῦ ναίοιμι τὸ λειπόμενον τῆς βιοτᾶς. Menander eodem modo ſcripſit, οὐκ ἔστιν ὑγιείας κρεῖττον οὐδὲν ἐν βίῳ. Quinteriã viſus eſt quidam ſcribere, Vitam ſeu viuere non eſſe vitam, ſed ſanitatem ſiue recte valere vitam eſſe. Sed quid veterum opus eſt teſtimoniis, cum nullus hodie viuat, qui non iudicet ſanitatem maximum eſſe humanorum bonorum? Nullus enim ſani iudicii inter morborum cruciatus viuere optat. Probat, quod dicimus, factum eorum, qui vel propter inſaniam ſibi conſciſcunt mortem, vel dolorum victi impatientia ſceleratas ſibi inferunt manus. Quis etiam non ſæpe ab ægrotantibus mortem optari audit? Sane omnes fere, qui cum dolore aliquo diutius decumbunt, mortem cum eiuſcemodi vita commutare cupiunt. Quare non inepte quendam dixiſſe aiebam, οὐ τὸ ζῆν ἐστὶ ζῆν, ἀλλὰ τὸ ὑγιαίνειν. Quorſum ergo, dicat aliquis, argumentis probare laboras, quod vltro tibi concedunt omnes? Non hoc eſt propoſitum nobis: ſed magnitudinem & excellentiam bonæ valetudinis per hunc modum declarandam ſuſcepimus: vt quanti boni cauſa ſit Medicina clarius intelligatur. Etenim bonorum omnium, quæ inter bona numerant homines, quæq; in hac mortali vita ſolum valent, aut cauſa eſt, aut condimentum illiuſmodi, quo ſine vix a quoquam expetantur. Bona omnia vel ſunt intra nos, vel extra nos: quæ fortunæ bona vocantur: vt liberi, vxor, opes, honores, imperia. Interna partim ad corpus referuntur, partim ad animum ſpectant. Corporis bona ſunt, pulchritudo, virium robur, membrorum firmitas, ſenſuum integritas, actionum conſtantia & perduratio. Ad animum propius pertinent ingenii ſolertia & ſagacitas, iudicii acrimonia, cogitationum certi conatus, memoriæ fidelitas, morum probitas. Communis maxime eſt vita. At hanc ipſam ſanitatis effectionem eſſe, nullus neſcit, niſi qui morbum mortis cauſam eſſe nunquam cogitauit. Non ob aliud, quam ob vitam eiusque actiones ſanitatem deſideramus. Si enim abſque ea commode vitæ actiones exercere poſſemus, fruſtra ſanitatem expeteremus. Ratio eadem eſt corporis bonorum omnium. Sunt enim nihil aliud, quam ſanitatis effectus. Quod quia notius eſt, quam vt in dubium venire poſſit, oſtenſione opus non habet. Quid aliud, quæſo, eſt ſanitas, quam ſumma corporis perfectio & virtus? Quid vero aliud eſt virtus, quam vt Cicero definiuit, in ſe perfecta & ad ſummum perducta natura? Ad ſummum porro rei cuiuſq; natura perducta tunc cenſetur, cum, cuius cauſa facta eſt, apte, iucunde, facile, expedite, agere poteſt. Quippe Philoſophi quoque, vt ex Ariſtot. didicimus, cuiuſq; rei ſubſtantiam potentia & operatione definiendam cenſent. Tunc ergo ſummam perfectionem corpus noſtrum adeptum dicetur, cum abſq; impedimento & dolore ſuas actiones edit. Quod tunc fit, cum ſanum, ſiue naturæ congruenter affectum eſt. Sanitas enim affectio illa corporis eſt, a qua primò actiones ſecundum naturam fiunt. Virtus igitur & perfectio corporis noſtri eſt ſanitas. Quare non alia eſt actionum conuenientium cauſa. Nec vero corporis duntaxat actionum cauſa proxima eſt ſanitas, verum etiam earum, quæ magis ad animum accedere, propiuſq; ab eo manare putantur, ratiocinationis videlicet, memoriæ, & ſimilium. In cauſa eſt, quod ſine corporis apta diſpoſitione anima ne has quidem exercere poteſt. Equidem frequentius, quam vellemus, cernimus, tum has, tum alias per morbos hebetari, deprauari, corrumpi ac tolli. Quæ alia cauſa efficit deliriá febricitantiũ, melancholicorũ, furentium, & quauis ratione deſipiẽtium? Sine ſanitate igitur, nec viuere, nec ſapere, nec ambulare, nec aliud facere valemus. Hac de cauſa non male ſcripſit Democritus: Omnes homines oportet Medicam artem ſcire, (quia res honeſta & ad vitam vtilis eſt) & ex his maxime doctos & eloquentes: τοὺς παιδείας καὶ λόγων ἰδέαις γεγυμνασμένους. & paulo poſt: Augeſcit mens ſiue intelligentia præſente ſanitate: cuius prouidentiam habere recte ſentientes honeſtum eſt. Habitu corporis ægrotante, nec mens alacritatem habet ad virtutis meditationem. Morbus enim præſens vehementer animam obſcurat, intelligentiam in conſenſum trahens. Si maius in terra iam dictis nihil excogitari poteſt, quomodo non confitebimur Medicinam, quæ omnium dictorum cauſam parit, maximorum bonorum authorem eſſe? Quid quod non tantum impeditas actiones expedit, deprauataſq; corrigit: verum etiam mores emendat, animum ad virtutis & honeſtatis amorem erigit, mentem acuit, memoriam confirmat, omnes deniq; actiones perfectiores efficit? Admirabilia certe & prope incredibilia, imo diuina ſunt, quæ dicimus: attamen vera eſſe nullo negocio demonſtrabo. Non dicimus ex ſtulto ſapientem, ex ſtupido acutum facere Medicinam. Hoc volumus, naturam cuiuslibet hominis, ſi modo periti Medici præceptis obſequitur,

quitur, arte aliquanto meliorem reddi: quantum ſcilicet vniuſcuiuſq; conditio patitur. Equidem ex antedictis patet, animam non ſine corporis diſpoſitione ſuas actiones edere. & per bonam bonas, per vitiatam vitioſas edere. Sane quiſquis pro mutatione temperamentorum, ſiue per ætatem fiat, ſiue per morbos eueniat, ſiue per aliam occaſionem accidat, in nobis mutari mores, ſtudia, cogitationes, neſcit, is vel puer eſt, vel incogitans, vel imperitus rerum omnium. Tanta namque eſt animi cum corpore coniunctio, tamq; arcta ſocietas & connexio, vt alter alterius bonorum & malorum prorſus fiat particeps. Quis non vidit per febres aliquos delirare? aut quis per bilis vſtionem non deprehendit aliquos furere? Melancholia laborantium tot ſunt deſipientiæ ſpecies, quot nullus facile enumerauerit. Taceo iam Epilepſiam, Apoplexiam, Catalepſim, alioſq; morbos ex cerebri frigiditate ortos: qui omnes fere ſtuporem inducunt. Sed fac iſta ignorari a plurimis, an quæ per ebrietatem inducitur varietas morum, cogitationum, actionum, conſiliorum, latere aliquem potuit? At hæc fieri neceſſarium eſt, quia vel cerebri, vel ſpirituum, vel humorum in eo exſiſtentium natura permutata ſit. Pulcherrime hanc rem explicat Ariſt. ſect. 30. Probl. 1. in quo quæritur, cur omnes ingenioſi Melancholici fuerint. Idem Philoſophus mirabilem animi & corporis conſenſum in lib. de Phyſiognomia eleganter & ingenioſe declarat. Nam initiò argumento ex ebrietate & morbis ſumpto, animi cogitationes pro diuerſitate temperationis corporis variari demonſtrat. Deinde ex animi morbis, odio, ira, inuidia, amore, triſtitia, gaudio, corpus ita animo compati, vt corpori animus per morbos corporeos compatitur, indicat. Tertio vtrunque ex conſideratione inſpectioneque naturæ operum probat. Ex illis quæ natura fiunt, inquit, multo clarius apparet, ſic eſſe corpori animum iunctum, vt vnius mutationes redũdent in alterum. Nullum enim animal corpus canis, exempli gratia, nactum eſt, animam vero moreſque ſuis aut cerui: ſed in canino ſemper corpore inhabitat anima canina. Cum igitur pro diuerſitate animarum varient corpora, & pro differente corporum ſtructura & temperatione ſemper diſcrepent informantes animæ, certum eſt corporis temperamentum conſequi mores. Idem hoc Gal. in lib. quod animi mores corporis temperamentum ſequantur, pluribus oſtendit. Nec minus id monſtrat, quod alimentis omnia fere videmus animalia cicurati ac manſuetiora fieri. Plurimum hic poteſt aeris in quouis loco temperies: id quod non tantum bruta oſtendunt, verumetiam hominum naturæ & ingenia demonſtrant. Hinc eſt, quod gentium aliquæ ſunt bellicoſæ, audaces, laborum, frigoris, famis. patientiſſimæ. aliæ contra imbelles, timidæ, ignauæ, molles, effeminatæ, ocio luxuque diffluentes: aliæ induſtriæ, ſolertes, honeſtatis, pietatis, virtutum amantes: aliæ perfidæ, impię, virtutis hoſtes, honeſtatis contemptrices, crudeles, barbaræ, &c. Quanta ſit gentium pro regionum, aeris, victus, ſtudiorum, & educationis ratione diſſimilitudo, vix poteſt verbis exponi. In eadẽ quoq; regione, pro varietate ventorum, aquarum, alimentorum, caloris, frigoris, quibus vrbs aut locus quilibet expoſitus eſt, magnam & manifeſtam eſſe morum & ingeniorum differentiam vel vnus Hippocr. in lib. de locis, aere, aquis, abunde probauerit. Sed quid hic immoror? Habet vnuſquiſq; in ſeipſo, quo huius rei veritatem intelligat. An non enim aliis rebus & ſtudiis in pueritia, aliis in adoleſcentia, aliis in ætate virili, aliis denique in ſenectute tenentur & delectantur omnes? At huius diſſimilitudinis cauſa alia nulla eſt, quam temperationis immutatio. Mutatur autem ab aere, ſtudiis, exercitiis, maxime vero cibis & potibus. Horum porro omnium facultatem & efficientiam docet Medicina. Quocirca poteſt animum atque mores hominum emendare: modo inueniat obtemperare volentes. Quæ cum Galenus in eo libro demonſtraſſet, in quo docet animi mores temperationem corporis ſequi, diſputationem his tandem verbis concludit: Ergo nunc quoq; veluti reſipiſcentes ii, qui alimenti virtutẽ hos modeſtiores fieri, illos proteruiores, quoſdã nequiores, alios temperatiores, & audentes, & ignauos, & manſuetos, & lenes, & litigioſos, & peruicaces fieri poſſe ægre concedunt, accedant ad me, quibus veſci, quæ bibere eos oporteat, edocendi. Nam & ad moralem philoſophiam proficient plurimum, & partis ratiocinatricis facultates ad virtutem prouehent, vtique tum ſolertiores memoriaque validiores, tum ſtudioſiores prudentioreſq; effecti. Eos enim præter cibos & potus, ventos quoq; ipſos, & ambientis aeris temperationes: qualia item loca eligere, qualia fugere cõueniat, docebo. Hæc Galen. Ex prædictis omnib. manifeſte perſpicimus, ſanitatẽ omniũ animi & corporis bonorũ cauſam eſſe tum cõſeruatricem, tũ reparatricem. Ad externa, quod attinet, tametſi per ſe nõ efficiat, cauſæ tamẽ, ſine qua acquiri non facile poſſint, aut ſaltẽ cõdimenti rationẽ obtinet, ſine quo delectare nequeãt. Amplæ diuitiæ, bene educati liberi, honeſta & formoſa vxor, imperiũ in alios, pleriſq; videntur eſſe diuinæ, pulcherrimæ, optimæ res. Et ſane non contemnendam nobis vtilitatem ac voluptatem adferre ſolent. Hæc tamen omnia, quæ tantopere expetimus, ſæpenumero non modo non delectant nos, ſed dolorem ac triſtitiam augent: quoties videlicet inter cruciatus morborum iacentes frui eis non poſſumus. Sicut febricitantibus nonnullis ſaccharum & mel, res dul-

ciſſimæ, plane videntur amariſſimæ: ita fere, quæ chariſſima aliâs nobis fuêre, per vehementiores oppreſſis morbos oneri & dolori magis ſunt, quam voluptati. Sanis iucunda hæc ſunt, non ægris: quod Horatius his verſibus etiam docuit:

Non domus aut fundus, non æris aceruus & auri,
Ægroto domini deduxit corpore febres:
Non animo curas: valeat poſſeſſor oportet,
Si comportatis bene rebus cogitat uti.

Qui vitæ ſibi periculum impendere intelligunt, libenter eam, ſi modo honeſte facere liceret, hiſce talibus redimerent. Quid vita nobilius ac diuinius datum nobis eſt? Attamen cum vehementius nos morbi torquēt, ac longiore tempore dolores excruciant, hanc quoq; ponere potius cupiunt ægrotantes, quam per eum viuere modum. Quod ſi igitur morbis nihil magis fugimus, ſanitate nihil magis expetimus: Sanitate ergo nihil melius. Sed hanc tum ſeruare tum reſtituere docet Medicina. Quis igitur non omnibus aliis artibus anteponat? Cum apud me cogito, quid facere ægrotantes ſoleant vel ſola ſpe ſanitatis recuperandæ, facile perſpicio, quantum ea ſit bonum. Nihil tam triſte, tam ingratum, tam fœtidum, acerbum, amarum, horridum, quod non ſumant. Et quæ, cum valerent ſola imaginatione concepta faſtidium & horrorem, totiusque corporis concuſſionem afferebant, ſe ipſos cogentes prompte deglutiunt, quo priſtinæ valetudini reſtituantur. Magna profecto vis eſt Medicinæ: cum eius opera & beneficio & viuamus, & bene viuamus. Nam & vitam & vitæ operationes eius auxilio conſeruari oſtendimus. Si permultos abſque Medicis ſanari obiicias, cum Hippocr. in lib. de Arte reſpondebo, maximum hoc eſſe ſignum diuinæ artis, quod etiam illi per eam ſanantur, qui eam eſſe neſciunt. Etenim inſcientes caſu quodam egerunt, quæ ſciens & prudens ſecundum artis præſcriptum feciſſet. Cum enim, quicquid fit, ab aliquo fiat, neceſſarium eſt, eos aliquid feciſſe aut omiſiſſe fortuito, propter quod melius habere cœperunt. Idem hoc eruditus Medicus ex arte facere potuiſſet. Hanc artis Medicæ neceſſitatem atque vſum, cum Antoninus Pius cognitam haberet, prudenter mandauit Metropolitanis vrbibus, vt 10. Medicos: Medioximis, vt 7. Minimis, vt 5. ex ærario alant. Habetur mandatum in ff. de excuſ. tut. l. ſi duas. Sed & Vlpianus in l. 1. ff. de decret. ab ord. faciend. hortatur Decuriones, vt Medicos conſtituant. Nullus certe non intelligit, Reipub. maxime intereſſe, vt vbique periti Medici habeantur, qui pro ſalute hominum vigilent. Qua ratione adducti ſunt Imperatores, vt immunitatem & ampliſſimos honores eiſdem decernerent, maximiſque præmiis & beneficiis ornarent. Nec dubium eſt, quin iſta præmiorum magnitudine plurimos ad eius ſtudium inuitare voluerint. Quod forte ſortuna non accidit: ſed Deo ſic diſponente factum eſt: vt ſupra demonſtrauimus. Auguſtus igitur Senatu aſſentiente, vt refert Dion, toti Medicorum ordini immunitates multas, & ius aureorum annulorum, quod, vt idem Dion lib. 48. ſcribit, nec liberto nec ingenuo vlli, ſed Senatoribus & equeſtris ordinis hominibus duntaxat permiſſum erat, conceſſit. Qui poſt Auguſtum ſecuti ſunt Imperatores plurima in eoſdem beneficia contulerunt, propterea quod, ſicut Vlp. ait, ſalutis hominum curam agerent. Multa huius rei adhuc extant in iure monumēta; vt Titul. de profeſſoribus vrbis Romæ & Conſtantinopolitanæ, Tit. de profeſſoribus & Medicis, Tit. de Comitibus & Archiatris; id eſt, Principis Medicis. Sic enim Alciatus recte hoc nomen interpretatur. Lucianus quoque in Abdicato ſuo ſcribit, Liberas ciuitates honores & præmia Medicis decreuiſſe. Hinc Prudentia præſtantes viri, vt ſua Medicis dignitas ſeruaretur integra, exercitium artis Iudæis & illegitimo thoro natis prohibuerunt. Nulla prope infelicitate alias laborat maiore Medicina, quam quod omnes eius ſibi noticiam arrogare audent: vnde verſus iſti vulgares nati ſunt:

Fingit ſe Medicum quiſquis Idiota, profanus,
Iudæus, Monachus, Hiſtrio, Raſor, Anus.

Quare non immerito videntur Iuriſconſulti diſputare, quinam Medicorum nomine comprehēdantur. Vt ſummatim omnia dicam, peritus Medicus vere vocari poteſt ἀλεξίκακος, quo nomine Græci Apollinem propter artis præſtantiam ſalutarunt. Nam futuros morbos multo ante quā fiant, proſpicit, impendentes arcet, naſcentes in ipſo ortu ſuo extinguit, tardos vrget, properantes impedit, vehementes reprimit, ſæuiores mitigat, furentes compeſcit, euentus denique præuidet ac prænunciat. Idem ſemiputridos integritati reſtituit, afflictos recreat, languentes corroborat, ſemimortuos iamque ad orcum deſcēdentes in hanc lucem vitamque reuocat: cumque ipſa ſubinde morte colluctatur. Per Medicos Reſpubl. quoque conſeruantur: dum viri boni in vita retinentur. Gregorius Nyſſenus Medicos propter eaſdem cauſas putat in pretio haberi debere; quia ſcilicet pro ſalute hominum cum ipſa morte quaſi decertare ſoleant. Author lib. de flatibus miſeriam Medicorum cum fructu, qui ad omnes deriuari ſolet, comparans, inquit, οἱ δὲ νοσέοντες ἀπαλλάσσονται τῶν μεγίστων κακῶν διὰ τὴν τέχνην νούσων, πόνων, λύπης, θανάτου, πᾶσι γὰρ τούτοισιν ἄντικρυς ἰητρικὴ εὑρίσκεται ἀκεστορίη. Et vt

Plinii

Plinii verbis tandem concludam. Vna artium Imperatoribus etiam imperat, & ea nulla eſt fructuoſior. Verũ obiiciet fortaſſe aliquis: Si ars tanta eſt, qui fit, quod toties fine ſuo fruſtratur? quod tam multi moriuntur? quod plurimi tarde admodum ſeſe recolligunt? Etenim alii artifices tato admodum a ſcopo aberrant aut ſpe ſua excidunt: ſed plerunque voti compotes efficiuntur. Non eſt nouum hoc obiectum: ſed exprobratum fuit Medicis ante Hippocratis ætatẽ. At reſpõdet præclare Hippocrates in lib. de arte: Si quis, inquit, ab arte exigat, quod non profitetur, vel a re naturali facultatem poſtulat, ad quam facta non eſt, is neſcit inſanos amentes potius eſſe, quam ignorantes. Quorum inſtrumentorum facultatem ars obtinuit, iis artifices ſumus. Quæ talibus effici nequeunt, ab arte requiri non debent. Morbi igitur, qui pharmacis ſiue inſtrumentis Medicorum non cedunt, arte Medica ſanabiles non ſunt. Inter vrentia igne nihil magis vrit. Quod ſi morbus aliquis vſtionem expoſcens igni reſiſtat, igne is, vel arte, quæ igne vt inſtrumento vtitur, percurari non poterit. Hac de cauſa aphoriſmorum librum his verbis concluſit, ὁκόσα φάρμακα οὐκ ἰῆται, σίδηρος ἰῆται· ὅσα σίδηρος οὐκ ἰῆται, πῦρ ἰῆται· ὅσα δὲ πῦρ οὐκ ἰῆται, ταῦτα χρὴ νομίζειν ἀνίατα. Sed & Lucianus in Abdicato monet, non recte τὴν τῆς τέχνης ἀδυναμίαν accuſari, cum malum eſt ἀνίκητον. Defectus artis accuſari tunc optimo iure poteſt, cum effectionem profitetur eorum, quæ perficere non poteſt. Medici nec immortalitatẽ præſtare poſſunt, nec omnium morborum curationem pollicentur: quæ duo impius ille Paracelſus ætate noſtra promittere auſus eſt. Diſcipuli breui Magiſtri vita deterriti, nõ audent eadem de ſe ipſis iactitare. Iura quoq; mortalitatis euentus non patiuntur Medicis imputari: vt ex Vlp. in l. Illicitas. §. ſicuti. ff. de offic. Præſ. poteſt intelligi. Non bene etiam comparatur Medicina cum aliis artibus, quæ artificioſum operi finem imponunt. Hæ namque materiam habent tantum patibilem. Itaq; & principium & medium & finis operis abs ſola arte pendent. Medicina talis ars non eſt. Verſatur enim circa materiam viuentem & agentem. Natura namq; eſt, quæ proxime morbos curat, vt docuit Hippocrates: Medicus miniſter dumtaxat eſt Naturæ, inſtrumenta ei ſuo tempore congruentia ſuppeditans. Finis ſiue ſanitas, ob id non eſt artificialis res, ſed naturalis. Etenim Natura a Medico & Medicamentis adiuta finem hunc induxit. Quoties igitur Natura corporis, quia vel fracta vel aliter impedita eſt, non facit officium, licet Medicus, quæ ſui ſunt muneris, fideliter omnia præſtet, imputari culpa ei non debet. Si enim incommoda & lapſus omnes corrigendi facultatem haberet, etiam immortales ſeruare, quos vellet, poſſet. Etſi hoc modo habet res, non tamen laudari debet factum eorum, qui, cum non omnes morbos ſanari poſſe audiunt, totam artem deſpectui habent. Deſipientiæ eſt, nulli vlceri remedium quærere velle, quia ex eis aliqua medicamentis nullis percurari poſſunt. Morborum non eſt vna omnium cõditio. Quidam omnino ſunt immedicabiles, vt facta Elephantiaſis, confirmata ſeu nodoſa podagra, cancroſa vlcera, cordis vulnera ad ventriculos vſq; penetrantia, &c. Aliqui ægre ſunt curabiles, attamen aliquando ſanantur, vt Epilepſia, Hydrops, Podagra, &c. Plurimi natura ſua ſanabiles exiſtunt & plerumq; Medicorum peritorum opera curantur. Et ex his alios Natura ſponte ſua, ſed tardius vincit, a Medico adiuta celerius propulſat: alios ſine miniſterio Medici numquam, cum eo, cito & facile ſuperat. Ex omnibus alii interficiunt, niſi depellantur, alii ad mortem vſq; comitãtur ægrum, per ſe exitioſi non ſunt. Multorum natura & vis ambigua eſt: vt ſalutares ne ſint futuri an pernicioſi de principio intelligi non poſſit. Multi etiam per ſe curabiles, minimeque graues cum ſint, cum corpus debilitatum & fractum inuadunt, inſanabiles fiunt. Primis remedia adferre nullus intelligens tentabit. Reliquos negligere, præſertim occidere potentes, & ſine ope Medica non cedentes, non eſt hominis, ſed bruti. Quid enim talium neglectus eſt aliud, quam ſalutis propriæ deſpectio & homicidium? quam naturalium impulſionum contemtus, quam diuini mandati aſpernatio? Non fruſtra enim Deus Medicinæ ſcientia homines donauit. Non fruſtra Medicos præmiis afficere mandauit. Non ideo tot medicamẽta producere terrã iuſſit, vt ſpernerentur, nõ vſurparentur. Cur Medico locum dare præcepit, quoties opus eſt, ſi vtilitatem nullam adfert? An non præſtat bidui ſpacio auxilio Medici a doloribus liberari, quam ſolius naturæ beneficio curari velle, ac diebus decem aut pluribus affligi? Mouere nos merito debet exemplum Regis Ezechiæ: qui, tametſi miraculo ſummo certus de ſalute ſua redditus fuiſſet, remedia tamen negligenda non eſſe cenſuit. Scimus alimentis nos iuxta Dei præſcriptum in hac vita ſeruari. An ergo non edendum quis putet, quia aliquibus ingeſtus cibus nil profuit? Recta potius ſequenda eſt ratio: & vtendum mediis a Deo nobis conceſſis: vt ab ipſo tamen ſucceſſum omnem exſpectemus. His cum vſi erimus, & nihil tamen profecerimus, Deo ſic volente, factum recte putabimus, quicquid conſecutum eſt. Si officium noſtrum neglexerimus, itaq; pereamus, quin culpa noſtra acciderit, quicquid nobis euenit, negare nõ poſſumus. Quia enim certi non ſumus de voluntate Domini, priuſquam peracta res eſt, illud facere nos conuenit, quod recta ratio docet. Recte igitur Eccleſiaſticus imprudentem eſſe aſſeuerat, Medicinas aſpernantem. Ex eiſdem re-

pondere illis etiam poterimus, qui ex Plinio artem Medicam oppugnare ſolent: à Romanis vrbe pulſos Medicos obiicientes. Quaſi vero nihil male, iniuſte & contra rationem egerint Romani. Si peccarunt ſemel, facti correctione errorem teſtati ſunt. Contrarium rationi factum illud fuiſſe, ne hi quidem negare poſſunt, qui iſtud nobis obiiciunt. De Plinio in præſentia nil aliud dicemus, quã eum non ſatis prudenter ac vere ſcripſiſſe, Pharmacorum compoſitiones auaritiæ commentum: & vires medicamentorum ſcrupulatim, vt ipſe ait, colligere ac miſcere, non humanæ coniecturæ, ſed imprudentiæ eſſe. At imprudenter hæc eum aſſeueraſſe, ratio, ſeculorum multorum experientia, ipſum deniq; verbum Dei demonſtrarunt. Vt enim alia nunc mittam, quomodo non falſe ſcripſit Sirachus, nullum eſſe operum ſeu compoſitionum Seplaſiarii modum aut finem, ſi nõ certa proportione inter ſe miſceri oportet? Tantundem valere eius debet authoritas, eum inconſtantiæ arguit artem, quia non eiſdem ſemper vſi præceptis & remediis fuerunt omnes. Non artis hoc, ſed hominũ eſt vitium. Quid enim? an ob id ars Medica damnabilis iudicabitur, quia Paracelſus eam euertere conatus eſt, ac peſtilentibus remediis eandem infamant eius diſcipuli? Non arbitror. Catonis hiſtoriam ſi ex Plinio nobis obiicias, facilis erit reſponſio. Primum enim non rem damnauit Cato ille, ſed Græcos artem exercentes: quod ipſemet Plinius teſtatum facit. Et vt non ſcripſiſſet hoc Plinius, maior tamen Deo, quam Catoni fides habenda fuiſſet. Equidem vir prudens, ait Sirachus, Medicum & Medicinas non ſpernet. Imprudens igitur Cato ille fuit, ſi ſpreuit. verum vt dixi, non artem deſpexit, ſed Græcos, qui tunc eam ſoli fere callebant & exercebant, deteſtatus eſt. quando Gens iſta inquit, ſuas literas dabit, omnia corrumpet. Tum etiam magis, ſi Medicos ſuos huc mittet. Iurarunt inter ſe Barbaros omnes necare Medicina. Nos quoq; dictitant Barbaros: & ſpurcius quam alios Opicos appellatione fœdant. Hæc Catonis verba præclare docent, non Medicinam, ſed Græcos Medicos ab eo damnatos. Nec Medicinam ſolam hoc nomine exſecrabilem eſſe voluit, ſed multo magis totam Philoſophiam: id eſt, omnes Græcorum literas. Qui hanc rem plenius cupit cognoſcere, & quanto omnem Græcorum Philoſophiam arteſq; omnes odio proſecutus ſit, intelligere, Plutarchum in vita Catonis Maioris conſulat. Sua certe Medicina vxori, filio, & ſuroti necem procurauit: dum eadem bis præſcripſit, quibus ipſe citra noxiã vſus erat: nec cogitauit non eadem omnibus conuenire, propterea quod non vna ſit omnium temperatiu. Quod ſi maxima in cæteris rebus ἀναμάρτητος fuiſſet Cato (qualis fuerit, apud Plutarchum, qui hanc ipſam hiſtoriam clarius tradit, quam Plinius, reperies) plus tamen apud nos valere deceret rationem teſtimonio diuino comprobatam, quam hominis duri & vitioſi falſa opinio. An enim ob id Philoſophia & artes a Græcis excultæ conculcandæ fuerant, quia inter Græcos reperiebantur homines impii? Quanquam calumnia ſit, quod de coniuratione Græcorum dixit. Cum enim audiuiſſet, vt Plutarchus ſcribit, Hippocratem a Perſarum Rege multorum talentorum mercede vocatum, nunquam ſe Barbaris, Græcorum hoſtibus operam nauaturum affirmaſſe, omnium Medicorum commune iuramentum eſſe dixit. Quæ huc vſq; diximus, ſatis ſcio refelli veris argumentis non poſſe. Quare illud etiam nobis concédatur oportet, eum locum inter artes habere Medicinam, quem inter naturales res habet ſanitas. Tanto enim ars quæuis eſt excellentior & maior, quanto opus eius vtilius eſt ac præſtantius. At ſummum locum inter ea, quæ ad huius vitæ vſuram Deus nobis conceſſit, ſanitas tenet: vt quæ aliorum omnium bonorum vel cauſa ſit, vel condimentum. Quoniam per ſanitatem alia omnia nobis ſunt iucunda, ſine ea nihil gratum acceptumq; fieri poteſt. Quamobrem iure optimo anteſertur cunctis aliis artibus. Non me latet Medicos cum Iuriſprudentibus de dignitate & excellentia profeſſionis contendere: & vtroſq; ſuam alteri anteponere. Sed controuerſia hæc in verbis conſiſtit magis, quam in rebus. Profecto maxima ſunt beneficia, quæ in mortales redũdant ex ſcientia iuris: nec inferiora illis, quæ Medicina præſtat. Et ſi alterutra carendum foret, facilius forte Medicina, quam Iuriſprudentia publice carere poſſemus. Etenim totam Politiam & ſocietatem humanam continue tuetur, & ne corruat, prouidet. Qui temperanter viuũt, & naturam ſortiti ſunt bonã, raro Medico habent opus: cum iuſtiſſimi etiam patrocinio legum perpetuo egeant. Prodeſt in vniuerſum omnibus; cum Medicus raro ſimul omnibus conſulat; ſed plerumque paucis quibuſdam opem ferat. Præterea conſeruantur nobis opera & beneficio legum, pax, quies, & quæcumq; ad tutandam ſalutem nobis ſunt neceſſaria; cum Medicus tantum indicet, quæ ad ſanitatis tutelam cõducibilia intellexit. Equidem virtute legum in pace viuimus, tranquille agimus, ab iniuria & vi tuti ſumus, in ſecuritate illis, quæ largitus nobis eſt Deus, fruimur. Quæ ſi non adeſſent nobis, nec ſanitatem tueri, nec morbos propulſare facile poſſemus. Adde quod deterret ſcientia iuris malos pœnis a vitioſis actionib. bonos aũt præmiis ad virtutẽ hortatur, inuitat, incitat; quorũ medicus, quatenus medicus eſt, nihil facit. Quamobrem nõ bene faciunt, qui minus vtilẽ Iuris ſcientiam cõtendunt arte Medica. Etſi enim per ſe ſanitatem non efficit inſtar Medicinæ, ſine ea tamen nec vitam nec valetudi-

acm

nem ſeruare poſſumus ſi ad vſum & neceſſitatē dumtaxat reſpicimus, merito Iuriſprudentiā Medicinam præcedit. Si autem vtriuſque Methodum, conſiderandi modum, præceptorum conſtantiam, argumentorum & probationum certitudinem intueamur, nulla iam ratio eſt, quæ parem eſſe dignitate Iuriſprudentiam Medicinæ oſtendat. Imo difficulter artis nomen, quod ad iam dicta attinet tueri poterit. Quod vel ex eo perſpicuum fiat, quod ſolum Romanum ius in formam aliquam artis contractum videtur. Gentes aliæ ex ſuis legibus peculiarem ſcientiam non fecerunt: niſi per legum ſcientiam totā Politicam ſeu gubernandi ſcientiam, cuius pars eſt iuris prudentia, accipiamus. Apud Hebræos certe iidem fuerunt Legis periti, Theologi, & Politici. Principium legum humanarum, & Idea, quæ per eas exprimi debuit, eſt lex diuina immutabilis. Hanc vt aliqua ex parte imitetur ius ſcriptū, valde multa tamen in eo inſunt, quæ non facile quadrent. Cicero veri iuris veræq; iuſtitiæ ſolidam effigiem nullam extare, vmbra tantum & ſimulachris quibuſdam nos vti affirmat: & vt his vtamur optat. Si de Iureconſultorum libris integris hoc dicere potuit, quid ad fruſtillatim collectas, & non ſatis apte conſutas leges noſtras diceret, ſi videret? Magna pars iuris Imperatorum & Regum decretis ac placitis truncatis innititur: in quibus tamen ſtatuendis ſæpe plus valuit ratione voluntas. Hinc vulgo dicitur, (etiam ab huius artis Profeſſoribus minime vulgaribus idipſum ego quoque audiui.) Qui legem fixit, idem refigere quoq; poteſt. Ex eodem fonte manat, quod frequenter anteponitur plurium conſenſus veritati: vt quæ ſententia communis heri fuit ac valuit, hodie priuata nulloque iā precio apud iudices exiſtat. Vim legis habere oportet, quicquid conſuetudine introductum eſt, licet periti iuris cum iure ſcripto pugnare oſtendant. Nullum in Medicina præceptum iam verum eſt, iam falſum: ſed ſempiterna eſt eorum veritas omnium. Numquam enim eodem morbo laborantes, cum non variant neceſſariæ circumſtantiæ, diuerſa vel contraria ratione curantur. Numquam calidum frigidum, verum falſum factum eſt: cum quod iuſtum antea fuit, iniuſtum ſæpe factum ſit apud Iureconſultos. Audio quidem ex fontibus virtutum ſeu moralis Philoſophiæ riuos deductos eſſe. At quid præter virtutum notiones inde hauſerint, diſcere magis cupio, quam video. Hoc certe conſtat, nequaquam ſic ex principiis certis ordine certo & connexione firma deductas eſſe omnes concluſiones, vt in Medicina, Phyſica, & proprie appellatis artibus fieri ſolet. Veriſſime quidam ex Iureconſultiſſimis affirmant legū cognitionem farraginem magis eſſe opinionum, quam ſcientiam vel artem. Ariſtot. Dialecticam & Rhetoricam artes proprie eſſe negat, ſed δυνάμεις nominari debere iudicat; artium nomine dignatur, quatenus ordine quodam tradi poſſunt. In his ordinem eſſe multo certiorem, quā in legum ſtudio, nullus puto dubitat. Multo igitur minus patietur iuris iſtam, quæ hodie exſtat, noticiam, artem appellari. Medicinam quin & artem proprie iudicarit, & ſcientiam non minus eſſe crediderit, & vocauerit, quam Phyſicam: quatenus rerum naturas, motus, effectiones, & cauſas ſcrutatur, contemplatur, probat, communibus inſiſtens rationibus, dubitatione caret. Sic enim conſiderata nil eſt aliud, quam pars quædam & propago Phyſices. Quid enim aliud eſt Phyſiologia, Pathologia, Ætiologia, Diætetica, Therapeutica, quam Phyſica ſpeculatio? Quid in his eſt, quod non æque certum ſit, atq; rationes Phyſicæ? In ſola Semeiotica coniectura regnat: quæ tamen ita eſt artificialis, vt ad ſcientiam prope accedat. Non debet autem aliquis cogitare, me, cum hæc dico, de dignitate & nobilitate prudentiæ legum aliquid detractum velle. Non enim ob id ſolum ſcientia vna aliis expetenda magis eſt, quia firmioribus rationibus ſua probat: ſed vſus ac neceſſitas conſiderari debent. Quis negat ſcientias proprie nominatas artibus probationū firmitate præſtare? At nemo adeo rerum imperitus eſt, qui ob eam rem putet maiorem in Republ. dignitatem eſſe veritatem contemplantium & nihil agentium, quam eorum, qui artes liberales, cunctiſq; tum vtiles tum neceſſarias norunt & exercent. Ingenue dico. Iuriſprudentiam, ſi vetuſtatem, ſubiecti nobilitatem, tractationis Methodum, & concluſionum aptam cohæſionem ac certitudinem conſideremus, Medicina longe inferiorem eſſe. Nam & fuerunt olim gentes plurimæ, & nunc etiam ſunt, quæ non minus bene, pacifice ac feliciter ſine Romano iure ad artis formam redacto vixerunt ac viuunt, quam qui hoc ſolo vtuntur: & minus forte litium habent, qui hanc iuris artem nunquam cognouerunt, quam apud illos reperimus, qui ſecundum hanc omnia coguntur adminiſtrare. Verſatur etiam Iuriſprudentia circa corpus & ſanitatem hominis, & circa res alias, quas Medici contemplantur: ſed ratione longe alia. Tres ſunt ſanitatis opifices & conſeruatores, Natura, Medicus, Iuriſconſultus. Natura vere & proprie præſentem ſanitatem tuetur, & labefactatam reſtituit. Medicus idem efficit, quatenus Naturæ inſtrumenta ad operis perfectionem ſuppeditat. Iurisconſultus hoc ſolum prouidet, ne contra iuſtitiam & æquitatem male alicui fiat. Multo ergo propius tum effector, tum conſeruator ſanitatis fuerit Medicus, quam Iurisperitus. Ratio eadem eſt omnium aliorum bonorum. Etenim nec humani corporis, nec aliarum rerum Naturam, proprietatem, motiones, effecta, conſiderat: ſed hoc ſolum ſtu-

det, vt ſine externa vi cuiq; ſuis tuto liceat vti. Ergo cedit Iuriſprudentia Medicinæ vetuſtate, cultorum ſplendore, Methodi accuratione, demonſtrationum firmitate, & conſiderationis modo. Etſi enim tum hominis tum rerum humanarum omnium fere curam agit, non tamen ita eas conſiderat, vti Medici ſolent. Hic enim finis eſt, vt quantum quiſque habet aut iure habere debet, tantũ ei tuto poſſidere & acquirere liceat. Interim partes in Republ. priores magno ſuo merito ac iure tenent Iuriſperiti, vbi Romanum ius in precio eſt, propterea quod eorum profeſſio Reipubl. quæ huic fundamento innititur, æque neceſſaria & magis etiam vtilis exſiſtit. Iam enim diximus ſine legibus nec vitam, nec alias res noſtras ſaluas eſſe poſſe. Prouident enim leges vt in pace degant omnes, ſuum quiſq; teneat, ab iniuria ſecurus agat, &, quoties res poſtulat, Medici opera vti valeat. Nam hoc etiam curant Iuriſprudentes, vt boni Medici honeſtis ſtipendiis, præmiis, atq; honoribus inuitentur, conducantur, & alantur. Huc vſq; ſatis copioſe ac ſolide monſtrauimus, Medicinam inter artes liberales origine antiquiſſimam, inuentorum ſuorum ſplendore ornatiſſimam, cultorum gloria clariſſimam, Imperatorum ac Regum ornamentis laudatiſſimam, rerum quas contemplatur nobilitate & multitudine digniſſimam, Methodi accuratione & demonſtrationum certitudine admirabiliſſimam, mortalibus cunctis non ſolum maxime neceſſariam, verum etiam vtiliſſimam eſſe. Sola namq; humanarum artium ſanitatis ac vitæ cuſtos eſt, vim mentis hebetatam corrigit, iudicium acuit, ingenium expolit, memoriam labefactatam reſtituit, animi mores ad virtutem componit, morbos impendentes arcet, exorientes impedit, natos exſtinguit, vires collapſas inſtaurat, ſemimortuos alteroq; pede ſepulchrum occupantes in vitam reuocat: dum qui cibi, qui potus, aer, ſtudia, medicamenta, habitationes, exercitia, cuiq; conducant, aut noceant, ſola præſcribere docet. Intellexit hoc præclare Carneades, qui non prius ad diſputationem prodire ſolitus eſt, quam caput Elleboro purgauiſſet. Iuſtiſſime igitur Hippocratis verbis orationem claudere poterimus: διὸ δεῖ ἀναλαμβάνοντα τῶν προειρημένων ἕκαστα, μετάγειν τὴν σοφίην ἐς τὴν ἰητρικὴν, καὶ τὴν ἰητρικὴν ἐς τὴν σοφίην· ἰητρὸς γὰρ φιλόσοφος, ἰσόθεος· πολλὴ γὰρ διαφορὴ ἐπὶ τὰ ἕτερα· καὶ γὰρ ἔνι τὰ πρὸς σοφίην ἐν ἰητρικῇ πάντα.

Dixi.

METHODVS

METHODVS BREVISSIMA TOTIVS MEDICINAE, TRADITA A THOMA ERASTO D. medico celeberrimo.

An poßit breui temporis ſpatio totius medicinæ methodus perdiſci.

GAl. 2. cap. lib. 9. de placitis Hippocratis & Platonis teſtatur nullam eſſe methodum quin poſſit anni ſpatio perdiſci.

At multæ ſunt artes & ſcientiæ, quæ longiorem requirunt methodum, quam Medicina: Multo igitur minori ſpatio hæc perdiſci poterit.

Obiicies: tamen Hippocrates inquit Aphoriſmo 1. Vitam eſſe breuem, artem vero longam.

Reſpondeo, verum id eſſe: ſed quod dicit ſuperius Galenus, de eo intelligitur, cum tantum generalia præcepta traduntur. Si vero ad vſum illa accommodentur, recte cum Hippocrate dicitur artem eſſe longiſſimam.

De vtilitate Medicinæ multa dici poſſent, ſed breuitatis ſtudio a nobis omittũtur, cum ea res ab omnibus fere, qui de Medicina ſcripſerunt, copioſiſſime tractetur, verum ea ſummatim ex ipſius Medicinæ definitione colligitur.

Quid ſit Medicina.

EIus definitiones ſunt variæ: varie enim ab Hippocrate, & iis qui eum ſecuti ſunt, eſt definita. Aliquando dicit, vt libro de Arte, Medicinam eſſe, Morbos ab ægris in totum tollere, & morborum vehementiores impetus retundere, aut certe minuere, & ad incurabiles morbos manum non adhibere; vel eorum qui morbis victi ſunt, curationem non aggredi, cum in confeſſo ſit Medicinam tales ſanare non poſſe. Aliquando aliter, vt libello de Flatibus, Medicinam eſſe additionem, & ſubtractionem. Additionem eius quod deeſt. Subtractionem eius quod abundat. Quæ definitio expoſita, & rationibus confirmata eſt a Galeno in libro cui titulus eſt Introductorius, ſiue Medicus. Item 11. metho. cap. 12.

Aliter definit Galenus lib. de opt. ſect. Item in libro de conſtitutione artis medicæ, & in libro vtrum Gymnaſtica pertineat ad medicinam.

Varie etiam ab aliis eſt definita. Auicenna ait Medicinã eſſe artem, quæ ſanitatem præſentem conſeruat, & amiſſam reſtituit. Quæ definitio etiam Auerroi placuit, ſed addidit ille: Eſſe notitiam corporis humani quatenus eſt ſanum, conſeruandi, & quatenus ægrotum reſtituendi.

Verum hæ definitiones omnes extra rem ſunt, & cum proprie, & accurate eſt loquendum, & per ſe ſi conſiderentur, non deprehenduntur.

Certum eſt artem Medicinæ non eſſe actionem aliquam. Sed additio & ſubtractio ſunt actiones: Ergo ars medicinæ non poteſt eſſe additio, & ſubtractio.

Ratio: nam actiones artium, nõ ſunt eſſentiæ artium, ſed definitiones ſunt eſſentiarum. Ergo. Differunt enim actiones artium, & ipſæ artes, tanquam effectus, & cauſa. Atque hæc definitio potius cõueniret medicationi, quæ aliud nil facit, quam vt addat & ſubtrahat. Non recte etiam dicitur medicina ars, quæ conſeruet, & reſtituat.

Primum enim rurſus definitur per ea quæ agit. Deinde eum finem non ſemper conſequitur. Galenus etiam ait in lib. Introduct. medicinam non definiendam ex iis, quæ cum facit aliud ſequitur: Medicina enim proprie non conſeruat ſanitatem, vel reſtituit, ſed facit quædam ex quibus hæc conſequũtur. Exempli cauſa: Medicus nouit febrem accenſam eſſe a putrefactione, putrefactionem oriri ab obſtructione: cogitat ergo quomodo poſſit tollere obſtructionem, qua ablata, cætera conſequuntur. Ergo medicinam ſi quis recte velit definire, cogitet quod ſit ars, & habitus animi noſtri, ſeu intellectus, ſeu animæ, qui ſit ſtudio, & exercitatione comparatus. Ergo erit facultas, ſeu habitus quidam ingenii noſtri, qui docet quo pacto, quáue ratione poſſit præſens ſanitas conſeruari, & abſens reſtitui. vel, ſecundum Hippocratem: Eſt habitus docens addere, & ſubtrahere, qua ratione id quod deeſt addendum, & quod abundat, ſubtrahendum ſit.

Et ea ratione definitio inſtituta eſt a fine, quæ etiã optima: Nã eſt cauſa propter quam, quæ inſtituit nos quid agendum ſit in omni re circa corporis humani craſin verſante. Et eſt cauſa quæ informat ſubiectum, & facit eius cauſa ſubiectum vt conſideretur. Scopus enim, ſeu finis medicinæ, eſt ſanitas.

Vtrum medicina ſcientia ſit an ars?

Auicenna, Auerroes, Bruſianus monachus, Conciliator, & alii plurimi opinati ſunt, medicinam eſſe ſcientiam, plerique tamen non totam putarunt eſſe ſcientiam, ſed partem eam quæ practica dicitur inter artes retulerunt. (ſcientiæ habent finem propoſitum, ſcire, neque amplius quærunt, artes vero non vt ſciant, ſed vt agant aliquid.) Galenus, omneſque Græci inter artes collocant medicinam. Vt Gal. de opt. ſect. lib. de conſtitutione artis medicæ, circa principium, & finem. Item vtrum Gymnaſt. pertineat ad medicinam. Ariſtot. in Ethicis & Metaphyſicis. Cum vero Galenus ipſam ſcientiam appellat, vocabulo (ſcientia) generaliter vtitur, vt cum ex ſententia Herophili, ſciẽtiam ſalubrium, & inſalubrium, & neutrorum vocat, ſtatim addit, Intelligo autem ſcientiam communiter. In ſumma, Græcorum omnium ſententia eſt, eam eſſe artem, non ſcientiam.

Vtrum medicina recte diuidatur in Theoreticam, & Practicam?

Semper recurrendum eſt ad finem: Sententia enim Galeni & omnium Philoſophorum eſt, Artes non rectius, neque melius diſtingui poſſe quam fine, qui nihil aliud eſt, quam forma, & anima artium.

Fines vero omnium methodorum non plures quam tres poſiti ſunt.

Omnes methodi finem habent {
- Scire,
- Agere, quod fit quoties poſt actionem nihil relinquitur; quod poſſumus oſtendere, quia habet eſſe ſuum tantum in fieri.
- Facere, cum poſſumus aliquid, vbi deſiimus, relictum oſtendere.

Diſcrimen inter actionem, & Factionem (ſi ita licet dicere) hoc eſt, quod actio nihil poſt ſe relinquit, vt eſt videre in cantatione, & ſaltatione. Factio (vt ita dicam) poſt ſe opus oſtendit, vt id ſcriptione, & artificiis fere omnibus.

Quartus finis eſſet is, quẽ Galenus videtur addere, ſcilicet Acquirere aliquid, vt piſcatoria, venatoria. Sed & ille refertur ad duos poſteriores illos fines, maxime vero ad tertium.

Omnis igitur ars, aut ſcientia exiſtit, vt aut ſciatur tantum, aut vt in Actionem, vel opus aliquod euadat.

Medicina vero finem habet, vt poſſit ſcire quæ ſint ad recuperandam ſanitatem vtilia.

Habet igitur finem vel agere, vel facere. Sed non agere: nam relinquit opus aliquod. Collocatur igitur inter artes actiuas nõ ſpeculatiuas, ſeu eas quæ diſcuntur, vt faciant aliquid: Opus enim quod relinquit Medicina, eſt ſanitas, quæ poteſt oſtendi. Sed tales ſunt artes ex omnium hominum ſententia: Ergo & medicina eſt Ars.

Mirabilis igitur eſt Auicẽnæ diuiſio, & nõ multo diſſimilis tali: Animalium aliud eſt ratione præditum, aliud ratione caret; & ſi item dicatur, Rationalium eſt aliud rationale, aliud ratione carens. non enim diuiſio eſt facienda, in qua rurſum coincidat membrum diſtinctionis prius factæ.

Scientia alia eſt Notitia, alia quæ ad opus accommodatur. Fines generales duo ſunt. Scire, & operari, & quot ſcopos habet operatio, tot ſunt artes. Obiectio. At multæ ſunt res in medicina contemplatiuæ vbi tantum ſpeculandum. Reſponſio. Nulla eſt ars, nulla notitia, quæ non ſit ſpeculatio, quæque per contemplationem non diſcatur tota. Vt in anima noſtra artem habemus, ita verbis, & ſcriptura exponimus.

Qualitas igitur in anima eſt ars, & cauſa Actionis & operationis, vt muſica non eſt cantatio, ſed habitus per quem apti ſumus ad cantandum; ita medicina non eſt medicatio ſed habitus, per quem apti ſumus ad medicandum.

Diligenter diſtinguẽdum eſt inter Theoreticam & Practicam, quæ vtraque eſt habitus. Hæc docens facere, illa ſcire. Similiter diſtinguẽdum inter Theoriam, & praxin, quæ ſunt operationes iſtorum habituum. Ex quo perſpicitur perperam medicinam in practicam & ſpeculatiuam diſtingui. Non minus abſurde etiam facient qui in praxin, id eſt actionem, & Theoriam, id eſt ſpeculationem eam diuidunt, cum hæ tantum ſint operationes artis. Habẽt

autem

autem praxis,& Theoria ſe eodẽ modo, quo fines artis ad ipſam artem,& quemadmodum præmiſſæ ad concluſionem. Concluſio enim non eſt pars præmiſſarum, vel ſyllogiſmi (proprie enim loquendo præmiſſæ ſunt tantum ſyllogiſmus) ſed effectus ſyllogiſmi. At præmiſſæ ſunt propter concluſionem, & tamquam cauſæ. Quemadmodum igitur præmiſſæ ad concluſionem ſe habent, ita artes ad actiones & arte facta. Medicatio igitur eſt quaſi concluſio. Conſideratio vero, cogitatio cauſarum morbi tantum præmiſſæ.

Cæterum vbi negligentius loquimur ibi concluſionem pro parte ſyllogiſmi ponimus, ita etiam fit, cum actionem partem artis facimus: Actio enim non eſt pars artis ſed effectus. Ars ſemper facit maiorem, & minorẽ, medicina eſt ratiocinatio maioris,& minoris; ſed concluſio eſt ipſa exhibitio. Et quamuis minor propior ſemper ſit concluſioni, non tamen ideo concluſio eſt, vel pars concluſionis, ſed pars cauſæ concluſionis; ita etiam deliberatio de adhibendo medicamento eſt propior adhibitioni, non igitur eſt adhibitio. Medicina, ſi proprie loquamur eſt ars effectiua, non ſimpliciter factiua. Ariſtot. libro de communi animalium motione, id quod de ſyllogiſmo, præmiſſis,& concluſione diximus, egregie illuſtrat.

Quid ſit medicus proprie?

Ariſtoteles triſariam dicit ſumi medicum: 1. pro opifice, vt pote pharmacopœo, vel alio aſtante, qui a medico iubetur. 2. pro architecto, vt qui iubet, qui ſcit artem. 3. pro vſu perito,& qui ex vſu quodam medetur tantum, licet ſcientiam artis non habeat. Vide Ariſtotelem lib. 3. cap. 2. pol. item lib. 1. de partibus animalium. Platon. in Gorgia, ſiue Rhetore, vbi peritos negat eſſe artifices, qui artis totius cauſas reddere nequeant.

Medicinam eſſe effectiuam artem.

Omnium medicorum ſententia eſt, omnem mentem, aut animam informatam, eſſe contemplatiuam, aut actiuam, aut effectiuam: & contemplatiuam nullam eſſe actiuam, aut effectiuam: quatenus eſt contemplatiua: & nullam actiuam aut effectiuam poſſe eſſe contemplatiuam, quatenus eſt actiua aut effectiua.

Omnes notitiæ vel ſunt { Contemplatiuæ,
Actiuæ,
Effectiuæ.

Et quidẽ cõtemplatiuæ habent finem, ſcire, ſed actiuæ, & effectiuæ non tantum ſcirẽ, ſed prætetea aliquid. Ita medicinam diſcimus, non vt ſciamus, ſed vt medeamur; illud vero iterum diuidere in Theoreticam & practicam plane ridiculum eſt.

Omnium artium theoremata (vt & medicinæ) neceſſario requirunt hæc tria. Primo vt ſint vera. Secundo vtilia, ad finem ſcilicet propoſitum. Tertio, vt ſint conſentientia inter ſeſe, nimirum cum antecedentibus & conſequentibus.

Ponamus igitur partem medicinæ, atque omnia eius partis theoremata, quæramusq; an ſint theoremata medica, quod nemo negabit. interrogemus amplius an vera? Si vera, an vtilia, ad finem illius artis (nam vtilitatem theorematum meditamur ad finem aliquem) ſcilicet eius cuius ſunt theoremata. Vide Gal. lib. 5. cap. 6. de ſimplic. med. facultatib. & in memoriam reuoca quæ in expoſitione noſtra leuiter dicta ſunt.

Sumamus igitur eſſe vtilia, ipſa igitur pars vtilis ad medendum dicenda erit. Si igitur vtilis ad medendum, non eſt ſpeculatiua ſed practica. Si non vtilis, non erunt theoremata medica,& cuius ſunt theoremata, non pars medicinæ. Nam aut ſunt theoremata medica, aut non: ſi non medica, nõ pertinent ad artem: ſi medica, habebunt id omne quod theorema habet, vt ſint vera,& vtilia, & conſentientia. Ergo directa ad opus: quæcumq; vero opus reſpiciunt ſunt practica.

Exemplum ex lib. 1. Eth. cap. 2. Ariſtotelis ad Nicom.

Faber, inquit, & geometra diuerſo modo conſiderant rectum angulum. Geometra quid,& quale ſit. Faber vero nõ quid & quale ſit, ſed quatenus ſolummodo ad opus vtile eſt, & ad finem poteſt accommodari (quando res aliqua conſideratur per ſe, pertinet ad ſcientiam, quando vero quatenus ad opus vtilis, tũc eſt ſubiectum artis, id eſt factum practicum) vide Ariſtot. 2. metaphyſ. diſtinctio. 5 Nam finis ſcientiarum contemplatiuarum, eſt veritas, aut veritatis conſideratio: Earum autem quæ agunt, aut faciunt non veritatis cognitio, ſed opus aliquod. Igitur illæ conſiderant actiones non res, quomodo per ſe habeant, ſed vt nunc ſunt, & quem vſum habeant. Qui conſiderat res in ſe ipſis, dicitur contemplator, qui per finem

earum, quatenus ſcilicet eædem illæ res ſunt vtiles ad opus aliquid, non amplius contemplator, ſed actor appellatur. Hoc igitur diſcrimen eſt inter contemplatorem, & practicum, quod eandem rem conſiderantes, contemplator vt ſciat, actor vt agat, habet propoſitum.

DIVISIO.

Quot ſint partes medicinæ?

Partitio Medicinæ valde eſt difficilis: itaque vt eam recte partiaris, diligentiſſime euoluas neceſſe eſt libellum Galeni de partitione artis medicæ.

In fine libelli illius, ait mirum nemini videri debere, quod tam varias attulerit diuiſiones: res enim omnes varie poſſe diuidi. Sed non eſt quod hoc nos turbet. Quare veram methodum ſequamur & artem ſecundum eius propriam naturam diuidamus.

Confeſſum eſt omnibus, res per materiam eſſe plures, neque per formas poſſe diuidi. Omnia enim per formam vnũ ſunt, & diuiſiones earum fiunt a materia, quæ eſt cauſa multiplicationis. Videndum igitur quæ materia, ſeu quod ſubiectum artis noſtræ medicæ ſit.

Diuiſiones aliæ ſunt eſſentiales, aliæ accidentales: noſtræ vero eſſentiales eſſe debent. Cuiuſque vero rei eſſentia, eſt materia, & forma. Ergo vel a materia, vel a forma diuiſio eſt ſumenda.

Materia autem artis noſtræ (ſi proprie loquamur) nulla eſt: accidentia enim nõ habent materiam ex qua, ſed tãtum in qua, id eſt, in qua inſunt. Huiuſmodi igitur, (ſcilicet materiam ex qua) nec Medicina, nec aliæ artes habent. Materia in qua eſt animus noſter, in quo eſt notitia artis, quæ notitia dicitur Ars medica.

Materia circa quam, id eſt, in quam explicat ars opus ſuum, eſt corpus humanum, quatenus morbis & ſanitati eſt ſubiectum, animus noſter, vel nos ipſi per artem illam imprimimus in corpus illud, per quod vel conſeruatur, vel reſtituitur.

Finis noſtræ artis ſanitas determinat nobis ſubiectum, ſcilicet corpus humanum. Forma igitur huius ſubiecti propter quam, id eſt, ſubiectum Medicinæ eſt ſanitas: forma vero, vt omnium artium aliarum, ita etiam noſtræ eſt finis (animaduertendum, nos, cum dicimus finem eius eſſe ſanitatem, non diſtinguere finem a ſcopo, ſed finem, intentionem & ſcopum pro eodem habere: non conſideramus enim ſolum artificem, ſed artem artificis, cuius rei adeptio finis eſt) quatenus ſanitatem introducere cupimus, eſt ſcopus: quatenus autem iam introducta eſt, eſt finis.

Nunc videamus, quo modo poſſimus diuidere. Medicina non poteſt diuidi per ſe: eſt enim quiddam indiuiſibile, affectus ſcilicet animi. Nõ poteſt etiam diuidi a materia ex qua, quam nullam habet. Neque diuidi poteſt ratione ſubiecti in quo: id enim indiuiſibile eſt, quippe animus noſter. Diuidatur ergo ratione ſubiecti in quod, vel circa quod, ratione ſcilicet corporis humani. Quod ſi faciamus, partes eius erunt alia quæ curet oculum, alia quæ aliam partem, vel erunt quæ curent morbos, fietq; diuiſio a fine, vt ſit vna pars, quæ febribus, alia quæ aliis morbis medeatur. Sed hac ratione infinitæ fient partes. (Igitur male faciunt, qui diuidunt eam in duas partes; vnde etiam doctores vtriuſque Medicinæ vocantur.)

Cum vero hoc ſit incommodum, ratione formæ diuidamus, inueniemuſq; duas Medicinę partes: nam ſicut ſanitas ſe habet diuerſo modo, ita etiam diuerſas partes habet: nam vel præſens eſt & conſeruanda, vel abſens & reparanda. Hæc igitur erit diuiſio. Omnis Medicina aut ſalubris, aut θεραπευτικὴ, id eſt, aut conſeruatrix, aut reparatrix eſt. Sed ne ſic quidem ſatis accommodatam noſtro inſtituto habemus diuiſionem.

Fit ſæpe, & non ab eſſentia rei, ſed a commoditate docendi & rem tractandi diuiſio formatur. Quod nobis etiam in præſentia faciendum eſt, cum non poſſit haberi diuiſio proprie eſſentialis, vtpote neque a materia, neque a forma, atque accidentalis prorſus indigna noſtra ſit arte. Inquirenda igitur talis, quæ ſi non proprie eſſentialis, tamen etiam non accidentalis, ſed quaſi media ſit, alioqui non poterimus integram artem per partes generatim tractare & conſiderare. Sed interim tamen ab eſſentia rei non diſcedendum, alioqui longiſſime aberrabimus. Repetenda igitur hic definitio eſt, e qua intelligimus, Medicinam nihil aliud eſſe, quam collectionem quandam theorematum & notionum, ſiue præceptorum, quæ omnia conſentiunt & faciunt ad hunc finem conſequendum. Ergo quot erunt iſtæ notiones, tot poterimus facere diuiſionis partes, ſeu quot erunt operationes, tot conficiemus partes: notio enim omnis intelligitur in relatione ad aliquid, id eſt, alicuius rei eſt notitia, alioqui intelligi non poſſet, niſi ſciretur, cuius rei eſſet notitia: ſicut & res cuius eſt notio, vel notitia tantum in relatione intelligitur. Cum igitur medicina nihil aliud ſit, quam talis collectio notionum, illæ, ſicut res, quarum ſunt notiones, diuidi poſſunt. Et cum res Medicinæ ſint variæ, ars etiam ipſa

ſiam ipſa varie poterit diſtribui (exemplum; res logica in definitionem & argumentationem tanquam præcipuas partes diuiditur. Recte igitur ex ipſa Logica in notitias definiendi & argumentandi diuiditur) At res circa quas verſatur Medicina ita ſunt, vel ita ſe habent, vt quædam dici poſſint naturales, vtq; earum natura perſpecta, eas conſiderare poſſimus; vel conſideramus vt cauſas, quibus cognoſcimus morbos, vel vt ſigna, per quæ cognoſcimus morbum præſentem vel futurum, vel vt inſtrumenta, per quæ introducitur ſanitas.

Vno diuiſo relatiuo, diuiditur & alterum, potentia ſcilicet, vt pater, quatenus pater eſt, diuiditur: ita & filius, quatenus eſt filius, poteſt diuidi, vel diuiditur potentia. Ita quatenus res diuiduntur in cauſas, ſigna, inſtrumenta, ſunt ipſarum quoque rerum notiones, quatenus earum ſunt notiones, ita diuidi poſſunt: ſiue igitur dicatur hæc diuiſio ab eſſentia, ſiue ab actionibus, ſatis nobis ſit, quod ita poſſimus comprehendere integram docendo. Sunt quidem diuiſiones tales ab actione, vel operatione ſumptę, & non ſunt proprie eſſentiales, quæ ſumuntur a materia. Nos tamen hanc rationem ſequamur, & habeamus ordinem tractandi totam artem, niſi accidentalem velimus diuiſionem accipere aliquam, quæ eſt indigna noſtra arte. Poſſumus illam diuiſionem ſumere vel pro ratione actionum, quæ ſumitur a differentia rerum, quarum eſt notitia; vel poſſumus ſequi illam diuiſionem, quam alii habent, qui Medicinam in quinque partes hoc modo diuiſerunt:

I, Φυσιολογικὴ, quæ Naturam habet ſubiectum, & omnium eorum, quæ ad naturam rerum pertinent conſiderationem, maxime vero conſiderat corpus humanum.

II, Αἰτιολογικὴ, quæ etiam παθολογικὴν comprehendit, quæ cauſas, affectus præter naturam, & ſymptomata inquirit.

III, Σημειωτικὴ, quæ explicat ſigna, quæ morbum præſentem oſtendunt, & futurum indicant.

IIII, Ὑγιεινὴ, quæ conſiderat corpus noſtrum, quatenus ſanum eſt.

V. Θεραπευτικὴ, quæ docet morborum curationem, atque in alias tres diuiditur partes.

I, Διαιτητικὴ, quæ victus ratione	curandi rationem tradit.
II, Φαρμακευτικὴ, quę medicamentis	
III. Χειρουργικὴ, quæ manuum opera	

Sunt partes aliæ quædam, quæ ſub aliquo ex prædictis comprehendi quidem poſſunt, modo, licet non admodum commode. Cæterum, quia meliorem hac non habemus diuiſionem, eam retineamus neceſſe eſt.

Repetatur hic definitio Herophili, quæ bona eſt, nosq; eam ſeruaremus, ſi nobis methodo definitiua progredi animus eſſet, ſed ſic ad inſtitutũ noſtrum deeſt ipſi aliquid. Quamuis enim ſciam, quid ſalubre, quid inſalubre, & quid neutrum; non tamen totã habeo artem. Oportet enim me præterea tenere modum artis quo propellam morbum, & conſeruem, vel reſtituam ſanitatem.

Recte quoque dicitur a medicis, quæ conſideramus in Medicina, ea eſſe, aut naturalia, aut non naturalia, aut præternaturalia. Naturalia vt corpus, ſanitas, actiones illæſæ. Non naturalia, vt auxilia, quæ adhibemus, item aer, cibi, potus, &c. Præternaturalia, vt morbi, ſymptomata. Hæc bene conueniunt cum priori diſtributione: naturalia enim ſalubribus, & præternaturalia inſalubribus reſpondent, & non naturalia neutra dici poſſunt, quia ſcilicet naturalia ſint & ſalubria, ſin contrà morbos in nobis generent, præternaturalia ſint, & inſalubria.

Hæc igitur diuiſio continet ea quæ in arte ſunt conſideranda, ſolo modo adhibendi excepto.

Cæterum nos diuiſionem ſupra a nobis poſitam ſeruabimus, & primo de Phyſiologica agemus. Eam diximus nihil aliud eſſe, quã tractationẽ ſubiecti Medicinæ, id eſt corporis humani. Ex quo perſpicitur ad hanc partem pertinere conſiderationẽ earum rerum, circa quas verſatur Medicina, nimirum humani corporis, & partium ipſius, & vſus omnium partium, virium, naturæ, & facultatum omnium medicamentorum.

In hac parte, vt & in reliquis omnibus tractanda, hunc obſeruabimus ordinem. primo indicabimus libros Hippocratis & Galeni eam præcipue tractantes. Deinde nos quamlibet per ſuas partes generaliter tractabimus.

Libri Hippocratis & Galeni ad hanc rem pertinentes.

De natura humana, maxime primus.
De elementis.

De temperamentis, & quicquid de humoribus apud illos extat.
De naturalibus facultatibus.
De atra bile.
De anatomica adminiſtratione.
De ſectionibus tam particularibus quam vniuerſalibus.
De vſu partium.
De fœtus formatione.
De ſemine.
De placitis Hippocratis & Platonis: qui liber non proprie quidem huc pertinet, ſed tamen vtcumque habere locum poteſt inter libros de Elementis.

Partes Phyſiologicæ.

Ad Phyſiologicam pertinet conſideratio
1. Ipſius naturæ in genere.
2. Elementorum, & miſtionis.
3. Temperamentorum.
4. Humorum, ex elementis.
5. Partium ſimilarium ex humoribus factarum.
6. Inſtrumentalium ex ſimilaribus compoſitarum.
7. Totius corporis ex inſtrumentalibus orti.
8. Partium ſingularum.
9. Facultatum, animalis, vitalis, naturalis.

His ſi addiderimus conſiderationem ciborum, & medicamentorum, habebimus primam partem artis.

Quid ſit Natura?

Natura ſumitur philoſophice, & medice.

Philoſophis bifariam ſumitur, vniuerſaliter, & particulariter.

Natura vniuerſalis apud philoſophos nil aliud eſt niſi vis ſeu poteſtas quædam quæ omnia gubernat, regit, generat, c. rrumpit. Hæc dicitur ab aliis anima mundi, ab aliis Idea, intelligentia ſublunaris, Deus ipſe, cœli, ab aliis aliter. Proprie autē & re vera nil aliud eſt, quam ordinaria Dei poteſtas, illa facultas, illud iuſſum, & mandatū Dei, quod Deus indidit omnibus rebus in prima creatione, vt ita agerent, quo modo iuſſit omnes hoc facere, quod faciunt. Et vt primo condidit, ita ſeruat adhuc omnia. Igitur Auguſtinus, & ſcholaſtici theologi pie tradiderunt, non differre creationem a conſeruatione proprie, & conſeruationem nil aliud eſſe quam perpetuam creationem (Exemplum: ſi aliquid attrahimus, & attractum ad corpus retinemus, tunc illa retentio nihil aliud eſt, quam perpetua tractio) Nam niſi ſeruarentur omnia, redigerentur in nihlium.

Hæc ſententia fuit omnium philoſophorum: ſed quia nō fuerunt illuſtrati lumine diuinitus, non potuerunt intelligere. Etſi enim Ariſtoteles mundum æternum dicat, cogitur tamen dicere factum, & fingere fuiſſe initio materiam informem, vbi dicit Deum, & naturam nil facere fruſtra, intelligit de natura vniuerſali. Item in libro de generatione quem explicans Auerroes eo deuenit, vt diceret creatum eſſe.

Natura particularis eſt, quæ in rebus ſingulis ſingulari modo ineſt. Quæ nihil aliud eſt, quam principium, & cauſa eius cui ineſt primo, per ſe, & non ſecundum accidens, vt Ariſtoteles docet ſecundo phyſic. quem locum ſolus Simplicius recte intellexit, atque illum ſequutus Schegkius in commentariis in lib. 6. Top. fol. 28. Simplicius in comment. in lib. 2. phyſic. textu 16. & 17. vno verbo Ariſtoteles intelligit naturam eſſe aptitudinem rerum omnium, quâ ſunt aptæ vt moueantur. Ratio ſeminalis eſt, vt Auguſtinus, & theologi dicunt imitati hac in parte Ariſtotelem, facultas indita rebus, vt poſſint hoc fieri, & non aliud, quæ oritur ex materia, & forma. cæterum pro priuatione aptitudo ponitur.

Natura magis particularis, non illa quam ſeminalem rationem vocant, totam illam vim, quæ toti cuilibet ineſt corpori, ſignificat. Habet vero illa ſeptem, aut octo ſignificationes.

De natura ſecundum medicos.

Natura apud Medicos multo plura ſignificat, quam apud philoſophos.

1, Temperamentum, atque huius teſtimonia tam multa extant, vt non poſſint recenſe-

ri. In

ri. In 2 partit. Aphoriſ. Aphoriſ.34. Hippocrates in ſignificato maxime proprio poſuit temperamentum. Item Apboriſ. quo dicit per hyemem & æſtatem naturam mutari, vel alterari.

II, Facultatem naturalem quæ & in toto corpore, & ſingulis partibus ineſt 6. Epid. Comment.5 Expo. primæ particulæ vel ſectionis Aphor.7. Naturas ait eſſe morborum medicatrices. Item eſſe vim quandam quæ rebus inſit, & eas regat, atque gubernet. 1. Epid. 2. Comment. Expoſ. Aphoriſ.46.

Quinto de ſympto. cauſis cap.2. Si morbus, inquit, facultatem vicerit, æger moritur, vbi manifeſte de natura agit.

III, Conſtitutionem ſeu formam corporis, fabricā corporis 2. Aphoriſ. in expoſ. Aphoriſ.34. Qui natura habent thoraces anguſtos, natura proni ad phthiſim.

IIII, Ipſam formam ſubſtantialem, vel ipſam corporis ſubſtantiam. Huius habes teſtimonium in libello, cui titulus eſt, Qnod animi mores ſequuntur temperamentum corporis. Eodem etiam lib. dicitur Stoicos imaginatos eſſe ſibi naturam eſſe quendam ſpiritum.

V, Idem quod innatus calor, qui quid ſit poſtea erit dicendum. 5. Aphoriſ.22. lib. de marcore, libello de palpitatione. Item 4. Apboriſ.37. Differt autem calor innatus multum a temperatura, atq; etiam a tota ſubſtantia.

VI, Materiam, formam, & omnia quæ conſequuntur temperamentum, & totam ſubſtantiam, id eſt, corpus, animam, & actiones quæ inſunt corpori. 3. de Temp. cap.4. Item in edito nuper in lib. Galeni qui continet Hippocratis libel. de humoribus, quem interpretatur Galenus, ſignificat primā ſubſtantiam, ex qua res omnes factæ ſunt, quæ nil aliud eſt, quam materia prima, vel medice quatuor elementa. Et qui de hac loqnuntur naturales ſunt vocati philoſophi. Item in ipſius fragmenti expoſitione, ait naturam ſignificare temperamentum, diſtributionemſ, fabricationem, commoderationem totius corporis.

VII, Conſuetudinem, inde conſuetudo altera natura & acquiſititia natura dicitur libello de Conſuetudine.

VIII, Propenſiones cuiuſque rei naturales, inclinationem naturalem animorum. Stepha. Athenienſ. in explicat. lib. ad Glaucon. ſtatim ab initio de eo monet.

Lib. de fœtus formatione. lib. de locis affectis vbi docet naturas animalium eſſe indociles, id eſt non egere magiſtro qui illas doceat.

De Elementis.

Repetantur hîc ea, quæ ſupra de theorematis dicta ſunt. Theoremata dicuntur omnia eſſe vulia; ſi igitur cōſideratio elementorū nobis eſt vtilis; eſt tractanda. Cæterum quæri poteſt vtrum Medico vtilis ſit tractatio elementorum. Vtilitas theorematum conſideratur ex fine, ſi igitur ad finem facit, vtilis erit. Finis Medicinæ propoſitus eſt ſanitas. Sanitas autem eſt conſtitutio corporis conſurgens, vel oriens ex mutua temperatura, & conformatione partium, ſecundū quā temperaturā & compoſitionē omnes bene, aut male habent. Quod ſi cōpoſitum nō cognouerimus, tum finē cōſequi nō poterimus. Cōpoſitum aūt cognoſci nō poteſt, niſi cognitis componentib. Componentia vero ſunt elemētorum qualitates, ex quibus temperatura & materies ex qua corpus fit. Scire igitur quid elementa, & quot ſint vtile eſt Medico. Item ſi corpus recte vel male agit, prout recte vel male affectæ ſunt partes. Partes autem compoſitæ ex elementis, qnomodo poſſint ex elemētis mutari & conſeruari neceſſe eſt Medicum ſcire, item recte affectam naturam debemus conſeruare, & non rectam corrigere.

Quædam igitur de elementis ſi conſiderentur ſunt vtilia Medicis, quædam non. Vt mouetur quæſtio valde difficilis, elegans tamen & erudita: Vtrum cum ex elementis inter ſe confuſis generantur miſta, ipſa elementa in miſtis ſeruentur actu, ſiue virtute: Verum, ſiue hoc fiat, ſiue illud: id eſt, ſiue in miſtis maneat eorum forma, ſiue nō, nihil ad Medicum attinet, qui ſolas qualitates conſiderat: Cum Philoſophi res conſiderent, vt in ſe ipſis ſunt, nulla comparatione ad rem aliquam aliam facta. Medici logicas vocant.

Quæſtiones de elementis {
- Philoſophicæ, quando tranſcendunt vſum.
- Medicæ, quando non tranſcendunt vſum, eiuſmodi quatenus elementa ſunt elementa.

Tractabimus igitur nos: Primo quid ſit elementum: Secundo quot ſint: Tertio quomodo ex iis fiat miſtio.

Quid ſit Elementum?

Galenus definit (1. de elementis cap.1. & 8. de placitis Hippocratis & Platonis cap.2. & alibi ſæpe) eſſe minimam partem, eius rei cuius ſit elementum, & addit (in 2 cap.8. de placitis

Hippocratis & Platonis) quiddam quod ſcitu adprime eſt neceſſarium: eſſe elementum ad aliquid, vt eſt pars. Sicut enim pars eſt relatū ad totum, ſic elementum (vt ita dicam) ad elemētatum. Deinde hoc quoq; conſiderandum: eſſe nimirum partem eius rei, cuius eſt elementū, non quæ videatur, ſed quæ intelligatur. Ariſtot. 1. de ortu & inter. c. de mixtione. Si elementum eſt pars minima, ergo alicuius erit elementum, alicuius non. Quod. n. ei, qui accuratiorem habet viſum elementum eſt, id eſt minima pars, alteri, qui habet viſum obtuſiorem non æque elementum eſſe poteſt. Vox igitur, MINIMA, intelligenda, quod ratione, non ſenſibus ſit pars talis. Quando dicimus quod non poſſit diuidi in minorem partem, minorem non intelligimus quantitatem, ſed formam, id eſt, quæ non poſſit diuidi in alias partes alicuius ſpeciei, ſed tamen vt non poſſit videri compoſita. Notare præterea oportet, cum dicamus, vel definiamus elementum, eſſe intelligendum per comparationem ad id, cuius eſt elementum: Aliud enim elementum quatenus corpus ſimplex, & aliud quatenus elementum. Sed quærat aliquis cur non dicamus idem eſſe corpus ſimplex & elementum. Dicimus igitur, quia corpus ſimplex non conſideratur vt elementum, nec eſt elementum: ſed quatenus conſideratur quod poſſit ex eo conflari aliquid, eſt elementum. Quæret item aliquis, vtrum elementa ſint contraria. Reſpondemus eſſe contraria. Neceſſe eſt enim principia rerum eſſe contraria. Quod ſi obiiciatur nos contradicere Ariſtoteli, & omnibus Philoſophis, qui dicunt ſubſtantiæ nihil eſſe contrarium, & elementa eſſe ſubſtantias. Reſpondebimus Ariſtotelem quidem lib. de ſenſu & ſenſilibus aperte dicere, & vere, igni, aeri, &c. nihil eſſe contrarium, nec ignem aëri, vel aquæ eſſe contrarium. Cæterum, idem etiam ait habere in ſe elementa qualitates contrarias. Quatenus igitur conſiderantur, vt ſubſtantiæ, non ſunt contraria: verum conſiderata vt habentia & poſſidentia qualitates contrarias recte dicuntur etiam contraria. Elementum eſt igitur tale, non ſolum quatenus eſt ſubſtantiæ, ſed quatenus habet qualitatem. Ignis igitur, aër, aqua, terra elementa ſunt, quatenus calida, frigida, humida, ſicca. Ac tametſi neceſſe eſt ea cum ſubſtantia coniungi in miſtione vel miſtis: tamen a forma ſunt talia, non a qualitatibus illorum.

In igne non caliditas facit ignem: ſed forma, quam indidit illi Deus. Forma autē nihil aliud eſt, quam iuſſus ille Dei, quo iuſſit vt talis eſſet, & ſe ita propagaret. Quando igitur ea conſideramus, vt ſunt talia, conſideramus etiam formam: Quando vero conſideramus corpora, quatenus habent eam naturam, & eas qualitates, dicuntur elementa, qua ratione in præſenti loco vſurpamus. Atque hoc modo verum eſt, quatenus ſunt rerum principia ipſa eſſe contraria. Non enim conſideramus formas eorum, ſed qualitates. Inde poſſemus diſputare, vtrum in miſtis formæ eorum manerent. Sed quia præter rem hoc eſſet, omittimus, præſertim cum ea de re aliquid ſit dicendum in tractatione de miſtis.

Sufficiat igitur hoc loco ſcire: Elementum eſſe minimam partem eius rei, cuius eſt elementum, non quæ videatur oculis, ſed quæ ratione deprehendatur, neque poſſe elemēta intelligi, niſi comparatione eorum, quorū ſunt elementa relatiue, nempe reſpectu elementati.

De ſpeciebus Elementorum.

Elementorum alia ſunt communia omnibus corporibus, alia propria cuique corpori.

Elementa corporis humani (ſi proxima & propria ſumantur, ſunt enim ſimilares partes adhuc propiores) ſunt humores. (Hippocrates & Galenus de natura humana.) Et fortaſſis item dicet aliquis quatuor humores ſpecie ſunt elementa omnium animalium ſanguine præditorum, atq; ita erunt adhuc communia: ſed nos dicimus propria reſpectu generis. Proprium enim hic dicitur elementum, ex quo primo vnumquodque factum eſt. Commune vero non quod multis, ſed quod omnibus eſt cōmune, vt terra, aqua, aër, ignis. Præter quem ignem nil in mundo eſt purum; neque etiam omnis ignis eſt purus, ſed is ſolum qui ſub concauo lunæ eſſe animaduertitur: Pura enim & ſimplicia corpora non ſunt colorata, cum noſter ignis ſit coloratus. Deinde noſter maxime vrit, cum rariſſimus & puriſſimus ignis non ita vrere poſſit.

Communia igitur quatuor ſunt elementa, ignis, aqua, aër, terra. Cur autem quatuor ſint, Galenus alicubi conatus eſt probare, & quidem multo probabilius id facit Ariſtoteles, quod etſi non neceſſe eſt a nobis fieri, tamen quia vtile videtur, ea de re dicamus aliquid.

Elementa, quæ debent eſſe corporum principia, neceſſario vim habent per contactum alterandi: abſque contactu enim alterare non poſſent. Cum igitur elementa alterare debent per contactum, neceſſe eſt vt habeant qualitates tactiles quæ poſſint alterare. Sed ſi omnes qualitates tactiles quæ alterare poſſent, id eſt, quæ agant & patiantur in ſe mutuo, & per ſe, conſiderauerimus, non plures quam quatuor inueniemus. Acutum enim iuxta acutum nil agit in ipſum per ſe: ſed calidum iuxta frigidum poſitum, ſi ſint æqualia, temperabuntur, ſin

alterum ſuperet, frigidum in calidum, aut contra aget. Solæ igitur hæ tactiles quatuor mutare poſſunt qualitates. Acutum quidem bene ſecabit, ſed non mutabit.

Inter omnes vero has qualitates maxime agit caliditas, poſt eam frigiditas, quam ſequitur humiditas, minimum vero ſiccitas. Duæ igitur priores habent rationem agendi, poſteriores duæ, patiendi, comparatione ſcilicet. Nam ſi ſimpliciter loquamur, omnes quatuor ſunt effectrices. Iam harum combinationes cum duæ ſint impoſſibiles, tantum quatuor eſſe poſſunt. Itaque tot etiam ſolummodo ſunt elementa. Sed hæc præter rem: ſufficiat igitur nobis ſcire omnem mutationem fieri ab illis quatuor qualitatibus. Quod ſi quis plura deſiderat, legat ſupra citatos locos, & librum de conſtitutione artis Medicæ, lib. 7. 8. 9. 10. 11. Vbi Galenus duobus præcipuis argumentis ex Hippocrate deſumptis, patibilia & mutabilia eſſe elementa probat. Rurſus iam propria tractanda eſſent elementa, niſi tertium caput ſupereſſet de miſtione ſcilicet, quo pertractato rem illam aggrediemur.

De miſtione.

Cum elementa corporis noſtri ſint quatuor humores (ex quibus partes ſimilares) & illi humores rurſum ex quatuor elementis illis communibus ſcilicet: neceſſe eſt ſcire, qua ratione fiant ex elementis illi humores & corpus miſtum. Nec putandum eſt, Medicos ſentire ex illis quatuor elementis communibus ſtatim abſque intermedio fieri ſanguinem (quod valde ineptum eſſet: nam multæ intercedunt mutationes, vt videre eſt in libr. 4. capit. 15. de Simpl. med. facult.) ſed ita diſputant, quaſi ſic fieret, quia eodem modo quo miſta fiunt ex primis, ita ex miſtis hi humores.

I. Vt ex elementis aliquid fiat compoſitum, neceſſe eſt vt conueniant. Nam duo quæ procul diſſita ſunt, nunquam generabunt tertium.

II. Nec ſatis eſt conuenire illa, ſed oportet, vt inuicem & agant & patiantur.

III. Requiritur etiam vt ita agant, & patiantur, vt omnia maneant, & nullum corrumpatur: Nam ſi corrumperentur, non generaretur aliquid ex ipſis. Si enim tranſit vnum in aliud, non manet illud, ſed corrumpitur, & non poteſt dici aliquid ex eo fieri. Cum igitur ex elementis fiunt res, ita vt illis inſint elementa. non debent corrumpi. Cum ergo conueniunt, per contactum agunt, ita vt omnia mutentur, ſed non plane corrumpantur, vt ex omnibus fiat aliquid tertium.

Iſte congreſſus elementorum (quatenus elementa ſunt) & actio iſta dum inter ſe agunt & patiuntur, vocatur recte miſtio, proprie dicta: & vt recte monuit Scaliger non vere definitur, eſſe vnionem miſcibilium: ſed eſt proprie congreſſus, actio & perpeſſio; in ſe inuicem in eum finem, vt vniantur, & dum ea vnio fit, dicitur miſtio, facta vnione, temperamentum. Nam ſi finem aſſequutæ ſunt, terminus ille extremus miſtionis eſt temperamentum: Miſtio vero mutatio præcedens temperiem. Quærendum igitur nobis quid ſit miſtio, quæ ab Ariſtotele lib. 1. de ortu & interitu, ca. 10. definitur eſſe miſcibilium alteratorum ἕνωσιν, Latine vnitionem (melius & magis proprie quam vnionem) non terminum, ſed progreſſum ad terminum. Quæ definitio eſt valde bona, ſed obſcura. Nos eam aliis verbis definiemus. Nihil ergo aliud eſt quam diuiſio corporum ad minimas vſque partes, alteratioque, qua mutuo in ſe agunt res, patiunturque, vt fiant vnum. Ergo cum dicimus eſſe vnitionem eorum quæ miſcētur, & miſceri poſſunt, cum prius ſint alterata, vt vnum fiant, ea oportet alterari, atque alteratio non fit abſque actione & paſſione, quæ non fiunt abſque contactu. Neceſſe eſt igitur, vt ſe mutuo contingant, nec ſolum contingant, ſed etiam agant & patiantur mutuo. Præterea ne hoc quidem ſufficit, ſed oportet iſtam actionem, & paſſionem talem eſſe, quæ totius ſubſtantiam per totum mutet, id eſt, agens ita eſſe, vt patiens totum tranſmutet, & contra. Neceſſe igitur eſt, non partibus quibuſdam magnis ſe contingere, ſed vt ad minima diuidantur, vt poſſit quiduis a minima quauis particula attingi: quæ ita miſcenda ſunt, vt vnū fiant, nō iuxta aliquā partē alterentur vel mutētur, & reliqua maneāt integra, ſed debēt tota per tota mutari. Oportet ergo ad minima diuidi. Cum ita diuiſa in ſe agūt & patiūtur, fit mutatio quædā, in qua nihil ipſorum quæ miſcentur, corrumpitur, neque integrum etiam quicquam ſeruatur, ſed omnia vnum fiunt. Si igitur multa diuerſa vnum fiunt, neceſſario mutantur: Si prorſus mutantur non miſta dicuntur, ſed corrupta, vt ſi aqua attenuetur, & in vaporem & aerem tranſeat, non eſt miſtio, vel remiſſio, ſed corruptio aquæ & aëris generatio. Non poſſunt igitur miſceri niſi ea quæ permanent. Cum igitur debeant mutari ſimul & ſeruari, apparet opus eſſe vt quodammodo corrumpantur, & quodammodo ſeruentur.

Quæritur igitur iam vtrum actu an potentia ſeruentur? Quod actu non ſeruentur ex eo manifeſtum eſt, quod non poſſent eſſe vnū: quomodo enim quatuor actu diuerſa vnum eſſent? Neceſſe namque eſſet ignem non eſſe ignem, nec aerem, &c.

Sed neceſſitas exigit vt vnumquodq; fiat omnia quatuor (aliud tamen magis, aliud minus) & ſuis qualitatibus ita coeat, vt ex omnibus quatuor fiat vna qualitas, quæ omnes quatuor contineat. Non ſatis eſt vt ſe contingant ad minimas partes, ſed vt etiam in ſe agant & patiantur a ſe mutuo eo vſque, donec vnum fiant, & tamen nullum eorum corrumpatur. Oportet igitur imaginari in quolibet elemento eſſe materiam, & duas qualitates, quæ ſunt in elementis quatenus elementa, quod per ſe planum, & apertum eſt: tam enim paſſiua, quam actiua qualitas duplex eſt. Cum igitur coëunt in miſtione, oportet imaginari eorum quodlibet diuidi in minimas partes. Hac ratione fit, vt miſceãtur res, & non ſeſe mutuo corpora penetrent. Deinde qualitas, quæ eſt in iſta particula, alterat ſibi proximã, & hæc rurſum proximam, atque ita fit vt quæq; alteret proximã, & alteretur a proxima: Elementa enim non tota per tota miſcẽtur. libr. de element. 2. & lib. 2. method. Exemplum vt ſiccitas, vel caliditas quæ eſt in igne agit in humiditatem vel frigiditatem, quæ eſt in aqua, & contra: Ita debilitatur aliud ab alterius qualitate, vt ad medium perueniant, & omnia poſſideant vtramque particulam. Elementa diuiduntur in partes minimas; ſub qua tamen forma adhuc maneant elementa, & ſemper agunt in ſibi vicinam, vt qualitas quæ in igne penetret in aquam, vt ſe mutuo obtundant, & remittant tandem vtraque nonnihil, ita vt in aqua non tantum ſit frigiditas & humiditas, ſed & caliditas, & ſiccitas (ſed tamen in vna magis in altera minus, quod in dignoſcẽdis medicamentorum facultatibus maxime obſeruandum eſt) dum particulæ ignis recipiũt humiditatem aquæ, nõ ita recipiunt vt non magis ſint calidæ & ſiccæ, ſed vt nõ tantũ quantum antea: id eſt, particulæ ignis accipiunt qualitatẽ aquæ, non vt ignis eſſe deſinant: Quælibet. n particula manet adhuc ſub ſubſtantia, ſed debilitata. Ita & aqua ignis particulam recipit, vt tamen habeat frigiditatis & humiditatis, nec prorſus fit ignis, ſed in vtraque manet plus de natiuis, & obtunditur tantum vna ab altera, vt generetur vna qualitas quæ conſiſtat in temperamento omnium quatuor. Seruat igitur ignis aliquam igneam ſuam vim, ſed non integram, verum vehementer debilitatam, & victam. Sed in reſolutione item redeunt in elementa. Reſponderi itaque breuiſſime poteſt ad quæſtionem, vtrum elementa ſeruentur in miſtis; adeſſe nimirum, quia non prorſus ſint corrupta, corrumpi, quia in vnum coẽunt: percipitur enim in iis vis adhuc illa, ideoque non plane corrumpuntur. Quemadmodum etiam fit in lacte, cuius partes omnes habent vim & actionẽ vnam, dum ſunt coniunctæ, ſed quum ſeparantur habet quælibet pars ſuam propriam, quæ tamen omnes coniunctæ conſpirant in vnam illam, vt inde etiam dubium appareat. Vt vero in lactis generatione non videmus ita corruptas eſſe partes, vt non poſſint redire in integrum, ita etiam in elementorum miſtione. Non tota igitur per tota in ſe inuicem penetrare, quæ erat Stoicorũ opinio, manifeſtum eſt: penetratio enim corporum eſt contra omnium philoſophorum ſententiam, atque etiam ne fingi quidem poteſt: eſt namque contra inſtitutum Dei.

Huius actionis & paſſionis (dum quælibet particula cupit ſibi proximam ſimilem reddere, dumque hoc facit, ſe vniunt, & cõſpirant, quæ in amicitia & conſenſu, & ſocietate coëunt) terminus eſt temperies, id eſt, dum alterum, ſibi vicinum alterum conatur mutare, & ita aliud in aliud agit, & ab eodem patitur, dum ita pugnant inter ſe, iſta pugna dicitur, & cum in ſocietatem coëunt dicitur miſtio, cuius terminus vocatur temperies.

Quarum rerum ſit miſtio?

Miſtio eſt affectus; omnes affectus ſunt ad aliquid, Ergo, aliquorum eſt miſtio. Quæ igitur dices ſunt illa? Hoc ex definitione colligitur: bona enim definitio hoc præſtat, primum vt res ipſæ intelligantur: ſecundo vt omnia conſequentia: tertio vt reſponderi poſſit ad omnia quæ obiiciuntur. Itaque opera danda omnibus modis, vt ea tamquam rei anima recte intelligatur. Vnum dicitur duobus modis: primum mathematice, id eſt, continuatione ſola: ſecundum actu, ſeu forma. Mathematice vnum dico, quodcumque terminum vnum habet communem, ſeu continuatione vnum: vt ſi in arbore virenti emoriatur ramus, is eſt mathematice vnum cum arbore, ſed non naturaliter: anima enim eſt forma arboris: quod ſi eſſet ramus ille vnà cum arbore, haberet eandem formam. Ergo mathematice vnum eſt, quia ei cohæret, ſed non per vitam, per animam, per actum. Rurſus partes quæ viuunt ſunt continuatæ arbori non mathematice ſolum, ſed etiam naturaliter, quia participes ſunt eiuſdem vitæ & formæ. Sic vngues noſtri tantum mathematice corpori cohærent. Poteſt aliquid mathematice & naturaliter vnum eſſe: item quod naturaliter vnum, vno ſcilicet numero & vna ſpecie etiam mathematice vnum eſt. Sed non quicquid mathematice vnum eſt, etiam naturaliter vnum eſſe oportet.

Certum eſt igitur, ea quæ miſcentur & vnum fiunt horum modorum aut altero aut vtroque fieri vnũ, &, ſi non naturaliter, continuatione tamen quæcumque naturaliter vnum

etiam continuatione vnum ſunt (actu & numero vnum naturaliter intelligo, vt de vna arbore, non de duabus: nam non eſt idem actu, id eſt, ſpecie vnum, hoc eſt numero, quo omnia naturaliter vnum; etiam mathematice vnum ſunt, & actu, id eſt genere vnum) His ita poſitis non erit difficile ſcire, quorum ſit miſtio: miſta enim debent fieri vnum continuatione. Ergo impoſſibile eſt, vt miſceantur vere, quorum extremitates non poſſunt vnum fieri. Mixtio item eſt eorum quæ habent alienos terminos & non proprios: Itaque fieri non poteſt vt miſceantur vere, quæ non poſſunt proprios terminos amittere, & terminum communem recipere, vt arida, & humida, quæ non poſſunt ſuos terminos amittere, verum humida & liquida, & quæcumque non finiuntur propriis terminis facile, ſed alienis facillime.

Illa vero quæ finiuntur difficulter proprio, non poſſunt alieno difficulter finiri. Proprie igitur facile miſcentur humida, quia facile finiuntur alieno termino, vt aqua in vaſe facile recipit omnia & a vaſe alieno termino facile connnetur. Sed fumentum in vaſe retinebit ſecum proprium terminum, & non facile recipiet alienum, id eſt, latera vaſis non vndequaq; continget, ſed relinquet multa ſpacia vacua. Aqua facillime recipit terminos alienos, difficillime habet proprios. Proprius .n. eius terminus, eſt rotunda figura, ſed illã recipit difficulter: aer difficulter alienũ recipit, ignis difficilius, terra omniũ difficillime. Terrea igitur cum terreis miſceri non poſſunt, aquea cum aereis facile. Liquidorũ propria eſt miſtio. reliquorũ autem propter mixta, liquida donant aliis vt poſſint etiam mixtionem recipere: Terrea recipiunt illa vt facile alieno finiantur termino. Illa rurſum hæc vt proprio continentur.

Quot ſint modi & ſpecies miſtionis?

Miſtio alia eſt artificialis, alia naturalis. Sed illa numquam vera eſt miſtio, ſi fiat a ſola arte, cũ ſimul a natura fieri poteſt. Diſputatur etiã, an artificialis ſola eſſe poſſit in Alembico nec ſola ars, nec ſola natura miſcet, ſic fortaſſis etiam in Theriaca fit. Artificialis ſola, vt cum miſcemus puluerem cum puluere. Naturalis item diuidi poteſt in perfectam & in imperfectam. Imperfecta vt aqua & vinum, item lac & quæ poſſunt iterum ſolui, item in nubibus & omnibus meteoris eſt imperfecta miſtio. Magis etiam imperfecta eſt metallorum. Perfecta autem miſtio eſt omnium corporum animatorum, vt plantarum & animantium, fortaſſis etiam gemmarum, de quo tamen dubitari poteſt, licet maxime accedant ad perfectam miſtionem.

Quomodo iam ex elementis hoc modo miſtis inter ſe generentur corpora, deſcribit Galenus ex ſententia Hippocratis, & Platonis lib. 8 ca. 4. de plac. Hippocratis. Plantæ parum nos alunt, quia ſunt ſtatim ex elementis miſtæ, & habent multo plures diſſimilares partes, quam ſimilares.

Qua ratione primo quæque ex elementis fiant, veluti plantæ.

Philoſophi omnes, tam qui mundum æternum, quam qui factum crediderunt, hac in re nihil aliud reſpõderunt, quam iſta per ſe, & ex elementis non ita eſſe facta: ſed a Deo ſic creata, & illis inditam vim, vt ita deinde alerentur, & propagarẽtur. Cur igitur ex putredine animalia multa generantur? Reſpondetur, quia ei materiæ ſit inditum, vt ſi accederet calor ſolis, eam formam ſuſciperet.

Meteora & Metalla ſtatim & primo ex elementis generantur tamquam imperfecte mixta; perfecte vero mixta non ita ex elementis, ſed ex creatione ſunt. Vbi autem de perfectis dicimus, non ita intelligendum. tam ſtatim enim ex elementis vt imperfecta fieri non poſſunt. In miſtis vero fiunt omnia vnum, non tantũ continuatione, ſed & naturaliter. Quia neceſſe eſt, vt dominetur illis forma vna, vbi ſe ita in vnum redegerunt iſtæ qualitates coniunctæ, dicuntur vna qualitas.

Quid ſit temperamentum?

Temperamentum igitur eſt coitio quædam quatuor qualitatum in vnũ, vel vnam qualitatem. Vt elementorum qualitates inter ſe proportionem quandam habent, ita temperamenta fiunt diuerſa. In omni vero temperamento perfecto, & per ſe conſiderato, ſemper viuit calor, aliquando magis, aliquando minus. Is enim dux, rector, miſtor & auctor totius miſtionis eſt. Calor autem non ageret, niſi aliis qualitatibus ita eſſet limitatus; alias enim omnia conſumeret, & in ſiccam redigeret formam. Opus fuit ſiccitate, quæ daret humiditati terminum, nempe conſiſtentiã. Si calor ageret in ſolum ſiccum, ſemper ſeruaret ſuum terminum. Igitur humiditas accommodat terminum. Siccitas, vt conſiſtat. Exemplum habes in equo

& fræno, præ frigiditate frenatur caliditas, & ſi non adeſſet, deſtrueret potius quam aliquid ædificaret caliditas. Temperamentum itaque eſt illa vnio qualitatum, quæ, dum miſcentur corpora, nondum erant vnitæ. Ex qualitatibus non poteſt fieri compoſitio. Temperamentum proprie dicitur, quia eſt qualitas quædam ex pluribus temperata. Vbi igitur temperamentum eſt, ibi eſſe oportet plura inter ſe miſta.

Quot ſint temperamenta, hoc eſt quomodo diuidenda?

Differt miſtio a temperamento, vt terminus ab actione, itio a loco quo quieſcit, vel a quiete, vel vt progreſſus a quiete. Galen. lib. 1. de temperam. cap. 2. docet varias fuiſſe ſentẽtias quorundã de temperamentorũ numero, recitatq; duas opiniones antiquorũ, quib. ipſe tertiã addit. Prima opinio fuit antiquorum, qui iudicauerunt tantum quatuor eſſe, calidum & ſiccum, calidum & humidum, frigidum & humidum, frigidum & ſiccum. Secunda fuit aliorum, qui duo tantum tradiderunt, calidũ & ſiccum, frigidum & humidum, atq; ſuam ſententiam ita probant: Vbicumque calor eſt, ibi neceſſario humiditas abſumitur: itaque temperamentum calidum etiam ſiccum eſt.

Vbi frigus, ibi eſt, imbecillus calor (in omni enim perfecto miſto ſemper prævalere calorem cæteris memento, & ſi homo fere mortuus eſſet, ſemper calidior tamen, quã frigidior exiſteret) ibi fiunt concoctiones malæ, generãtur humores maligni & innumeræ cruditates.

Fieri itaque non poteſt, vt corpus aliquod humanum ſit frigidum & ſiccum, quia ibi multa cruditas, ergo & humiditas. Atq; hæc ſunt ipſorum argumenta; ad quæ alij ita reſpondent, quorum quidam negant, calorem neceſſario conſumere humiditatem; quidam vero concedunt, ſed aliter reſpondent. Priores, qui ſcilicet negant, calorem conſumere humiditatem, reſpondent: ſiccus quidem calor conſumit humiditatem; humidus vero humiditatem conſeruat: caloris enim eſt calefacere, non exſiccare, eodemq; modo de frigore: ſed re vera hęc eſt inepta reſponſio: etſi enim per ſe calefaciat, tamen etiã exſiccat, conſecutione ſcilicet vt in ſcholis loqui ſolent: extenuat enim. Quæ vero extenuata ſunt, exhalant, & ita relinquitur ſiccitas.

Alij qui concedunt, calorem conſumere humiditatem reſpondent hoc modo:

Primo tempore ætatis corpus eſſe calidum, & humidum, progreſſu temporis exſiccari: tandem generari frigiditatem, inde ſequi cruditatem, deinde ex cruditate humiditatem, atq; ita tandem interire. Ergo quatuor eſſe temperamenta concludunt.

Refutat Galenus has opiniones, & oſtendit vnum eſſe æquale planeq; temperatum, vbi nullum vincat, ſed omnia ſint æqualia. Quot modis ab eo diſcedatur, tot fieri temperaturas intemperatas: poteſt creſcere nimirum vel calor, vel frigus, vel calor cum humiditate, vel cum ſiccitate.

Athenæus aliter iudicauit. Is negauit primam qualitatem eſſe temperatam & æqualem, reliquas tres intemperatas. Temperatam ſcilicet calidam & humidam, atque hac vſus eſt ratione. Mors conſiſtit in frigiditate & ſiccitate: Ergo vita in contrario. In quo conſiſtit vita, illud eſt optimum. At conſiſtit in calido & humido: Ergo illud eſt optimum. At optimum eſt æquale non ad totam Naturam, ſed ad hominem collatum. certum eſt enim in Natura non poſſe dari temperamentum ſimpliciter æquale: nam inter ſimpliciter æqualia non eſt actio & paſſio, quam neceſſe eſt eſſe in temperamentis. Quum igitur dicimus, temperamentum, intelligimus id, quod ſolent vocare ad iuſtitiam, non ad pondus, id eſt, quatenus homini conuenit, id eſt temperatiſſimo, tale ſcilicet, per quod exactiſſime exercere poteſt actiones.

Elementa omnia binas habent qualitates: Ergo neceſſe eſt, ambas eſſe in temperamento. Vincit caliditas, non vt ſola, ſed cum humiditate: frigiditas vincit, non vt ſola, ſed cum ſiccitate.

Ratio Galeni, qua ſuam defendit ſententiam, hæc eſt. Concedit, corpus eſſe calidum cum ſicco, & calidum cum humido. Quod vero cum vtroq; extremo eſſe poteſt, etiam cum medio eſſe poteſt: non enim niſi per medium ab vno extremo ad alterum fit tranſitus. Ergo etiam concedendum, quod ſit calidum cum medio inter ſiccum, & humidum Ex quibus ſatis conſtat poſſe dari etiam temperamentum medium inter calidum & frigidum, cum medio inter ſiccum & humidum.

Auerroës reprehendit Galenum, & ponit quatuor cum antiquis, & vnam temperatam: probat igitur Galenum male dicere quandam eſſe temperatam & æquabilem, eiuſmodi cum non ſit in rerum natura, neque ſecundum pondus, neque ſecundum iuſtitiam. Tandem vero dicit poſſe aliquam ſecundum iuſtitiam: atque profecto nullam aliam Galenus intellexit. De reliquis adfert rationes; quia non conſiſtant qualitates agentes ſine patientibus, id

eſt, ma-

eſt, materia, ſiue forma. Sed quia hæc ſunt magis philoſophica, quam medica, ea relinquamus, licet facile reſponderi ad ea poſſit, ſed reſponſiones tranſeunt vſum. Nos ſenſus docet Galeni rationem eſſe veram. Obſeruandum eſt illud: Temperamenta iſta mutari pro ætate, regione, aëris conſtitutione, exercitii genere, & ratione victus.

Certum eſt temperamentum eſſe quo immediate actiones omnes proueniant, exceptis iis, quæ ab inſtrumentis profluunt. Si igitur ſeruabimus temperamenta, ſeruabimus & actiones, & ſanitatem. Sanitas & temperamentum idem ſunt re, ſed ea ratione, de qua poſtea dicetur. Vt præſentem ſanitatem conſeruemus, & abſentem reuocemus, neceſſe eſt ſcire cuius quæuis ſit temperamenti.

De temperamentis totius corporis.

Cognoſcendum primum quod ſit temperamentum totius corporis, deinde partium ſingularium: Nõ enim omnium partium idem eſt temperamentum: aliud enim neruorum, aliud venarum. Sed ex his omnibus oritur totius corporis temperamentum, quod vocant medium. Omnis homo eſt æqualiter, aut inæqualiter temperatus. Æqualiter non quod habet omnia membra ſimili temperamento, ſed ea proportione, vt totum temperamentum ſibi pulcre reſpondeat, & ita conſentiat, vt probe actionem obeat. Temperamentum cerebri magis affine eſt & ſimile oſſis hominis, quam temperamentum oſſis hominis, oſſis alterius animalis. Si enim ita eſſet cerebrum temperatum, vt cerebrum canis, non poſſet obire munus vel actionem. Inæqualiter temperatum vt epar calidum & humidum; cor frigidum & ſiccum, &c. non ſimpliciter quidem, ſed pro temperatura, quam habere debet homo recte temperatus, & proportione reliquorum.

De temperamentis partium ſingularium.

Quod cuiuſque ſit temperamentum, & vnde cognoſcendum docet Galenus, lib. de temperam. Item in principio primæ partis artis paruæ. Gal. Si poſſem exacte temperamentum cognoſcere, Æſculapium me eſſe exiſtimarem. Nos accedimus quantum homini licet.

Cæterum ſatis non eſt nouiſſe totius corporis & omnium partium temperamentum, ſed oportet etiam præſens temperamentum cõſeruare, & corruptum, vitiatum vel amiſſum reſtituere. Scire itaque etiam oportet, quibus modis ſeu inſtrumentis conſeruetur præſens, & reſtituatur amiſſum temperamentum. Nec etiam ſufficit noſſe corporis, eiuſq; partium temperamentum, ſed requiritur etiam cognitio temperamenti medicamentorum, alimentorum, aëris, loci, & quatenus commutet illud ſomnus, vigiliæ, vitæ genus, & omnia, quæ homo aut ſumit, aut ei foris admouentur, aut agit. Qua ratione autem id diſcamus, docet Galenus lib. de ſimpl. medicam. facultat. Item libro de attenuante diæta, de alimentis, & multis aliis. Summa autem omnium illorum librorum hæc eſt: vt per experientiam exploremus ſingula: ſed quia erat impoſſibile, inuenta eſt ratio commodior, qua citra experientiam prope poſſemus accedere.

Alimenta tota ſubſtantia ſunt nobis ſimilia, Ergo experientia fere inuenienda ſunt, ſed per experientiam ratione & methodo quadam. Præterea excogitata eſt ratio, qua poſſimus ad experientiam prope accedere, ſi exploremus ſapores, odores, colores: præterea materiæ conſiſtentiam, ſubſtantiam qua ſint prædita medicamenta, vnde neceſſarium eſt ſcire generationem ſaporum, quod Theorema eſt Medicum. Imprimis vero conſiſtentia obſeruanda eſt, an lentum, viſcoſum, friabile, craſſum, tenue, &c. aliquid ſit. Quod ſit in quaque aëris regione temperamentum, vel ipſis ruſticis notum eſt. Cæterum non acquieſcendum Medico in vulgari illa cognitione, ſed longius progrediatur neceſſe eſt, obſeruetque quibus ventis regio maxime ſit expoſita, vtrum ſit natura pluuioſa, an nocui halitus euaporent, terra qualis, an lenta, ſaboloſa, montoſa, paludoſa, & reliquas qualitates obſeruet. Item, an multos habeat fontes, illoſq; calidos, vel metallicos, &c. Item an ventum habeat aliquem, vel auram peculiarem (vt fit in quibuſdam locis, habentibus ventum aliquem certis temporum periodis redeuntem) aliquibus certis temporibus. Sunt auræ, quæ oriuntur ex halitibus, quæ certo tempore e terris exhalant, quæ ſunt peſtiferæ plerumq;. In temperamento vero corporum imprimis eſt obſeruanda ætas. Temperamenta enim corporum multum variantur pro ætate: pueri enim ſunt humidiſſimi, ſed humiditas illa paulatim ſicceſcit, vt videre eſt in adoleſcentibus pueris multo ſiccioribus. Qua de re legantur libri Galeni de tuenda ſanitate. Pro temperamentis ætatum etiam morbi accidunt: Alii enim morbi accidũt pueris, vt Epilepſia, qui morbus puerorum eſt proprius, paucíq; ab illo non infeſtantur. Item ſenibus ſui ſunt morbi. Adoleſcentia quoq; ſuos habet morbos, vt patet ex Hippocratis Aphoriſ. 2. & 3. particula.

De diſtinctione ætatum.

Fuerunt ſemper & hodie quoq; ſunt variæ ætatum diſtinctiones. Aſtrologi diſtinguunt ætatem hominis ſecundum planetas, quos illi tribuunt. Primo cum homo nondum natus eſt, ſed adhuc in vtero matris deliteſcit, prima ætate Saturnum ei addunt, qui primo menſe regnat. Secundo menſe Iouem, & ſic deinceps; octauo item menſe Saturnum, ideoq; partum eo tempore eſſe difficillimum: nono menſe item Iouem, quo fit facilis partus.

Aliter diſtinguunt, cum iam in lucem editi ſunt. vt enim antea a ſummo, ita iam ab imo incipiunt, ſemperq; per ſeptem annos vnum homini planetam tribuunt. Prima ætate, id eſt, primo ſeptenario, vel primis ſeptem annis Lunam, quia tum humidiſſimi. Secundo ſeptennio Mercurium, quia tum incipiũt pueri diſcere, legere, garrire. Tertio Solem, quia iam aſpirent quodammodo ad honorem. Quarto Martem, quia tum robuſti ac bellicoſi ſunt. Quinto Iouem, quia politicam tum maxime vitam agant. Sexto Saturnum, quod ſenio fiant grauiores & moroſiores. Mathematici ſequuntur eandem rationem ſeptenarii, ſed planetas iſtis rebus non accommodant. Dicunt vero ſeptenarium habere maximam vim immutandi corporis: ſed protrahunt ætatem vſque ad nonum ſeptenarium, illicq; finem ſtatuunt, vocantq; ſeptenos illos annos climactericos, ſingulisq, ſeptem annis magnæ mutationis periculum imminere exiſtimant.

Tertia diſtinctio eſt eorum, qui Rempublicam gerunt; apud Gellium & Cælium, vbi diſtinguuntur prout ſunt apti ad Rempublicam. Prima ætas in adoleſcentiam diuiditur vſque ad vigeſimum primum annum plus minus. Secunda in tempus militiæ a 30. vſq; ad 40. annum. Tertia non amplius ad militiam, ſed Rempublicam gerendam poſt 40. annum. Vnde apud Romanos in catalogo eſſe dicebantur ii, qui annum quadrageſimum nondum attigerant. & ex catalogo qui plus 40. nati erant. Ægyptiorum quidam Dioſcolus nomine, dicit cor hominis primo pondus duarum drachmarum habere, & ſingulis annis duas accedere, eouſque dum ad pondus centum drachmarum perueniat. Deinde eodem modo decreſcere. Ex quo apparet illum duas ætates conſtituiſſe, adcreſcentem & decreſcentem. Philoſophi duas, vel ſi exactius rem expendamus, tres ſtatuunt ætates. Prima eſt ea quæ augetur, vſque ad 18. annum ſcilicet. Secunda quæ conſiſtit, vel in vigore eſt vſque ad 40. plus minus annum. Tertia ea quæ decreſcit, qui ſunt anni ſequentes. Pro actione enim caloris in humidum fiunt mutationes temperamentorum, dum humidum depaſcitur calor.

Medici etiam diſtinguũt per ſeptenarium, non vt putent in numero vim eſſe aliquam, ſed in re. Septimo enim anno res plerumque mutántur, & ſeptenario omnia fere iudicãtur, vt ſeptem diebus, ſeptem menſibus, &c. Apparent enim circa id tempus manifeſte mutationes in corpore. Circa primam ætatem ſeptimo menſe pueri incipiũt dentire, circa ſeptimum annum fiunt multo agiliores, nec caput amplius ita magnum habent reſpectu aliarum partium. Deinde anno 14. mutant vocem, & ſemen generant. Primos itaque ſeptem menſes primam vocant ætatem, ſeptem ſequentes annos ætatem totius infantiæ, quam tripliciter diſtinguũt, atq; primum annum ſimpliciter infantiam vocant; Tempus vero a primo ad quartum vel quintum annum nominant pueritiam, etiam vſque ad ſeptimum. De hac ætatum diſtinctione vide Cœlium Rhodiginum.

Tertia ætas vocatur adoleſcentia, & ad vigeſimum primum durat annum. Quarta, iuuentus, vbi non amplius acceſcit in longum ſed fere in latum & profundum, id eſt, fit corpulentior vſq; ad 38. annum. Quinta, virilis ætas, ſeu conſiſtens a 38. vſque ad 45. aliquando vſq; ad 49. Sexta ætas ab hoc tempore vſque ad 50. annum vocatur ſenium (duos enim ſeptenarios id fere comprehendit) Reliqui qui ſequuntur anni attribuuntur decrepitis. Atque mutatio iſta conſiſtit fere in temperatura ſiccitatis & caloris. Atq; vt a fine, quemadmodum philoſophi omnes fere docẽt, incipiamus: Finis hominis eſt vt omnes actiones perfecte obeat: profuit ergo homines habere membra dura & iuſtam magnitudinem: & membra habere robuſta. Cum vero oporteat eum euadere in iuſtam magnitudinem, quia talis naſci non potuit, neceſſe fuit eum eſſe valde humidum; atque etiam paruum: niſi enim mollis admodum fuiſſet, apte omnia formari nequiuiſſent. Generatur itaque ex ſanguine & ſemine tebus duabus humidis & mollibus. Sed quia neceſſe erat vt membra fierent dura, atque omnis durities a ſicco oriatur, oportuit mollitiem eſſe adiunctam. Si per terream ſiccitatem debuiſſet fieri ſiccus; oportuiſſet multum terrei inſerere: Quia non valde actiua eſt illa ſiccitas, ſed potius paſſiua. Indidit ergo Natura calorem & ſiccitatem igneam. ſed huc opus etiam erat mediocritate, & menſura: alias humiditas breui eſſet abſumpta. Indidit igitur tantum terrei, quantum ſatis erat ad conſiſtentiam, eodemque modo indidit etiam, quantum ſufficiebat ignei & caloris: ita vt corpus magis, magiſq; exſiccet, donec membra robuſta euadãt, & exacte agere poſſint. Calor itaque a primo anno magis magiſque exſiccat, atque partes omnes

corporis

corporis quotidie fiunt ſicciores: cum oſſa puerorum ſint inſtar caſei recentioris: ex quo fit vt pueri curuos ſæpe habeant pedes. Nam cum matres cito eos doceant incedere, & pedibus inſiſtere: molliculа adhuc oſſa molem totius corporis ſuſtinere nequeunt; itaq; incuruātur. Primo ſeptennio cerebrum puerorū eo vſque exſiccatur vt aliquid rationis habeant, & nonnihil diſcere poſſint. Quomodo calor agat in corpore noſtro, longiuſque exſiccando procedat, hoc exemplo diſci poteſt. Si globus demittatur per locum decliuem, in cuius medio ſignum aliquod fixum ſit; cum globus impellitur vt currat, ſi ſignū illud attingit, id eſt, ex noſtro libito. Si vero currat longius, id non eſt ex noſtro propoſito; neq; fieret, ſi paratum eſſet obſtaculum. Ita calor, quem Natura ſemel indidit, longius progreditur, quam naturæ ſit intentum. Quod ſi poſſet mutari (inquit Galenus) elementatio, id eſt, fieri noua formatio; conſiſteret homo: ſed id nō potuiſſe, inquit, Naturam. Hinc commentati ſunt philoſophici Ethnici, Naturā non potuiſſe per indiuiduum; ideo curaſſe fieri per ſpeciem, quod eſt falſum.

De facultatibus Naturalibus.

Diſputare quid ſit facultas, non eſt Medici, neque ad artem eius pertinet. Atque licet apud Medicos iſta de rē diſputetur, tamen non vt Medici, ſed vt philoſophi diſputant. Quæritur vtrum facultas aliud quid ſit ab illa ſubſtantia, cuius eſt facultas, ſeu ab ipſa anima: vel an facultas ſit quædam facultas animæ, an ipſa anima. Galenus in hac re eſt valde varius, ſed tanquam philoſophus. Ad nos vero hoc nihil attinet. Medico ſufficit ſcire quamlibet partem habere facultatem attrahendi, retinendi, aſſimilandi & expellēdi. Perpendatur quid ſit theorema medicum. Nouerit item facultatem nil aliud eſſe, quam cauſam actionum, & dici relatiue ad id cuius eſt facultas, nempe actionis alicuius.

Dicimus attractricem, retentricem, aſſimilatricem, &c. in qualibet parte eſſe cauſam, per quam id fiat. Iam ſi quæramus quæ ſit ea cauſa; non pertinet id ad Medicum. Per temperamenta æqualia ſeruātur illæ cauſæ, per corrupta vero corrumpuntur. Atq; vitiato temperamento, neceſſe eſt corrumpi aliquam iſtam actionum ſiue functionum. Quod nouiſſe nobis ſufficit, ſiue ſit iam anima, ſiue temperamentum, ſiue aliud quiddam, noſtra nil intereſt. Nos teneamus, facultatem non agere, niſi per temperamentum tamquam inſtrumentum commodum, vt exemplo cultri male & bene ſecantis doceri poteſt. Si anima ſit quæ agat per facultatem, neceſſe eſt eam bene agere non poſſe, ſi habeat inſtrumentum malum. Facultas dicitur reſpectu ad actionem; omnes enim actiones fiunt ab aliqua cauſa. Medici ponunt temperamentum; non quod velint obſtinate defendere non eſſe aliud, ſed quia eſt immediatum inſtrumentum, per quod omnes actiones fieri neceſſe eſt. Temperamentum corrigendum tamen. Anima vero nō eſt morbis obnoxia, itaque nec curari poteſt; ſemperq; eodem modo agit, vbi eadem ſunt inſtrumenta, per quæ agit.

Quot ſint facultates?

Tot ſunt facultates, quot ſunt actiones ſpecie: ſunt enim correlatiua. Actiones autem in genere tres ſunt. Prima vitalis, quæ ſecundum Medicos ſedem habet in corde. Secunda animalis quæ in cerebro. Tertia altrix, quæ eſt in hepate, comprehenditque ſub ſe generatricem. Huius ſedem faciunt teſtes, non proprie tamen, ſed tamquam inſtrumenta; propria enim ſedes eius eſt in hepate. Animalis diuiditur ſecundum Medicos in tres partes. Primum in partem principem, id eſt, rationalem. Secundo, ſenſitiuam. Tertio motiuam. Princeps pars rurſum tripliciter diuiditur in memoriam, ratiocinationem, & phantaſiam. Motrix non in alia diuiditur, illa ſcilicet quæ animalis eſt, & pendet a neruis. Neque etiam vitalis diuiditur: Diſtribuitur vero ex corde per ſpiritum. Altrix diſtinguitur in generatricem, augmentatricem, & nutricem. Habet vero quatuor facultates, quæ in ſingulis partibus viuentibus corporis, ſiue eæ magnæ ſint, ſiue paruæ, inſunt. Primo vt quælibet attrahat ex maſſa ſanguinis, quod ſibi eſt familiare, vt magneti ineſt vis attrahendi ferrū ſuæ naturæ familiare; Barbare dicitur Electiue attrahere. Secūdo cum nihil trahat propter trahere, ſed propter aliquē finem: Trahit igitur, vt retineat. Attractio & retentio non ſunt diuerſa re, ſed tantum nomine: Non enim alia facultate attrahimus, alia retinemus. Retentio enim nihil aliud eſt, quam perpetua, continuaq; tractio. Tertio oportet mutari, quod diſſimile eſt, in ſimile, ideoque attrahunt & retinent vt aſſimilent. Quarto, quia in iſta mutatione ſemper generātur excrementa; neceſſe eſt habere inſtrumentum, per quod expellantur. Sed hæc de his in abſtracto dixiſſe ſufficiat; iam ad corpus humanum accommodentur.

De partibus corporis humani: ſed primo de humoribus & membris ex humoribus conſtitutis.

Partium corporis humani diuiſionem integram cnm Iacobus Weckerus Baſilienſis, duabus tabulis ſolio 14.&15. ſicut & prioribus duabus 12. & 13. ſimiliter, eleganter complexus ſit, oos prætermittimus.

Magna eſt diſcordia de numero earum: ſed illa non eſt neceſſaria, licet ſit iucunda. Similares dicuntur, quæ poſſuot diuidi in partes ſimiles ſpecie, vt adeps, pinguedo, caro, arteria, &c. Diſſimilares, quæ in partes ſpecie ſimiles oon diuiduntur, vt manus, digitus.

De humoribus.

De humoribus coofule libellum Galeni nuper ſeorſim editum, in quo tamquam in ſumma quadam habentur ea omnia, quæ in aliis libris paſſim de humoribus tradidit. Humores ſunt quatuor: Sanguis, pituita, Bilis flaua, & atra, quæ interdum naturales ſunt, interdum præter Naturam; vt ſanguis naturalis, dulcis, ruber, mediocris conſiſtētiæ, generatus in hepate. Non oaturalis, qui habet pituitam, bilem vtramque, plus minus, admixtam. Sed hæc diuiſio non eſt ſatis exacta. Solus ſanguis eſt, qui nutrit partes corporis: iſque conſideratur vel per ſe & ſimpliciter, qualis non extat ſeorſum in rerum natura: vel vt is qui eſt in corpore humano.

Diſputatur etiam vtrum reliqui humores inſint ſaoguini actu, an potentia: atque alii dicunt actu, alii potentia ineſſe. Nulla eoim eſt particula, quæ non habeat admixtum ſanguinem, id quod exemplo lactis manifeſtum eſt, in quo tres partes actu manifeſte ſunt, quæ facile poſſunt ſeparari: & tamen etiam ſunt potentia: quia antequam ſeparentur, nulla eſt particula, quæ noo omnes tres contineat. Ita in ſanguine etiam humores reliqui actu inſunt, ſed ita mixti inter ſe, vt nullam oobis liceat accipere particulam, in qua non omnes tres proportione quadam inſint. Quod ſi reliqui humores ſeparentur a ſanguine; non vſui ſunt ad nutriendam vllam partem: neque enim bilis, aut pituita a ſanguine ſeparata nutrit. Cum igitur bilem flauam nutrire dicimus; ſanguinem bilioſum, id eſt, tenuem & qui multum in ſe habeat bilis, intelligimus. Idemque in ſaoguine eſt diſcrimeo, quod in lacte: in aſioino vincit ſeroſum; equinum lac aliquid butyri & pinguedinis habet; lac ouium parum butyri, multum vero caſei habet: ita in alio ſanguine plus ineſt bilis, in alio plus pituitæ, & ſic deinceps. Partes illæ quæ attrahunt reliquos humores, non ita attrahunt vt a ſanguine prorſus ſeparatas: ſed vt plus continentes illius ſibi ſamiliaris humoris quam alterius.

Poſſet etiam ſanguis ita diuidi vt diceretur alius Naturalis, alius præternaturalis, qui vterque ſit vel ſincerus, vel non ſiocerus, ſed cum aliis adhuc miſtus. Naturalis, ſi ſincerus ſit, nutrit; ſi non ſincerus, non nutrit. Præternaturalis ſiue ſincerus ſit, ſiue miſtus, numquam nutrit: ſed ioſeruit aliquo modo: vt pituita motioni articulorum, &c. Nos conſideramus in humoribus vel qualitates primas; & dicimus eſſe vel calidos, vel frigidos, &c. Vel qualitates ſecundas; & dicimus alios eſſe lentos, alios friabiles, alios dulces, alios acidos, alios olere bene, alios male: vel alterationes eorum, vt cū dicimus alios coctos, corruptos, aduſtos, crudos, aliterq; affectos: vel effectus; & tum ſuot vel naturales, vel præternaturales. Naturalium eſt, vt nutriaor, & vt mores recte forment, vt atra bilis a Deo ideo addita eſt, vt ſit quaſi fundamētum reliquarum. Bilis quæ volubilis eſt, fere hominem volubilem facit. Eſt igitur addita atra quaſi frenum reliquorum humorum. Ariſtoteles & Cicero dixerunt vix vnquam fuiſſe præſtantes viros, in aliquo genere, qui ooo eſſent melancholici. Non intelliguot eos, in quibus abundet melancholia, ſed vbi modum teneat.

Mores ſuot etiam actiones: cum ergo multa ex actiooibus cognoſcenda ſint, vt & temperamenta; ita etiam ex moribus temperamenta cognoſci poſſunt. vt per temperamenta mores, ſic item temperamenta per mores, quaſi per circulum in ſe redeuntem cognoſcūtur. Humores itaque quoad ſunt naturales, mores ſere; quatenus vero præternaturales, morbos indicant.

De ſpiritibus & innato calore nihil diximus; quia ante paucos dies expoſitum eſt, idq; diligentiſſime, quid ſit calor innatus, & ſpiritus.

De ſecunda parte Medicinæ.

Secunda pars παθολογικὴ & αἰτιολογικὴ dicitur: neutra enim rem integram comprehendit, cum παθολογικὴ de morbis & ſymptomatis agat: αἰτιολογικὴ vero de cauſis. Vtramque

igitur ſub hac ſecunda parte comprehendimus. Tria illa Galenus lib. 2. Meth. Thera. cap. 3. & libro de ſymptom. cauſis cap. 1. vocat *διαθέσεις*, Latine affectus ſeu diſpoſitiones.

De morbis.

Quærendum primo quid ſit morbus: id autem explicare non potes, niſi quid ſanitas ſit, notum prius habeas. Virtus enim Naturâ præcedit vitium: neque cognoſci poteſt, quid ſit non naturale: niſi nouerimus, quid ſit naturale.

Si igitur Galenum ſequamur, ordiendum nobis erit ab iis rebus, quæ omnibus hominibus ſunt notæ, vel a notione, qua omnes homines ſunt præditi de ſanitate. Sanum vero eſſe iudicant vnumquemque, quando id, quod vult & poteſt potentia naturali facere, id facit ſine impedimento, id eſt, quando omnibus corporis partibus recte & ſine impedimento vtitur. De quo vide principium lib. de differentiis morborum.

Sanitas ergo erit, vel ipſa operatio recta, vel actio non impedita, vel ipſa operationis cauſa. Hæc notio non eſt principium medicum: nam hoc non differret artifex ab idiota: ſed ex huius conſecutione medica principia deducimus.

Quod vero actiones ipſæ non ſint ſanitas, rurſus ex omnium hominum notitia colligitur: cum ſcilicet is qui dormit ſit ſanus, licet nihil agat. Nam actio cum non fit, non eſt. At ſanitas eſt, etiam cum non agimus: Ergo aliud eſt ſanitas, quam actio. Erit igitur qualitas corporis, per quam actiones fiunt. Et hoc eſt principium Medicum, vel artis noſtræ. Sanitas itaque eſt affectio corporis ſecundum naturam, qui immediate producit actiones bonas, quales eſſe debent.

Cum Galenus definit hoc modo, ſanitatẽ conſiſtere in qualitate ſeu affectu, ſeu κατασκευῇ, infert ex contrario, Ergo morbus eſt affectus præter naturam, qui impedimento eſt actioni. Inquiſiturus igitur differentiam ſpecierum alio vſus eſt principio. Erit ergo morbus affectus præter Naturam, a quo primo læduntur actiones. In huius definitionis examinatione tot ſunt difficultates, quot fere in nulla alia re in tota Medicina. Si enim dicam morbum eſſe affectum, quæritur, vtrum affectus ſignificet quantitatem, an qualitatem, an ſubſtantiam, an relationem, &c. Atque hoc ſcire intereſt Medici: quia vix tollet quicquam, niſi nouerit, quid, & quale ſit. Primo igitur expendendum nomen affectus: de hoc enim nomine maximæ ſunt ortæ controuerſiæ.

Affectus Latine, Græce *διάθεσις*. Vtar autem affectus nomine & diſpoſitionis, nam alias *πάθημα* affectionem & affectum nominauerunt. Vtar ergo nomine affectionis, affectus, diſpoſitionis, *διαθέσεως, κατασκευῆς* vel *συμμετρίας* pro eodem. *Διάθεσιν* autem ſignificare affectionem rerum omnium quomodocunque habentium, Galen. principio de different. morb. item in principio metho. docet. Et res omnes dicuntur eſſe affectæ, aut ſeſe hoc modo habere, &c. Quæ ſignificatio vocis affectus eſt generalis. Ariſtoteles 5 Metaphyſic. diſpoſitionem eſſe ordinem rei, inquit, quæ habeat partes, aut ſecundum locum, aut ſecundum potentiam, ſeu vires, aut ſecundum ſpecies. Oportet omnino diſpoſitionem habere poſitionem.

Ergo intelligimus in omni diſpoſitione eſſe ordinem partium. Sed eam diſpoſitionem in omnibus illis partibus intelligere eſt difficile: vt in externis rebus videmus partiũ aliquam diſpoſitionem: ita & in intelligibilibus. Illa qualitas, quæ inde exoritur, ex rebus ita diſpoſitis, dicitur diſpoſitio. Et parte aliqua mutata, mutatur & diſpoſitio, & inducitur aliqua qualitas. Exemplum habes in lapidibus, qui ſunt in rectam, vel quandrangularẽ formã poſiti. Si notio ipſius diſpoſitionis recte intelligatur, omnes cõtrouerſiæ ſoluẽtur facile. Prima igitur hæc diſpoſitio dicitur ſecundũ locũ, ſitq; aliquãdo in aere, vt fumus cũ eſt procul in aere, ſi feratur ad nos propius alia fiet diſpoſitio in aere quo ad locũ, quã antea fuerat. Ex hac ẽt intelligim⁹ quæ per ſpecies, ſeu potentias, ſeu vires faciant diſpoſitionẽ, quod in exemplo de miſtione & temperamento perſpicitur. Finge enim in iſta vnione qualitates quatuor, inter quas caliditas ſe habeat vt 4. humiditas vt 3. &c. Vt hoc modo qualitates ſint repreſſæ, atque coẽant in talem *διάθεσιν*, vt ex reb. ante cõtrariis vnũ fiat: Ita ex virib. id eſt, efficiẽtia qualitatũ fit talis diſpoſitio & ordo, ita vt ſimul omnes agant. Sunt exempli gratia, calidum vt 4. humiditas vt 3. &c. Cum hoc modo agunt: dicitur eſſe diſpoſitio inter has qualitates. Si finxerimus aliquam agere vt 5. videbimus mutatam diſpoſitionem, & aliam factam. Ex hac intelligitur in viribus, in *δυνάμει*, facultate, ſeu potentia: ita cum aucta, vel diminuta fuerit, & aliter agit qualitatum earum aliqua: mutata eſt diſpoſitio. Tertia ſpecies diſpoſitionis eſt in ſpeciebus: id eſt, in iis rebus quæ ſpecies habent inter ſe diſtinctas. Illa vero intellectu ſunt difficillima. Exempli gratia: vbi aliquis febricitat: videmus in febricitatione multas qualitates: in primis calorem: deinde colorem pallidum, iactantiam, ſqualorem oculorum, dolorẽ capitis. Illę ſpecies, formæ, ſeu qualitates habent inter ſe aliquam diſpoſitionem (id eſt, conſideratur in iis diſpoſitio, vt in rebus

ſenſui obiectis) vt quædam ſe habent, vt cauſa; quædam vt effectus; quædam, vt accidens, &c. Diſpoſitio enim eſt ſpecierũ, quæ ſunt aliæ atque aliæ formæ; ſecundum quam aliæ ſunt cauſæ, aliæ effectus. Hinc dicimus, nunc melius habere aliquem, nunc difficilius. Atque hoc modo conſideratur affectus in Symptomatis, & in morbis reſpectu ſymptomatum: mutato enim accidẽte, mutatur & diſpoſitio. Breuiter: Diſpoſitio idem Latinis eſt quod διάθεσις Græcis, atq; ſignificat ordinem in rebus partes habentibus. Partes autem trifariam intelliguntur. Primo, reſpectu ſcilicet loci. Secundo, virium (vt exemplo temperamenti declaratum eſt, in quo conſideratur diſpoſitio iuxta vires, ſeu efficaciam qualitatum, quæ inter ſe miſtæ ſunt.) Tertio, reſpectu eorum quæ nec locum habent, nec qualitatem, ſed conſiderantur, quatenus quædam ſunt formæ, & inter ſe quandam habent σχέσιν. In ſcholis dependentiam vocant: vt cum morbos conſideramus, expendimus ipſas cauſas, effectus, ſigna, Symptomata. Quod Ariſtoteles τάξιν vocat, quæ non proprie in Latino ſermone ordo dicitur, ſed rectius poſitus diceretur; quia τάττειν & διατάττειν ponere ſignificant. Poſimm nihil poteſt habere niſi habeat partes. Sed omnia poſſunt habere diſpoſitionem, Ergo partes. ſed non habent omnia partes eas quæ ſenſu poſſint diſtingui: neceſſe eſt igitur, vt alia ratione diſtinguantur, de qua ſupra dictum eſt. Non ipſæ vero partes ſunt diſpoſitio, ſed qualitas illa, quæ ex certa quadam partium poſitione oritur; vt videre eſt in iis quæ ſenſibus ſunt expoſita, quę transferenda ſunt ad ea, quæ a ſenſibus ſunt remota. Cum definitio illa ſanitatis & morbi ſit principiũ, & circa principia ſemper magis ſit laborandum: nos accuratius ſingula in ea expendemus. Bona definitionis proprium eſt; Primo vt rei eſſentiam exponat & diligẽter quidem. Secundo vt rem ita declaret, vt omne, quod ad eam conſequitur, intelligatur ex definitione. Tertio, vt doceat occurrere omnibus illis, quæ contra rem quæ definitur, obiici poſſunt.

Διάθεσις, Latine diſpoſitio aut affectus, quid ſit, habes apud Ariſtotelẽ obiter tractatum in prædicamento qualitatis, accuratius vero libro 5. Metaphyſ. Eſt igitur alicuius rei, quæ habet partes, ordo; oportetque poſitum aliquem habere diſpoſitionem: diſpoſitum enim eſſe, eſt aliquo modo, vel ordine poſitum eſſe. Galen. lib. 1. methodi, & lib. de ratione curandi per ſanguinis miſſionem cap 3. & lib. 1. de different. ſymptom. cap. 1. docet in omnibus rebus cerni diſpoſitionem: at vero non ſemper ſecundum locum eſſe poteſt, Ergo & ſecundum ſpecies erit. Interpres Græcus Ariſtotelis, quem alii Alexandrum, alii Michaelem Epheſium eſſe putant, rem exemplis declarat. Secundum locum poſitum habent; veluti in exercitu vbi primum locum habent vexilliferi, vel alii, ſecundum hos rurſus alii & ſic deinceps. Secundum vires: vt in corpore humano ſunt multæ vires; aliæ principes, aliæ miſtæ. Si iam poſteriores velint impedire primas, id eſt, magis agere, mutatur diſpoſitio, vel proportio illa virium in agendo. Aliud exemplum declarans diſpoſitionem ſecundum locum, ſit ventriculus, qui vbi ſecundum naturam habet, eſſe debet vacuus ab omnibus excrementis, & excremẽta debent ſe extendere vſq; ad vltima, vbi collecta excernantur. Si vero non excernantur, ſed regurgitant in ventriculo, vt multum ſæpe bilis retro cedat: illa faciunt in ventriculo aliam diſpoſitionem ſecundum locum; debebant enim in alio eſſe loco. Faciunt ergo iam morbũ, quem in ſuo loco exiſtentia nunquam confeciſſent. Eadem res explicari etiam poteſt exemplo ſpirituum, ſeu flatuum, qui ſunt in cerebro. Omnia ea, quæ continentur in corpore, quæ non eò pertinent, vel cum adeſſe debent, non adſunt, morbos diſpoſitionis ſecundum locos efficiunt. Ita virium; cum quælibet ſecundum ſuam proportionem agit. quod ſi alia plus agat, alia minus, mutata eſt diſpoſitio virium, vt exemplo quatuor facultatum naturalium diſci poteſt: Si expultrix non agit, quando agere debebat, aut retentrix, ſit euerſio & mutatio diſpoſitionis virium. Item ſi vehementius depellat, id eſt, vtilia vna cum noxiis depellat: item ſecundum vires mutata eſt diſpoſitio. De diſpoſitione ſecundum formam habes exemplum in febri, in qua eſt ſitis, pallor, &c. quæ res ſunt formæ, & in qualibet ea ſunt diſpoſitione, vt illa ſit cauſa, illa effectus, illa ſequatur illam proportionem, illa aliam. Vt ſitis in febricitante non eſt eadem cum ſiti in non febricitante, quia alia eius eſt diſpoſitio.

Galenus non idem per vocabulum diſpoſitionis intelligit. Nam Ariſtoteles, diſpoſitionem hoc differre ab habitu in prædicamento qualitatis docet, quod illa ſit mutabilis: hic vero conſtans, permanens, nec facile diſſolubilis. Et Medici vocant morbos alios ſtabiles, permanentes, fixos: alios leues, facile diſſolubiles, &c. Ariſtoteles in quinto libro Metaphyſicorum docet quid ſit habitus, & recitat primum ſignificatum eius, quod nil aliud ſit, quam actus inter eum qui habet, & qui habetur. Et deinde addit alio modo: habitus dicitur διάθεσις, & quæ ſequũtur. Ex quo perſpicitur habitus diſpoſitionem eſſe quaſi genus. Eſt igitur habitus per quem res omnis vel bene, vel male affecta eſt, id eſt habitũ quendam habet, per quem vel bene, vel male ſe habet. Diſpoſitio vero eſt, per quam res hoc modo ſe vel ad ſe, vel ad alias res habet, &c. ſtatimq; ſubiungit huiuſmodi eſſe ſanitatẽ. Si morbum neget eſſe διάθεσιν, negabit morbum eſſe, id eſt, habere τάξιν. Morbum autem palam eſt eſſe qualitatem, qua

corpus

corpus male habet ad actionem. Neceſſario igitur eſt θέσις inter qualitatem, & eius actionem. Deinde dicit habitum eſſe diſpoſitionem, per quam bene vel male babemus, vt iuſtitia eſt habitus, ad hominem ſcilicet, id eſt, ſibi tribuit homo, quæ ſibi conueniunt, & aliis, quæ aliis cõueniunt. Omnes artes ſunt diſpoſitiones, per quas bene vel male ſe habent ad actiones. Sanitas qualitas eſt, per quam bene ſe habet ad actiones: morbus vero qualitas, per quam male ſe habet ad actiones. Et tales dicit Ariſtoteles habere partes.

Ex his intelligimus primo διάθεσιν eſſe nomen generale. Non eſſet autem definitio, niſi adderetur *

Generale enim comprehendit, bene & male diſpoſita: Deinde quia morbi ſunt accidentia, definiri ſine ſubiecto nequeunt. Subiectum igitur, ſiue differentia eſt (corporis humani.) Ariſtoteles ſeptimo Metaphyſ. docet, omnia accidentia propria definiri per ſua ſubiecta. Sed dicet aliquis, ſymptomata & cauſæ ſunt etiam affectus præter naturam corporis humani. Reſpondeo, ab his diſtingui eo quod additur (actiones primo lædens) Præter Naturam) Diſtinguit hoc a ſanitate morbum. (Primo lædens actiones) Diſtinguit hoc a cauſis, quæ non primo lædunt, & a ſymptomatis, quia ipſa ſunt actiones læſæ. Lædunt, id eſt, ſunt effectus morbi, non ipſi morbi. Intelligimus etiam diſpoſitionem, διάθεσιν, non poſſe ſignificare ſubſtantiam: τάξις enim in ſpeciebus poteſt videri, in viribus tantum intelligi. Atque illam ſignificationem apud omnes antiquos habuit. Obiiciat aliquis: Lapis in veſica eſt morbus, at ille eſt ſubſtantia. Ergo, &c. Repetantur hîc, quæ de diſpoſitione ſecundum locum dicta ſunt. Lapis eſt in cauſa alterius diſpoſitionis, quod ſcilicet non poſſit veſica vndique contrahi. Ergo diſpoſitio illa eſt morbus, lapiſque eſt proxima cauſa. Et Galenus dicit nõ morbum numeri. Non ipſe numerus eſt, ſed qualitas, quæ in numero cernitur, vt in acie homines non ſunt ordo, ſed eorum diſpoſitio. Homines enim non ſunt diſpoſitio, ſed id in quo eſt diſpoſitio: ita lapis in veſica non eſt diſpoſitio, ſed propter quem, id eſt, cuius præſentia talis eſt diſpoſitio. Quarto intelligimus, quomodo etiam omnis morbus eſt in prima ſpecie qualitatis, & ſit διάθεσις, vbicunque tandem ille conſiſtat. Certum eſt habitus & omnes diſpoſitiones non ſentiri in corpore, ſed actiones eorum ſentiuntur: vt nemo ſentit in ſe muſicam, ſed videtur effectus muſices: διάθεσις, vel affectus non eſt res ipſa, cuius eſt διάθεσις, ſed qualitas, vt exemplo linguæ diſcitur. Denique manifeſtum eſt etiam, peſſime eos ſentire, qui putãt Galenum per διάθεσιν, alterationem, ſeu mutationem aliquam, id eſt, motum aliquẽ intellexiſſe. Apud Ariſtotelem ſemper ſignificat qualitatem, quæ eſt, ἔγκειτος, id eſt, * habet poſitum * eſt ita eſſe, non ita fieri. Nam ſi διάθεσις eſt ordo * rem poſitam * neceſſario interpretatio ſumenda eſt de iis quæ ſunt, res vero omnes ſunt, quatenus iam ſunt factæ, non quatenus iam fiunt, & quatenus ſunt, habent theſin. Gal. 1. de loc. affect. Alteratio vero eſt motus, qui non eſt, niſi dum fit, qui διάθεσις eſſe non poteſt. Sed nunc explicandum eſt, qua ratione cum cauſæ, tum ſymptomata dici poſſunt διαθέσεις, vel quare cauſæ, quæ plerumq; ſunt ſubſtantiæ, dicantur θέσεις eſſe vel affectus, & vtrum ſymptomata, quæ cõſiſtant in læſa actione, & nihil aliud ſunt quam effectus morbi, ſint affectus.

De cauſis cum Medici agunt, non agunt de materiali & formali, ſed tantum de cauſis efficientibus morbum, &, licet rariſſime, de finali. Huiuſmodi ſunt fere humores in corpore peccantes aut qualitate, aut quantitate. Cauſa igitur, vt humor, eſt affectus præternaturalis, id eſt, diſpoſitio, quatenus habet in ſe, quod facit aliam diſpoſitionem in corpore, quam ante præſentiam ipſius aderat. Cauſa itaque dicitur affectus, non quatenus eſt ſubſtantia, ſed quatenus pars illius diſpoſitionis, quæ morbus dicitur. Galenus in morbi definitione aliquando includit, aliquando excludit permanentiam, vt libro primo de different. ſymptom. dicit hoc differre paſſionem a morbo, quod paſſio conſiſtat in motu, & habeat ſuum eſſe in fieri. libr. 2. Method. morbum eſſe ex genere eorũ quæ ſunt: ſymptomata, quæ re vera non ſunt, ſed dum fiunt, ſunt, dum facta ſunt, nil ſunt. In fine lib. 1. Method. vbi refutat Olympicum, quod male definierit morbum & ſanitatem. Oſtendit enim in definitione ipſum addidiſſe, affectus eſſe μονίμους, id eſt, ſtabiles, permanentes: quia, inquit, nomina morborum ſunt res, quæ ſua natura ſignificant permanentiam, vt humiditas, ſiccitas.

Ad hæc reſponderi poteſt, Galenum cenſuiſſe in definitione nõ addendam eſſe permanentiæ vocem, vel non requiri, quia ibi natura rei conſideratur, quæ habet per ſe permanentiam. In diſcrimine vero a paſſione & ſymptomatis neceſſe fuit id addere. Meth. 2. cap. 3. valde perſpicue ſe explicat, ita vt planiſſime appareat, ipſum ſibi non contradicere.

Eſt igitur morbus affectus præter naturam (non in abſtracto, ſed in corpore humano) lædens actionem primo. Additur autem lædens actionem, quia morbus eſt quædam qualitas præter naturam, & potentia quædam, quæ non diſtinguũtur, niſi actionibus & operationibus. Oportet ergo diſtinguere ab aliis potentiis. Deinde non eſſent tollendi morbi, niſi læderent actionem. Galenus alibi dicit: Nos actiones corporis præcipue cupimus, & propter

eas iuſtam inſtrumẽtorum ſtructuram. Oculum enim cupimus habere non propter ſe, ſed propter viſionem. Quod ſi igitur morbus nõ impediret actionem, nemo cuperet eum ſublatum. Primo: vero additur, quia etiam cauſæ lædunt actiones, ſed non primo. Cauſæ enim faciunt morbos, qui lædunt. Lædunt igitur cauſæ intercedente morbo. Exemplum habes in tegulis.

Aiunt quidam Galenum male definiuiſſe morbum, quia poſuerit genus valde ambiguum, ſcilicet affectum. Iſtud enim vocabulum ſignificare cauſas & ſymptomata. Ea vero differunt plurimis modis a morbo. Secundo ſignificare alteratione͂, ſeu mutationem cõmunem in reb. omnibus; deinde ẽt mutationem præternaturalem. Denique qualitatem permanentem, ſed id abuſiue. Ergo non ſolum ambiguo, ſed & improprio vſum eſſe genere. Reſpõdetur, argumentum valiturum eſſe, ſi vera ſunt, quæ dicuntur: quod enim dicunt ſignificare cauſas & ſymptomata, nihil eſt. Poſitum namq; eſſe genus cum diſtinctione, neque melius dari poterat propter vocabulorum inopiam & rerum infinitatem. Deinde genus etiam neceſſe eſt latius ſemper patere. Vana igitur hæc eſt obiectio. Quod vero dicunt ſignificare alterationem ſeu mutationem omnibus rebus communem; id abſolute, & ſimpliciter eſt falſum: quia nũquam ſignificat alterationem, vt ex Galeno & Ariſtotele patuit. Inſtant vero: In libro 1. de ſymptom. different. cap. 1. dicit Galenus omnia habere affectum, ergo eſſe communem. Verum id quidem eſt, ſed non ſignificat ibi mutationem, vel motionem, ſed diſpoſitionem inter partes. Ex eodem loco probare conantur, etiam alterationem præter naturam ſignificare: ſed idem, quod antea, reſpondendum eſt. Locus eſt quidam in principio libri de ratione curandi per ſanguinis miſſionem, capit. 3. qui aliquam habet probabilitatis ſpeciem: ibi, inquit, affectum ego per totum hunc librum intelligo ἐκτροπὴν, id eſt, egreſſionem: atque hoc modo affectus videtur motionem ſignificare: ſed ibi per affectum intelligit diſpoſitionem, quæ ſit egreſſa naturales terminos, ἐκτροπὴν, non quæ fiat, ſed quæ iam facta eſt, quatenus egreſſus factus eſt, non quatenus ille egreſſus fit. Cicero quodam in loco huic ſententiæ patrocinari videtur: ſed ſi rectius expẽdatur, nihil ad rem facit. Cæterum vtut ſit, nihil ad nos attinet, cum non a Latinis nominibus, ſed a Græcis pendeamus. Quod dicunt abuſiue id ex iam dictis falſum eſſe patet. Addunt ex libro 1. de locis affect. cap. 3. quamquam per abuſum vocarunt etiam huiuſmodi affectus. Ibi dicit morbum eſſe qualitatem quæ ſequitur ex alteratione. Quamquam etiam eam motionem, quæ adhuc fit, vocant affectum, verum abuſiue: legatur in Græco textu: πάθος enim non eſt diſpoſitio, ſed motus quidam: veteres enim per hoc vocabulum duo intellexerunt: primùm motum proprie dictum, & qui in motione conſiſtit; ſecundu improprie, id quod poſt motionem manet, quæ eſt diſpoſitio, vel poſt motionem facta diſpoſitio. Hinc morbos vocat πάθη, ſed improprie: morbus enim permanet: πάθος non permanet, ſed eſt motus, cum morbus, motus nõ ſit. Debuerat igitur Latinus interpres πάθος poſuiſſe vel paſſionem, non affectum. Obiicitur etiam, Ariſtotelem aliter hoc vocabulo vti, quam Galenum pro qualitate ſcilicet facile mobili. Ad id ſupra eſt reſponſum. Quod autem dicunt non omnem morbum poſſe lædere actionem, ideoque non veram differentiam eſſe, quæ primo lædat, &c. idque ex Galeno probant qui lib. de locis aff. & ait, vbi primum corpus ſit egreſſum naturalem conſtitutionem, nondum fieri actionis læſionem. Id ita ſoluitur: morbus conſideratur dupliciter. Primo per ſe & in ſua natura, id eſt, ſimpliciter & philoſophice. Ibi non vt ſenſibilis, ſed vt intellectu læſio etiam eius conſideratur. Secundo, vt a medico, quatenus ſubiectum: atq; tum ſenſibilis eius conſideratur læſio. Addũt præterea nõ primo ſolum lædere morbum, ſed cauſas etiam lædere primo actiones, vt cum quis nimium cibi ſumpſerit, lædi actionem primo. Ergo, &c. Reſpondetur iſtam cibi abundantiam vel male facere facultati, vel eo obeſſe, quia euinci non poteſt. Si nihil præterea obſit, niſi quod euinci non poteſt, actionem lædere non dicitur. Actiones enim dicũtur, teſte Ariſtotele, ad quiddam definitum. Ita ventriculus non dicitur male affectus, ſi ferrum concoquere non poſſit, vel aliquid aliud: ſed tunc cum id nequit concoquere, quod debet concoquere: non enim natura factus fuit, vt tantam concoquat multitudinem. Si vero incommodi aliquid attulit, primo diſpoſitionem præter naturam effecit, quæ poſtea læſit actionem. Anima enim proxime per diſpoſitionem agit, non per temperiem, quatenus eſt qualitas, ſed quatenus talem efficit diſpoſitionem: vt ſectio non fit primo a ferro cultri, ſed diſpoſitione eius ferri. Multitudo præterea illa cibi aut agit aliquid in calorem concoquentem, aut nihil agit. Si nihil agit, non dicitur lædere actionem. Si vitiauit calorem, non per ſe & primo, ſed per illam vitiationem caloris lædit actionem cõcoctionis. Ariſtoteles 7. phyſic. text. 16. docet motum non eſſe ad ſanitatem vel morbum, quia ſint habitus corporei, &c. Sic habitus non ſunt alterationes, a quibus differunt, vt quies a motu. Obiicitur, actiones multarum partium interdum eſſe læſas, quæ tamen non ægrotent. Si vera eſſet igitur definitio, neceſſe eſſet omnes partes ægrotare, quarum læſa eſt actio. At multæ partes habẽt actiones læſas, & tamen

ipſæ

ipſæ partes ſunt ſanæ, vt accidit in pede, qui moueri non poteſt interdum, nulla facta tamen pedis læſione. Atque id in paralyſi etiam vſu venit.

Reſponderi varie ad hanc obiectionem poteſt: Primo enim poſſet illa reiici cum non ſit medica quæſtio: Galenus enim libro primo de loc. affect. eam logicam quæſtionem vocat. Deinde reſpondetur etiã eas partes quæ obire actiones ſuas non poſſunt, minime eſſe ſanas.

Quod autem dicitur ſanas eſſe, quod vel temperamentum, vel compoſitio, ſint illæſa, nullius eſt momenti. Itaque in paralyſi partes aluntur non minus, quam antea, ſed non ſentiunt, neque mouentur: viuunt ſaltem vt plantæ: ſed ſi diu iſtis deſtituantur, refrigerãtur tandem membra. Iſta διάθεσις, per quam fit motus & ſenſus in pede, non requirebat tamen talem conſeruationem neruorum & omnium inter ſe iunctorum, ſed etiam iuxta neruos ſpiritus animales aut ſubſtantia ſua, aut facultate per neruos tranſmiſſos. Cum illi non inſint: deeſt aliquid, vnde mutatur διάθεσις ſanitatis.

Reſtat vnica difficultas, eaque fere grauiſſima: Symptomata lædunt actionem etiam primo, nullo modo intercedente, vt accidit interdũ hominibus quibuſdam, vt oculi per certam aliquam cauſam fiant flaui: inde quicquid intuentur, flauum ipſis apparet. Quomodo id fiat intelligi facile poteſt exemplo vitri colorati, per quem perſpiciẽtibus omnia eo colore apparent, quo ipſum eſt vitium. Sic ſi humor interne inſit oculo, vt vitium externe (quemadmodum in febribus bilioſis omnia apparent guſtu amara vbi lingua eſt affecta) cur igitur, inquam, oculi alieno colore ita ſunt infecti, & propter illum primo apparent omnia eius coloris, id eſt, apparet flauum colorem eſſe immediatam cauſam: Sed ita videre eſt deprauata, vel corrupta viſio: putantur enim aliter colorata quam ſunt; læſa igitur eſt actio: & tamen color non eſt morbus, ſed ſymptoma; id eſt, affectus conſequens morbum: Morbus autem non lædit hic actionem primo, ſed illa flauities. Ergo ſymptoma interdum primo lædit, & non eſt ſolius morbi. Itaque illa definitio non eſt bona. Ad hoc reſpõdemus viſionem oculi fieri immediate a διαθέσει tali, qualem requirit cuiuſque partis natura, ad obeundam actionẽ, quæ eſt ei a natura indita, vt cryſtallino vel aliis humorib. qui ſint deſtituti omni colore. Eſt enim axioma, & principium vniuerſale, quod recipere aliquid debet, neceſſe vt nudatum & priuatum eo ſit, quod recipiendum eſt. Cum igitur oculi humor debeat recipere omnes colores, priuatus ſit oportet omni colore (ita enim aer, atque inde multa medicamenta coquuntur felicius in aqua pura:) fecit igitur Deus, vt haberet temperamentum omni colore priuatum. Cum igitur accedit color, neceſſe eſt eum eſſe præter naturam, & facere etiam diſpoſitionem præter naturam, eamque non ſecundum loci, nec virium partes, ſed ſecundum ſpeciei. Alia enim eſt diſpoſitio in ſpecie oculi, quã antea, & non loci aut virium.

Solui etiam hoc modo poteſt. Cauſa cur oculus ſic videat, non eſt color, quatenus color, ſed διάθεσις a colore facta. Obiicietur autem, quomodo poſſit fieri διάθεσις, cum illa requirat partes: hoc vero ſit accidens, & partes habere nequaquam poſſit. Ad id dicimus conſiderari in ſpeciebus, ſeu formis, non in partibus naturalibus. Accidens neceſſe eſt in ſubiecto eſſe. Oculus autem non eſt ſubiectum proprie coloris, qui a natura omni colore eſt priuatus. Itaque præter naturam hoc ei accidit. Ille igitur generatur aut in oculo, aut habet ſubiectum in quo. Sed in oculo non generatur, niſi is ſit corruptus: at nõ eſt corruptus. Concedendum igitur, quod ſit in ſubiecto, in vitioſo ſcilicet humore. Intelligimus ergo humorẽ illum facere ibi diſpoſitionem etiam ſecundũ locum. Color non facit morbum, quatenus color, ſed quatenus talem facit diſpoſitionem, ſpeciei nimirum. Exempli gratia; Species facta eſt flaua, quæ non debebat eſſe flaua.

De diuiſione morborum.

Cum ſpecies morborum melius appareant quam ſanitatis, medici morbos prius diuidunt, quam ſanitatem, cõtra quam in definitione factum eſt. Tot vero ſunt ſpecies ſanitatis, quot morborum, ſed eæ carent nominibus. Nos vero ſpecies ſpecialiſſimas morborum examinabimus, non quidem ad indiuidua vſque, quorum, vtpote infinitorum nulla eſt ſcientia. Inter ſpecies ſpecialiſſimas ſæpe euenit, vt appareant differentiæ, quæ tamen re vera non ſunt differentiæ: vt mas & fœmina ſexu, non ſpecie differunt. Æthiopes a nobis accidentali differentia differunt. Omnes illæ differentiæ ſunt accidentia, vt inflammatio alia videtur eſſe in hepate, alia in pectore, &c. In meninge dicitur phrenitis, in pulmone peripneumonia, circa pleuram pleuritis, cum eadem tamen ſit ſpecie & natura. Articularis morbus in manibus chiragra, in pedibus podagra, in coxis iſchiatica, in omnibus articulis arthritis.

Morbi vero diuiduntur ratione ſubiectorum in quibus ſunt. Sunt autem morbi διαθέσεις, igitur qualitates ſimplices: per ſe ergo non poſſunt diuidi. Cum vero alias διαθέσεις accidant ratione materiarum: hic quoque ratione ſubiecti, in quo διαθέσεις ſunt, fiãt neceſſe eſt.

Actiones vero omnes fiunt per duas tantum διαθέσεις ſed ex illis duabus tertia etiam exurgit ambarum particeps.

I. Ex διαθέσει, quæ cernitur in temperamento qua quælibet pars attrahit, retinet, &c, huc pertinet auctrix, nutrix facultas, &c.

II. Ex διαθέσει, quæ non fit per has qualitates primo, verũ oportet aliquid aliud eſſe, per quod agat. Sunt.n. actiones inſtrumentorũ. Actiones namq; ſunt duplices. Primæ, quæ conſiſtũt in temperamẽto ſolo. Secũdæ, quę nõ conſiſtũt in ſolo temperamẽto, ſed ẽt certa forma inſtrumẽti: vt ſerra ſecat lignũ, & in ſerra duo cõſiderantur: vnũ ſubſtãtia ferri, quatenus durũ eſt, alterũ formatio ferri, vt eſt dentata. Sic ẽt hîc, ſi cõſideramus ſubſtantiã, eſt, quaſi cõſideremus διάθεσιν, quæ eſt in qualitatib. primis: deinde præter hanc cõſideratur ẽt formatio, quæ & ipſa etiã eſt διάθεσις, quæ in poſitu conſideratur, nõ in viribus, ſeu ſpecie. Ita naturales actiones quandoque opus habent vtraque διαθέσει, eaque ratione attrahunt, retinent, &c.

Διάθεσις igitur duplex eſt. Prima, vbi opus nõ habet formatione aliqua, & ſic agit ſine altera diſpoſitione. Ergo neceſſe eſt non ſolum temperamentum quod agat, bene diſpoſitum habere, ſed etiam inſtrumentorum diſpoſitionem bonam. Vel, διαθέσεις duæ ſunt: vna quæ cernitur in temperamento, & eſt ſimilarium, altera quæ cernitur nõ ſolum in temperamento, ſed etiam in figura, &c. & eſt inſtrumentorum.

Hippocrates lib. de ratione victus in morbis acutis, habet aliquid de ſpeciebus morbi, vel de morbi diuiſione. Ad diuiſionem morborum inueniendam duo requiruntur. Primum, vt diſcamus quot ſint διαθέσεις, per quas afficiantur actiones corporis: quot enim διαθέσεις, tot actionum læſiones. Secundo vt cum perceperimus duas in genere tales eſſe διαθέσεις, perpendamus quomodo inter ſe differant: quod vbi perceperimus nulla amplius hac in re erit difficultas. Duæ vero iſtæ διαθέσεις ita differunt, quod prima eſt ſimilarium partium, quæ conſiſtit in quatuor qualitatibus, altera quæ conſiſtit in quatuor rebus, forma ſcilicet, apta, numero apto, magnitudine apta, & commodo ſitu.

Quomodo per διάθεσιν actio aliqua fiat.

Videmus in externis omnibus, non ſatis eſſe habere aptam materiam, ſed etiam requiri, vt ea ſit commode formata. Ita anima noſtra agit per duo inſtrumenta, temperiem, & formam illam inſtrumentorum, vel διάθεσιν inſtrumenti. Ita aurifaber agit duobus inſtrumentis; vno quodãmodo viuo, quod eſt ignis, quo emollit, fundit, coagulat: altero, quod eſt malleus, vel aliud inſtrumentum, ſi quid aliud eſt agendum. Sic anima noſtra vtitur duobus inſtrumentis, vno quaſi viuo, ceu igne, id eſt temperie, quæ attrahit, retinet, nutrit, auget, &c. per hanc fiunt omnes actiones naturales. Non naturales vero, ſed animales, vt ſenſus, motus, &c. iſta omnia fiunt per διάθεσιν non hanc proprie (quamuis hãc etiam adeſſe oporteat) ſed per διάθεσιν inſtrumentorum. Breuiter, omnes actiones anima obit per διάθεσιν temperiei. Animales vero per διάθεσιν inſtrumentorum. Quot modis iam διάθεσις poterit egredi naturam, ſeu ſtatum naturalem; tot erunt morbi. Temperies præter naturam, & morbus idem ſunt, quia temperies non eſt natura, ſed diſpoſitio illa qualitatum. Quoties igitur illa temperiei, vel inſtrumentorum διάθεσις poterit mutari; tot erunt vnicuique genera morborum. Prima διάθεσις conſiſtit in quatuor qualitatibus: mutatio in qualibet tot modis poteſt fieri, quot ſunt componentes eam; vel poteſt tot modis mutari, quot modis poterunt componentes illæ variari. Poſſunt autem ita variari. Primum, vt vna ex his qualitatibus non ſeruet modum, vt caliditas, vel humiditas ſola, atque ita quatuor erunt morbi. Secundo ita variari poterunt, vt duæ ſimul excedant, ſed contrariæ non poſſunt ſimul excedere. Ergo neceſſe eſt calidum vel cum humiditate, vel cum ſiccitate, &c. excedere, & ſic erunt iterũ quatuor. Poteſt igitur diſpoſitio temperiei octo modis variari.

Quæritur vero, vtrum vna qualitas poſſit ſola excedere? Conſtat vero nos ſæpe hoc ſolum agere, vt calefaciamus, vel humectemus ſolum, aut exſiccemus, videmuſque, illis ſanitatem reſtitui. Cõſtat item morbum in ſolius illius qualitatis exceſſu cõſtitiſſe, id eſt, ſolã qualitatem contrariam exceſſiſſe, qua qualitate repreſſa, effectus etiam ceſſauit. Illæ vero qualitates ſeu exceſſus, vel ſunt ſimplices, id eſt ſine alio humore, vel cum humore. Oriuntur itaq; inde præter ſuperiores octo ſine humore, alii octo cum humore.

Diſputant vero recentiores non poſſe eſſe quatuor ſimplices tales diſpoſitiones cum humore; & forſan non prorſus errant. vt cum humidum affluit ad aliquem locum corporis, in quo ſecundum naturam non debet eſſe: tunc adfert eam qualitatem, quam natura habet ille humor. vt cum humor calidus in manus influit: Calidus ille humor ibi auget calorem. Cum igitur caliditas alia vel maior in manu eſſe non deberet, quam ea quæ ipſi a natura indita eſt: quando eouſque illa aucta eſt, vt mutata διάθεσις lædat actionem; morbus dicitur. Si vero non lædat, morbus apud medicos non appellatur; quamuis philoſophi id nomen illi tribuant. ita cum caliditas humoris hic accreuit, ſi non tantum aucta ſit, vt inſtrumenta impediat,

pediat, dicitur morbus ſimplex, id eſt, ſimilaris. Si nimirum humor valde paucus eſt, ſed caliditas tanta, vt dolorem excitet maximum, tunc dicetur morbo ſimplici, id eſt, intemperie laborare manus, ſed non habet intemperiem ſine affluxu. Fluxus humoris ſemper adſert intemperiem, cum quis humor eam qualitatem, quam natura habet, ſecum adferat. Si vero tam multus humor ſit, qui eleuet, extendatq; manum, vt claudi non poſſit, id eſt, efficit, vt cutis fiat breuior, quæ in contractione extendi deberet, quod impedita humore facere non poteſt, impedit inſtrumentum: nam cum clauditur, quaſi rugatur, quæ rugæ ſunt extendendæ. Interdum affluxus humoris pauci, qui habet qualitatem intenſam, & tũc dicitur morbus intemperies, cum affluxu ſimplex. Cum vero multus, ſed nec frigidus, nec calidus impediens vero multitudine extenſionem cutis, tunc eſt inſtrumentalis. Verum cum vix vnquam reperiri poſſit aliquis humor præter naturam, qui ſit ſolus, ſed plerumque ſolutio continui & intemperies vna ſit coniuncta, haud facile etiam ſimplices morbi inueniuntur. Accidit quidem aliquando, vt homines nonnulli tantum naturalis, temperatæ, laudabilis, bonæ generent carnis, vt incedere non poſſint. Hi habent quidem totius corporis actiones impeditas, cum non poſſint incedere, vel ſtare, vel ſedere, a moleſta corporis impediri: ſed moles eiuſmodi poteſt eſſe ſine dolore. Itaque Galenus de mole illa dicit, ipſam eſſe ſine intemperie, ſed inſtrumentum impedire. Tumores vero alii vix vnquam ſunt ſine intemperie: imo ſua intemperie ſæpius actioni officiunt, quã copia: fieri enim poteſt humorem affluxiſſe tam paucum ad locum, vt ſua multitudine non potuerit impedire, ſed intenſa ſua qualitate; vt cum bilis affluit in partem aliquã corporis, adeo eam excalfacit, vt ingens dolor oriatur antequam exulceretur, per quem impeditur actio. Senſus enim deprauate agit, deinde debilitas, vt plane ad actiones ſit inutilis. Dicitur huiuſmodi cum affluxu humoris, ſed tamen ſimplex dicitur, licet alias, aliter vocetur.

In prima igitur διαθέσει, intemperiei ſcilicet cum affluxu quatuor ſunt ſimplices & quatuor compoſitæ: Sine affluxu item quatuor ſimplices, & quatuor compoſitæ. Iam eiuſmodi intemperies conſiderari poſſunt, vel in toto, vel in parte. Si in toto, dicitur febris. Si in vna aliqua parte, caliditas ſit lædens actionem, dicitur ſimpliciter intemperies calida, ſeu ſquallor calidus, non vero dicitur febris, niſi quis velit particularem appellare febrem.

In frigoribus cum frigus in toto corpore viget, opponitur febri. Si in parte, intemperiei calidæ in parte corporis. Sed ſiue in toto, ſiue in vno ſit, non eſt differentia ſecundum eſſentiam, niſi quod occupet vel vnum, vel plura, vel omnia membra. Iam omnes habemus ſpecies, & ſi quis eſt, qui poſſit excogitari in intemperie, id eſt, prima διαθέσει, tamen differt tantum accidente. Secunda διάθεσις, inſtrumenti, ſcilicet, habet duos morbos, quod non poſſumus ſcire, niſi ſciamus ex quot partibus διάθεσις illa oriatur. Cæterum ex quatuor oritur: ex certa formatione, magnitudine, numero, connexione, ſeu compoſitione, ſeu ſitu.

In vena non cõſideramus numerum partium, vt in compoſitis. Illa igitur inſtrumenta, quæ ſunt ex pluribus partibus compoſita ſuam conſiſtentiam ex illis quatuor habent.

At quales ſint ſimplices διαθέσεις ſine affluxu, perſpicitur in febri ephemera, quæ conſtat ſine materia, eſtque intemperies vniuerſalis ſine affluxu. Quæ vero admixtam habent inſtrumentariam διάθεσιν, id eſt, compoſitæ ſunt διαθέσεις, eorum exemplum habes in hectica, vbi caliditas, & ſiccitas ſumma eſt in toto corpore. Item in putridis febribus cum materia. Particulares illas raro eſſe ſine inſtrumentalibus diximus. In morbis conſiderandum quot ſint ſimplices in vniuerſum: deinde quot modis miſceri poſſint.

Inſtrumenta quædam non compoſita ſunt ex pluribus ſenſu diſtinctis, vt nerui, venæ, arteriæ, ligamenta (quæ tamen non proprie ſunt inſtrumẽta) habent hæc etiam διάθεσιν, ſed ea ſola fere conſiſtit in confirmatione. Si conſideratur in ipſis ſitus, is tantum quoad cum aliis coniungitur conſideratur. Numerus non poteſt in iis conſiderari, quæ non conſtant ex pluribus partibus. Habent quidam homines morbum tantum in ſitu, vt cum luxatione aliqua non recte ſunt reſtitutæ ſingulæ partes in ſuum locum; cum ſint cætera omnia ſana. Cum dicimus in his 4. conſiderari διάθεσιν, intelligimus vt vniuerſum de iis, quæ ſunt compoſitæ ex pluribus. In iis, quæ ex vna ſola parte perſpicue, conformationem, & magnitudinem: numerum & ſitum tantum reſpectu aliorum.

Quod vero hæ diſpoſitiones actionem impedire poſſint, ex eo perſpicitur. Primo, quod formatio impediat, monſtratum eſt nuper exemplo cultri, & ſerræ. Secundo, ſine numero recto non poſſe aliquid fieri, quod eſt compoſitum, manifeſtum eſt. Et ſic de reliquis.

Ex his etiam conſtat animam non eſſe temperaturam, quemadmodum
nec artifex deſtitutus inſtrumentis indoctus eſt
habendus.

Quod ſit diſcrimen inter iſtas actiones, quæ a temperamento, & illas quæ ab inſtrumento proficiſcuntur?

Axioma eſt apud philoſophos, & medicos, Quantitatem, Relationem, & reliqua Prædicamenta, non eſſe principia alicuius actionis, ſed ſolam ſubſtantiam, & qualitatem. Quomodo ergo tu dicis per magnitudinem, ſeu numerum fieri, aut impediri actionem? Deinde cum conſtet etiam per formationem, magnitudinem, &c. impediri actiones in omnibus inſtrumentis: quomodo axioma illud erit verum. Nam etſi dicamus quantitatem non agere vt quantitatem, ſed διάθεσιν illam, quæ inde oritur; tamen iterum dubium orietur, qua ratione fieri poſſit, vt ex pluribus quantitatibus, poſſit fieri diſpoſitio, quæ agat, aut quæ ex quantitate oritur, aut in ipſa cernitur. Reſponſio.

Obſeruetur in omnibus inſtrumentis, quæ componuntur ex partibus pluribus, conſiderari διάθεσιν, per quam anima, id eſt, totus homo agat, quæ conſiſtit in his quatuor, conformatione, &c. Quod ſi aliquid in his quatuor mutetur, ita vt tamen actio nondum lædatur; non eſt morbus: neque enim quodlibet vitium morbus recte dicitur, ſed id ſolum, quod eouſque accreuit, vt actionem lædat. Atque Medicus eas conſiderat læſiones, quas ſenſus deprehendit, & non quas intellectus capit. Ideo Medici vocant notabile, quod ſenſu notari poteſt. Cum igitur dicunt actionem eſſe læſam, non ſimpliciter læſam intelligunt, ſed eouſq; vt iam ſentiatur. Hoc eſt diſcrimen, quod iſta διάθεσις, quæ in qualitatibus primis cernitur, non tantum eſt aptitudo quædam, qua ipſæ agunt; ſed ipſa διάθεσις eſt etiam agens quoddam, vel διάθεσις actiua. Illa vero non proprie actiua, ſed ſine qua anima non poteſt agere, ipſa vero per ſe nihil agit. Iſta, quæ in quatuor qualitatibus cōſiſtit, quam temperamentum vocamus, non eſt tantum conſenſus qualitatum, ſed etiam coitio, qua agunt. Altera vero nihil agit, ſed quaſi mortua eſt: anima vero non agit, niſi per illam. Non ſunt principia actiua. Ergo illa διάθεσις non eſt principium actiuum, ſed ſine quo non. vt exempli gratia, Aurifaber vtitur inſtrumentis duobus, quorum alterum viuum, alterum mortuum vocabimus: viuo vtitur quod eſt ignis, inſtrumentum nō ſolum per quod agit, ſed ipſum quoque inſtrumentum agit: mortuo vtitur malleo, quod nihil agit, ſed ab artifice ducitur. Vt ignis recte agat, opus habet artifice qui temperet, ne magis, aut minus, quam par eſt agat. per ſe enim ignis ſemper idem agit: Ita διάθεσις qualitatum eſt quaſi ignis qui ſemper agit, & niſi temperaretur ab anima, conſumeret cibum, non concoqueret. Igitur anima alias addit humiditatem, alias aliud, &c. Ariſtoteles libro 2. de anima, ait ignem non eſſe, qui concoquat cibos, ſed animam, quę id per ignem facit. Libro de generatione animalium eodem modo de igne loquitur. Quemadmodum igitur artifex vtitur igne, qui conſumpturus erat omnia, & vt malleo vtitur, quo contundat, &c. ita & anima, &c.

Altera conſiſtit in qualitatibus, quæ ſunt principia prima actionum: neceſſe igitur eſt διάθεσιν, quæ in ipſis conſideratur, eſſe principium actionis. Artifex re vera agit omnia, quæ malleus agit: ſed cum malleo. Per ignem non proprie, ſed ignis agit, ipſe tantum adtemperat.

Definitio hæc morbi non conuenit vtrique diſpoſitioni tam ſimilarium, quam inſtrumentariorum, ſi ſubtiliter loqui volumus: cum διάθεσις in inſtrumentis non proprie agat, etſi lædatur actio, ſed non proficiſcitur ab ea tamquam principio. Itaque aliqui volunt poni (Impedit & lædit:) atq; tunc ambo comprehendit, & omnibus morbis competit. Si vero primo lædent, non conueniet omnibus: verum intelligimus improprie, quod non lędit tantum vt agens, ſed quod impediat.

De tertia morborum ſpecie.

Repetantur hic, quæ ſupra de ſpeciebus diatheſeon ſunt dicta.

Qua ratione plura morborū genera erūt cū duo tātum ſint diatheſeos, per quæ omnes actiones obiri ſolent? Verū quidē eſt hoc, & ſub diatheſi inſtrumentorum, hæc ſpecies morbi poſſet comprehendi, ſed quia turbaret ordinem docēdi: Galeno, aut auctori huius diſtinctionis ita placuit diuidere, quod ēt ſequentes probarunt. Res.n. multo planius ita diſtincta intelligitur. Poſſumus igitur fingere diatheſin in ea ſpecie vnionis ſimilarium, & inſtrumentariorum, vt quæ ſimilares re vera ſint, vnæ etiam & continuæ ſint. Inſtrumentales, in quibus continuitas non conſideratur, ſed quæ proprie dicitur contiguitas. Exemplum habes vnitatis ſolutæ in inſtrumentis, in ſcopis diſſolutis, vbi in ligamento, quod continet connexa cætera. ſi ſecetur; dicitur facta diſſolutio vnitatis in inſtrumento: Nam tunc non conſideratur, vt in ſimilari, ſed inſtrumento, quo connectebantur. Vbi nulla fit commotio a loco, & poſitu, tunc dicitur eſſe in ſimilari parte, non inſtrumētali. Poteſt conſiderari in partibus, vt ſimilaribus, aliquando vt inſtumentalibus: Quia interdum lædit actionem ſimilarium, aliquando inſtrumentalium.

mentalium. Galenus in extremo tertii libri meth. docet, vnde differentiæ vnitatis ſumendæ ſint. Differentiæ illarum proprie ab eſſentia ſunt ſumendæ. Sed ſæpius aliter diſtinguimus, vt a morbis coniunctis, a ſubiectis partibus. Ita aliqui accidentia, alii eſſentiam, alii difficultatem & benignitatem vlcerum, &c. ſpectarunt; & ſic aliter, atque aliter diſtinxerunt. Solutio vnitatis in inſtumento eſt, cuius ſolutione nõ amplius ita probe connexæ ſunt, & cohærent partes.

De diſſolutionis vnitatis ſpeciebus.

Poſſunt perſpicuitatis cauſa tria genera conſtitui. Solutio enim aut eſt ſenſibilis, & manifeſta, vt vulnus, aut vlcus, aut non ſenſibilis, & manifeſta, ſed intelligibilis, id eſt, aut ſenſus de eo poteſt iudicare, aut ſola ratio, & in extenſione, repletione, diſtenſione, eroſione, antequam manifeſta ſit. Exemplum doloris colici. Neſcio an vllus dolor maior hoc ſit, ſi eſt in extremo. Multi enim ſibi ipſi mortem conſciuerunt, & tamen nulla ibi manifeſta eſt ſolutio continuitatis. Cęterum monſtratum eſt a me in Galeno non poſſe fieri dolorem abſque ſolutione cōtinui. Grauiſſimi, acerbiſſimi, & maximi dolores in corpore humano oriuntur a flatibus. In ſectione enim magnus quidem dolor, ſed is breui temporis ſpatio fit, neque adeo eſt intolerabilis, vt is qui fit paulatim, & longiori temporis ſpatio. Partes quæ viuunt, etiam ſi longiſſime ſint diſtractæ, & diſtentæ, poſſunt in priſtinum redire locum, in quo prius, antequam diſtentæ eſſent, fuerunt. Manifeſta vero fit ſolutio vel ab externo aliquo, & ea fere vocamus vulnera, vel ab internis cauſis, & ea vlcera dicũtur: ἕλκη, Græcis a trahendo dicta, quia vna pars hac, altera ducatur iſthac. Vulnus igitur ab externis, vlcus ab internis cauſis fit, cum alias nulla ſit differentia. Interdum per vulnus intelliguntur omnes cõtinui ſolutiones, etiam vlcera. Et cum Hippocrates dicit omnem morbum eſſe vlcus, non intelligit ſolummodo alteram ſpeciem manifeſtam, ſed etiam non manifeſtam.

Et Galenus probat omnem morbum qui conſtat dolore eſſe vlcus, id eſt continui ſolutionem. Alia eſt diſtinctio cum differentiæ ſumuntur ab ipſa eſſentia, quæ nil aliud eſt, quam partium, quæ natura debebant eſſe continuæ, abſceſſio iſta, & diſtantia, non actio. Iſta continuitas ſoluta quæ diſtat a ſolutione. Dicemus itaque inter ſolutas eiuſmodi vnitates diſpoſitionem aliquam eſſe, quæ conſiſtat in ſuperficie, aut latitudine aut profunditate partium. In figura vel quadrata, vel rotunda, &c. item eſſe aliam cauam, aliam rectam, aliam obliquam, aliam habere mirabiles amfractus. Si naturam conſideremus, dicemus aliam eſſe magnam, aliam paruam.

Diſtinguimus ẽt per cõiunctionem affectuũ aliorũ, & dicimus vlcus aliud eſſe cruſtoſum, aliud ſordidũ, aliud ſimplex, aliud phlegmonoſum. Sed hæ nõ ſunt differẽtiæ vlcerũ, ſed indicãt affectus illis compoſitos. Galenus etiam docet, affectus qui per ſe ſubſiſtere poſſint, ſeorſim per ſe eſſe morbos, non differentias aliorum morborum. Sic diſtinguimus vlcera ab ætate, cum alia vetuſta, alia recentia dicimus. Sed ætas tantum indicat nobis vtrum ſint maligna nec ne: non vero oſtendit differentiam. Diſtinguũtur & ab aliis accidentibus vnde Chironia, & Telephia, &c. vocantur.

Quæritur vtrum omnes morbi ſint comprehenſi ſub tribus illis morbi differentiis. Excogitarunt quidam multos, ſed fruſtra, quos ſub hęc genera referri non poſſe exiſtimarunt. Vnus eſt morbus, qui videtur ad nullum horum poſſe referri: flauities ſcilicet oculi. Si humor cryſtallinus, vel intermedii alii inficiuntur colore flauo, vel rubro, vt omnia quæ inſpicimus videantur flaua. Quæſtio iam eſt, cum immediata cauſa huius morbi nihil aliud ſit quã flauities, quo debeat referri iſte morbus; quia omnes cõſiſtunt aut in intemperie, aut in diatheſi inſtrumentorum, quæ conſiſtit in quatuor qualitatibus, aut in ſoluta vnitate. Non poteſt autem hic morbus ad aliquem horum referri, quia non eſt diatheſis temperiei, nec inſtrumenti, nec continui ſolutio. Videtur poſſe referri ad ſimilares partes, ſi ad inſtrument. *ſequentur, & non eſt diſputandum: nam in eo eſt Galenus: nec tamen reprehendendus eſt, quia non habebat alium locum, quo illum referret, nec fuit etiam neceſſe, vt huic ſoli vnum locum attribueret. Si vero debemus ad aliquem eorum referre, referendus eſt ad temperiem: quia ex mutua qualitatum temperatura generatur nõ ſolum temperies, ſed & obiectum ipſa pars ſimilaris. Nam mutuis illis congreſſis, & in ſe inuicem agentibus, & patientibus progrediuntur corpora. Quod autem id, vel id tale quid ſint, id habent, aut a natura, aut a cauſa diuiniore. Etiam ſimilarium partium natura conſiſtit in temperie, ſi conſideramus quod generet humores ita affectos. Cum vero non ita ſint affecti, ita videtur mutatum temperamentum. Si vero proprie volumus conſiderare, videmus illum colorem nec ex calore, frigiditate, humiditate, ſiccitate oriri, quia externe accidit, nec eſt in partis ſubſtantia genitus, ſed eius parti externe acceſſit. Si ad inſtrumentales, videbitur poſſe conferri ad conformationem, vt oculi hoc modo ſint craſſi, colorati, &c.

Quod ſi noo placeat, poteſt referri ad numerum, quia partes plures ſunt in oculo quam antea, ſcilicet ille humor habens flauitiem accidentariam. Atque vtrumque recte dicitur, & fortaſſis melius quam ſi ad temperiem referatur. Nullo alio modo comprehendi ſub illis tribus poteſt: non itaque mirum, nullum illi oouum conſtitutum eſſe genus, quod fortaſſis veteribus in mentem non venit. Cæterum hæc diſputatio parum habet vtilitatis, ſiue morbus hic ſit ſolus, ſiue ad hanc, vel illum referatur ſpeciem.

De Cauſis.

Quærēdum primum quid ſit cauſa. Secundo quotuplex. Tertio quid & quomodo differat Plato (cui cooſentit Galeous) & Ariſtoteles io Cauſarum differentiis enumerandis. Quarto, quę deſcriptio cauſæ a Galeno. Quinto quot ſint cauſæ apud Medicos cōſiderandæ. Secundū Ariſtotelem 5. Metaphyſ. Cauſa eſt ad cuius eſſe aliquid ſequitur: hoc eſt, Cauſa eſt quidpiam, quo poſito ſequitur aliud, & quo oon poſito, id eſſe oon poteſt. Quod facit vt aliquid ſit, eum abſit & cum ooo adſit, oee illud quidem ſit.

Secundum Galenum primo lib. de Symptomat. differentiis: Cauſa eſt, quicquid ſua natura aliquid coofert ad eius, quod ſit generationem; id eſt, quicquid partem aliquam ei dat, quod fit. Nempe, Cauſa nil aliud eſt, niſi aliquid quo poſito pars aliqua fiat, & eo noo poſito noo fiet.

Secundum Ariſtotelem igitur quatuor ſunt: Efficiens, quia oiſi ſit quod efficiat, non futurum eſt quicquam. Artifex eſt aliquid ad cuius eſſe ſequitur eſſe aliud. Materia, ad Materiæ eſſe, vel Materiam ſequitur aliquid. Forma: niſi enim certa forma conſiſtat, id quod eſt, non eſt. Finis: Omoia enim propter aliquid fiunt, inde omnium potiſſima hæc cauſa eſt. Galenus, & Plato ponunt ioterdum quatuor. Efficientem, Inſtrumētum, Materiam, Finem. Interdum addunt & quiotam, Formam, ſcilicet, quam Plato ideam vocat. Sed plerumque ſub fine comprehenditur: Eſt eoim finis duplex apud philoſophos. Primus, qui (Cuius) dicitur: Secundus, qui Finis (Cui) appellatur. Finis (cuius) eſt forma, quæ generata eſt; perfectio ſcilicet ad quam Natura teodit eius, quod generatum eſt. At finis (Cui) non eſt in ipſa re, ſed extra rem, vt vtilitas, & vſus rei alicuius. Sic cultri finis cuius eſt ad ſecandum: finis vero Cui neſcitur ab artifice. Nam alius euenit, qui conſiderat finem non eum, quem artifex, ſed eum ad quem ipſe cultrum deſtinat. Finis igitur primus cuiuſque rei eſt forma. Finis Cuius eſt in ipſa re. Finis vero Cui eſt propter quem vnumquodq; eſt. Intelligunt igitur Plato, & Galenus vtrumque finem ſcilicet, Cuius & Cui. Addunt autem ipſi inſtrumentum, quod Ariſtoteles omittit, ſed vbique compreheodit ſub Efficiēte, idq; commodiſſime, quia ipſum inſtrumentum mouet, ſed non motu primo. Efficiens enim cauſa eſt ipſius motus primū priocipium, quod mouet, non motum. Inſtrumentum vero mouens motum eſt. Ariſtoteles 5. Metaphyſ. cap. 1. ſtatim ab initio dicit, Cauſam eſſe ad cuius eſſe, Eſſentiam, vel naturam ſequatur aliud. Cum igitur res tales quatuor ſint, ſequetur etiam quatuor eſſe Cauſas.

Conueniunt itaque vtrique, quod ſcilicet Ariſtoteles ſub Efficiente duas, & Plato cum Galeno ſub fioe duas comprehenderit cauſas. Ariſtoteles ſecundo Phyſicorum, vbi de cauſis tractat, oſteodit ioter cauſas Efficientes alias eſſe remotiores, alias propiores.

De definitione Galeni 1. de Symptom. differ. cap. 1.

Cauſa eſt, quæ ſua natura confert aliquam partem generationi eius quod fit (ſuapte natura) Interpretatur ipſe Galenus alicubi, veluti eodem loco cap. 1. vel 2. & ait, Idem ſcilicet, quod per ſe. Alibi, vt de cauſis morborum, Idem quod primo. Ergo idem quod per ſe, & quod primo apud Galeoum. Apud Ariſtotelem dupliciter dicitur aliquid per ſe. Omne primum eſt per ſe, ſed oon omoe per ſe primum. Primū eſt inter quod non intercedit medium, per ſe, quod ſua Natura ita eſt. Petrus, Exempli gratia, eſt animal, eſt hæc propoſitio per ſe, quia ex natura, & eſſentia ſua Petrus eſt animal. Sed tamen Petrus nō eſt animal primo, quia aliud eſt intermedium, ſcilicet homo. Eſt ergo Petrus per ſe animal, ſed ooo primo. Homo vero primo eſt animal. Galenus per ſe ſemper fere iotelligit id quod primo. Ariſtoteles vero aliter ſentit. Vt maous ſecat non primo, ſed per ſe. Culter erit cauſa per ſe ſecundum Galenum, & ooo manus: ſed ſecundum Ariſtotelem etiam manus per ſe ſecabit. Alii dicunt illa verba (ſuapte natura) ſignificare quicquid per ſuam naturam aliquid facere poteſt, ſiue primo, ſiue ſecundo faciat. Et ſub hac definitione ea per accidens etiam compreheoditur, & ea, quæ, ſine qua oon, dicitur. Quia ſtatim poſt definitionem, illam recitat. Sed de hoc vtrum verum ſit dubitari poteſt, cum certo certius ſit nullum locum in Galeno inueniri, vbi per ſuam vim, vel oaturam dixit, per quem non intellexerit per ſe, & quidem primo. Quare non

eſt,

eſt, vt hîc aliter capiamus, niſi certis argumētis doceatur, hic non eodem modo accipi. Quælibet enim dictio proprie ſumenda eſt, ſi res id ferat. Si igitur hic non eſt ita accipienda illa vox, neceſſe eſt rem id ferre non poſſe. Sed hoc nemo probabit: imo ipſa rei natura vt in vſitata acceptione illius vocis perſiſtamus, poſtulat, & flagitat. Nam Galenus tantum eas cauſas comprehendit illa definitione; ſi per ſe ita intelligatur, omnibus illis quatuor conuenit, quæ omnes per ſe, & primo aliquam partem generationi conferunt. Cauſa proprie dicitur tum, cum agit, quæ non agit, non proprie cauſa eſt. Cauſæ efficientes, quæ non primo agunt illæ ſunt remotiores, & a Galeno vocantur per Accidens. Quid efficiens proprie dicatur Galeno, habes in 1. de locis affectis, vbi adfert proprie efficientis definitionem. Alias vero etiam remotiſſimum efficiens quoddam eſt, quod primo mouet, & nō mouetur, vt ſcriptionis cauſa prima anima eſt. Et ſic Ariſtoteles intelligit, & reliqua ipſi ſunt remotiora mouentia. Definitiu eſt, quo agente afficimur, & quo non agente non afficimur: illud cauſa eſt apud omnes. Efficiens cauſa Galeno eſt, quod confert aliquam partem.

Cur igitur ſubiungit, dices, illam diſtinctionem, vt ſua definitio intelligatur tantum de propriis cauſis, & non de aliis, ſcilicet per accidens?

Reſpondetur ad diluendam tacitam obiectionem id illum feciſſe. Lentus enim humor non eſt per ſe, id eſt, ſuapte natura & prima cauſa febris, quia multa intercedunt. Sed obſtructionis prima cauſa eſt lentus humor, & obſtructio putredinis, putredo vero febris.

Neceſſe igitur eſt, vt hoc primo ſciatur, quia Medici volentes reſtituere ſanitatem, &c. non conſiderant vllas cauſas, præter has. Addunt alii conſeruantes ſanitatis & morbi, cauſas quidem conſeruantes morbi, non vt velimus conſeruare, ſed tollere. Materiam non quatenus Medici, ſed quatenus philoſophi, quia morbi non habent materiam ex qua, ſed in qua. Igitur primo vtile eſt ſcire quid ſit Efficiens cauſa. Conſeruantem, & Efficientem non diſtinguimus: Nam eadem efficit, eadē conſeruat, niſi quod facilius fortaſſis conſeruat: idemque eſt diſcrimen inter retentionem, & tractionem. Galenus ſæpe ſcribit, Efficientem, conſeruantem, & augentem idem eſſe. In Arte parua vero eas diſtinguit, & ſane recte: Non quod re vera ſit inter illas diſcrimen, ſed perſpicuitatis in docendo gratia.

Cauſæ etiam ſunt effectus ſeu διαθέσεις. Sunt autem διαθέσεις cauſæ in corpore nō lædentes primo, id eſt. per ſe, vel ſuapte natura, ſed ſecundo, id eſt, per accidens, id eſt, per intermedium quoddam.

Reſtat vt videamus, quot ſint cauſæ apud Medicos. Duæ, ſi rem rectè expēdamus, inueniuntur, Efficiens, & conſeruans, quæ & augens dicitur etiam. Id demonſtratur exemplo trahentium eandem rem, iiſdem viribus, quæ non mouetur. Genera vero cauſarum Efficientium ſunt tria, vel tres ſunt cauſæ efficientes. Prima quam Galenus vocat προκαταρκτικὴν, id eſt, præincipientem. Secundam προηγουμένην, id eſt, antecedentem. Tertiam συνεκτικὴν, id eſt, continentem, quæ eſt propinquiſſima. Dicuntur etiam cauſæ Efficientes aliæ Externæ, aliæ Internæ, & hæ ſunt vel propinquæ, vel remotæ. Præincipientes cauſæ ſunt omnium notiſſimæ, etiam vulgo. Ita vero vocantur, quia primo incipiunt alterationem corporis. Præterea vbi non ipſæ generāt morbum, aliam quandam cauſam generant, quæ rurſus aliam, & hæc proximam, vt habes exemplum in frigore denſante corpus, &c. Vocantur etiam euidentes, vt apud Celſum, qui primo ſic eas appellauit. Aliquando occaſiones ab Hippocrate nominantur, eo quod re vera non videantur cauſæ morbi, ſed occaſiones agendi cæteris cauſis præbeant. Vel hoc modo, quia ipſæ per ſe, & ſuis viribus non ſunt ita efficaces, vt generent morbum niſi habeant corpus valde diſpoſitum, id eſt, non poſſunt agere niſi ſumma occaſione oblata, hoc eſt, niſi corpora ſint valde apta, vt per occaſionem oporteat agere. Externa ab omnibus vocantur, quia extrinſecus accedunt. Non tantum omnes προκαταρκτικαὶ, externe accidunt, ſed etiam internæ, vt ſomnus, vigilia, crapula, &c. ſed illa vocantur externæ, quia æque euidentes vt externę. Internę duplices ſunt, Antecedentes, & coniunctę. Antecedentes dicuntur Galeno, quęcumque alias non ſint notæ, ſed artifices eas cognoſcunt; quæ intrinſecus latēt, & vulgo notæ non ſunt vt priores, tales ſunt humores, &c. Coniuncta cauſa non eſt diuerſa ab Antecedente. ſępe tamen eſt diuerſa. Non diuerſa, quod morbus iam factus poſſit ſeparari illa cauſa. Diuerſa cum & generauit morbum, & conſeruat ipſum. Pręcedentium aliæ propinquę ſunt, aliæ remotę. Propinquę, quæ proxime antecedunt morbum. Remotæ, quæ non proxime, ſed aliud faciunt, vt eſt putrida febris, cuius proxima cauſa putredo, putredinis obſtructio. Obſtructionis multitudo lenti humoris, illius infirma, & debilis concoctio, aut nimia cibi ingeſtio. Obſtructio, multitudo lenti humoris, &c. ſunt cauſæ antecedentes, ſed non proximæ, nihilominus dicuntur antecedentes, cum lateant intra corpus, & a vulgo non cognoſcantur. & referuntur inter cauſas, ſine qua non, ſiue inter accidentales, in quorum numerum Galenus omnes refert, quæ non primo agunt. Sed parum intereſt. Putredo certe prima habetur cauſa. Per accidens fieri apud Galenum dicitur duobus

modis. Primo qnando aliquid ei, quod agit accidit, vel quod patitur, non accidit ab eo, quod patitur vel quod agit. Vt ſi quis ſecat ligna, & is idem ſit ebrius, tunc dicimus ebrium ſecaſſe ligna, ſed per accidens. Secundo, alter modus includit etiam in ſe modum Ariſtotelis, per ſe, cum quidem aliquid agit per ſe, ſed inter id quod agit, & quod agitur, intercedit aliud, id eſt, quia non primo, ſed interueniente alio agit. Exemplum habes de tegulis.

Per accidens igitur intelligimus, quia non ſunt proximæ illæ cauſæ. Per accidens vno modo opponitur ei, quod primo, vel per ſe ſecundum Galenum, id eſt, ſuapte natura dicitur. Remotam aliquando cauſam eſſe legetis, ſine qua non, vel per accidens. Ibi intelligendum non per ſe primo modo, ſed ſecundo, ſecundum Galenum. Qui plura cupit de hoc (per ſe) legat Ariſtotelem lib. 1. Analyt. poſteriorum.

De Coniuncta cauſa.

Notetur teſtimonium Galeni lib. 1. de cauſis pulſ. cap. 1. quod eſt apertiſſimum. Quæſtio hæc magna eſt, ſed re vera Medico non neceſſaria. Indicandum ex vtilitate, & fine, an proprie ad Medicinam pertineat, nec ne. Diſceptantes inter ſe eandem rem intelligunt, & tantum de nominibus diſceptant. Si de rebus eſt, de iis eſt tantũ rebus, quæ vſum tranſcendunt. Dari autẽ cauſam coniunctam teſtatur Galenus in libello contra Iulianum, & etiamſi non teſtaretur, veritas tamen ipſa hoc euinceret. Cauſa continens, quæ συνεκτικὴ, ſiue συνεχὲς, aliquando, cohærens, continua, coniuncta, coniunctiua, adiuncta, &c. vocatur. Ariſtoteles etiam huius cauſæ frequenter facit mentionem, ſed non eodem modo vſurpat, quo Medici: Intelligit enim per eam cauſam remotiſſimam & maxime generalem: Ad quam interrogando tandem ſubſiſtere cogimur, quæ omnes reliquas cauſas continet: Vere cõtinens cauſa eſt in quolibet genere ſumma. Medici per continentem intelligunt eam, quæ eſt effectui proxima, vt ipſa præſente effectus ſit præſens, & abſente abſens: inter quam & effectum nihil intercedit. Exemplum: Fingite partem vitri aliquam eſſe fractam, particula abſente fit apertior, præſente obſtructior. Clarius eſt de die, & ſole: lux ſolis cauſa eſt continens diei. Nomen hoc primi excogitarunt Stoici, vt Galenus teſtatur in libro de plenitudine, vbi contra Stoicos diſputat, atque etiam in libello, vt puto, cõtra Iulianum. Et attribuerunt ipſi id nomen, non rei, quam proprie, & vere dicitur ſignificare: ſed ſpiritũ quendam excogitarunt, cuius vi omnia continerentur, vt quo anima cum corpore colligaretur, vt eo præſente anima eſſet in corpore, non præſente abeſſet a corpore. Sed Ariſtoteles in lib. de anima vanam illam opinionem eſſe docuit. Non poſſumus imaginari, neque etiam eſt aliquid intermedium inter ſigillum, imaginem, & ceram, alias non eſſet forma. Ita non debet cogitari intermedium inter materiam, & formam ipſius. Finxerunt ſpiritum Stoici, qui contineret formam quamlibet in materia. Contra hanc ſententiam diſputat Galenus. Athenæus, Attalanus primus inuexit in medicinam illam locutionem. Hippocrates non ita locutus eſt, ſed tamen in externas & internas diſtinxit: non enim erat mos ita appellare. Poſtea methodici frequenter vſi ſunt ea appellatione. Ab Auicenna eſt pulcre introducta. Leonicenus poſtea, & Manardus primo mouerunt, ſed tandem reliquerunt hanc quæſtionem. Tandem reſumpſit Fuchſius. Vtrum vero ſit aliqua cauſa, quæ ita morbos contineat aut conſeruet potius, vt ea præſente morbus adſit, non præſente, abſit; docet Galenus lib. 6. de morbis Epide. præincipientes, antecedentes, & continentes conſiderandas, dicens, lib. de opt. ſect. de iſtis rebus eodem modo diſſerit. De putrida febre, ait, putridum humorem eſſe cauſam continentem. Si quæ relinquitur intemperies, cum iam occuparit ſolidum, non eſt putrida febris.

De iis, quæ morbum conſequuntur.

Vocabula primo omnia artis ſunt explicanda, vt ſunt, accidens, paſſio, ſymptoma, Epigennema.

Accidens dicitur, quicquid corpori ſiue ſecundum naturam, ſiue præter naturam accidit, quicquid in corpore humano reperitur, quod non eſt de eſſentia corporis.

Paſſio ſignificat quoddam corporis humani accidens, ſiue ſecundum naturam, ſiue præter naturam.

Differunt vero duo illa: eo quod paſſio ſignificat tantum motum aliquem, ſiue id ſit ſecundam naturam, ſiue præter naturam. Accidens vero non motum tantum, ſed affectum quoque. Paſſio igitur omnis accidens eſt, ſed non omne accidens paſſio. Habet itaque accidens ſe ad paſſionem vt genus. Græci antiqui, vt inquit Hippocrates etiam, viſionem, auditionem, &c. denique ipſam concoctionem, & quicquid in motu ſuam eſſentiam haberet, paſſionem vocarunt. Atque ſic omnes Philoſophi vſurpabant, ſed diſcrimen faciebant in-

ter paſ-

ter paſſiones efficientes,& corrumpentes. Actiones quædam perfectiones rei ſunt, aliæ vero aut res corrumpunt, aut rei corruptionem ſequuntur.

Sympτoma (quod vocabulum apud ſolos fere Medicos in vſu eſt) duo ſignificat, vt Galenus teſtatur in primo cap. de ſymptom. differ. vbi fuſe de hac re agit. Primum quicquid in corpore humano præter naturam eſt, ſiue ſit motio, ſiue affectus, ſiue diſpoſitio, vt hoc modo etiam morbum comprehendat (ſed in hac ſignificatione raro admodum vſurpatur) vt apertio venulæ alicuius ſpontanea, natura recte & ſecundum propoſitum agente, eſt quiddã præter naturam corporis, tamen cum nec cauſa morbi ſit, ſed potius morbũ auertat, nec ſit morbus aliquis qui lædat actionem, nec ſymptoma, quia non adeſt morbus, accidens potius appellari debet. Quicquid igitur præter naturam fit, generaliter ſymptoma dicitur. Quod autem ſecundum naturam fit, id accidens & non ſymptoma eſt, vt viſio non eſt ſymptoma. Epigennema, id eſt, quod naſcitur, vel cõſequitur, nil aliud ſignificat quam ſymptoma proprie appellatum, de quo iam agemus.

Symptoma proprie nil aliud eſt quam id, quod morbum conſequitur, vt vmbra corpus ſi opponatur corpori lucido; vel nil aliud eſt, quam effectus morbi, & ſic diſtinguitur a morbo, vt morbus a cauſa. Impoſſibile eſt proprie ſymptoma in corpore inueniri, aut cogitari non præcedente morbo.

Habet ſpecies tres, vel genera ſumma tria.

Nam omne ſymptoma eſt
- I. Aut læſio alicuius actionis ipſamet læſa actio,
- II. Aut excretio, ſeu retentio præter naturam.
- III. Aut affectus aliquis conſequens morbum, quem morbus peperit.

I. Affectus conſequentes ſunt qualitates, quæ in ſenſus cadunt, vt colores, odores, ſapores, ſoni, & qualitates tactiles. Colores, vt videmus quoſdam a morbo palleſcere, alios flauos, alios plane rubros, alios plane nigros, vt qui ex ſplene laborarunt fieri: Et hoc aliquando in toto corpore, aliquando in parte aliqua, vt lepra (quam a λεπρύνϑαι, id eſt, albeſcere dici volunt) infecti. Odores, fœtores, vt Galenus ſcribit aliquando ex ipſo halitus odore, vel fœtore iudicare vulgum, an quis peſte ſit infectus, nec ne. Item ex rubore circa labia. Item quod aliquis ſit pallidus, interdum flaueſcens, aliquãdo rubeſcens, & ſic de cæteris. Sonos, vt murmur inteſtinorum. etſi diſputatur, vtrum ſoni proprie ſint motiones, ſiue affectus,

II. Excretiones, vel retentiones, vbi aliquid excernitur, vel retinetur præter naturam, quod non poteſt fieri, niſi præcedat eam aliqua, quæ illa efficiat. Ipſa excretio, actio ſcilicet ipſa, proprie pertinet ad tertiam ſpeciem, actionem nimirum læſam: ſed excreta vocantur ſymptomata: Nam in actione læſa conſideratur, quod vel nimis multum, vel minus, quam par eſt, vel deprauate excernitur. Sed hic conſideratur, an excreta ſint præter naturam quantitate tantum, vel qualitate tantum, vel toto genere. Toto genere, quod ſimpliciter debebat eſſe in corpore, vt cum effluit ſanguis bonus, & laudabilis. Qualitate, quæ debebat quidem manere in corpore, non quatenus nõ bonum, ſed quatenus bonum, vt ſemiputridum. Quantitate, cum nimirum etiam ſi ſit præter naturam, excernitur. Breuiter: ſi vtile eſt quod excernitur, tum excretio facta præter naturam, toto genere. Si partim vtile, partim inutile, qualitate. Si vitioſa res excernitur, ſed plus quam corpori conuenit, quantitate.

III. Ipſa actionum læſio, ſeu actio læſa. Huius ſpecies ſunt tres. Vel enim prorſus tollitur, vel minuitur, vel deprauatur.

Iam ſi intelligitur quot ſint actiones, tot & læſiones comperiemus. Actiones in genere, animales, vitales, naturales. Animalis ſenſus motionis, memoriæ, ratiocinationis, &c. Minuitur actio, vbi acute quidem videt oculus, ſed non poteſt tam diu durare quam antea. Deprauatur quum quis quæ ſimplicia ſunt, duplicia putat. Tollitur, ſi oculus nil prorſus videt.

De tertia parte Medicinæ, quæ Σημειωτικὴ dicitur, omnium difficillima, ita etiam iure vtiliſsima.

Signum eſt vocabulum relatiuum, quod intelligi non poteſt abſque ſignato, non tantum ſecundum dici, ſed etiam ſecundum eſſe. Galenus in libello Spurio, de Hiſtoria Philoſophica, vt & Ariſtoteles in lib. priorum analytic. exponunt ſignum Philoſophice, vel logice, & dicunt eſſe * mentis coniunctum, &c.

Omnia ſigna Medice ſumpta, ſi ſignorum eſſentiam ſpectamus, aut ſunt ſignatarum rerum cauſæ, aut effecta, aut connexa cum cauſa & effectu. Vt iris eſt effectum ſignum roridæ nubis. Pleraque vero neque ſunt effectus, neque cauſæ, ſed quiddam coniunctum vtriq; vt tuſſis cum expuitione.

Si conſideremus ſecundum id, quod nos ſpectamus, alia ſunt ſalubria, quæcunque ſcilicet, indicant ſanitatem in toto; aut parte corporis, alia inſalubria, quæ contrarium oſtendunt.

De ſalubribus & inſalubribus Galenus ſcribit in lib. Artis paruæ. Item de Temper. Diuidimus etiam ſigna ratione temporis, vt morbum alia indicant præſentem, vt cognoſcamus vbi, & qualis ſit morbus: alia præteritum, vt cicatrix: alia futurum, vt prænoſcamus morbi euentum, huc κρίσεις, & modi κρίσεως. De prognoſticis Galenus ſcribit in Aphoriſmis, in comment. in lib. prognoſticorum Hippocr. vbi ita expoſita ſunt, vt nihil deſideres, ſiue in acutis, ſiue in aliis morbis. De his rebus etiam habes lib. de criſibus, de different. febrium, præſertim vero lib. de locis affectis. De iis vero, quæ præſentem morbum indicant, & oſtendunt qualis ſit morbus, ex profeſſo ſcripſit in lib. 6. de locis affectis. Signa febrium habes lib. de different. febrium 1. ad Glauconem, lib. 3. de Criſibus, In methodo.

Fontes ex quibus omnia ſigna eiuſmodi ſumuntur.

Tota hæc doctrina poſſet ad quatuor capita reduci, ſed nos perſpicuitatis cauſa quinque ſtatuemus.

I. Videndum quænam actio læſa ſit. Symptoma eſſe actionē læſam, ſine quo ſymptomate non poteſt eſſe morbus (ſunt enim cauſæ, & effectus conuertibiles) iam antea dictum eſt. Nullum igitur tam certum morbi ſignum eſt, quam ſymptoma. Quod ſi igitur recte cognouerimus, quæ actio ſit læſa, quo loco & qualis ſit morbus, facile perſpiciemus.

II. Obſeruandum quæ excernantur ex corpore; ex iis enim facillime iudicamus. Sed in his omnibus prænouiſſe oportet, quæ ſit cuiuſque materiæ ſubſtantia. Neque enim conſideramus ſolum quantitatem, & qualitatem, ſed & per ſubſtantiam intelligimus ſæpe qui loci ſint affecti.

III. Expendendus dolor, vt obſeruemus quæ partes doleant, quoue modo. Quædam enim partes corporis habent dolorem quaſi grauantem. Si dolor eſt obtuſus, hæret in viſceribus. Si longus, in neruis. Si latus, in membrana.

IIII. Animaduertendum etiam vtrum tumor aliquis ſit præter naturam, & an aliqua pars intumuerit, nec ne. Corpus igitur bene contrectandum, vt reperiatur an aliqua ſit durities, vel tenſio.

V. Notanda etiam ſunt propria accidentia, quæ morbū qualibet in parte priuatim conſequūtur: vt ſi quis laboret pleuritide, laborat inflammatione, quæ poteſt in aliqua parte conſiſtere. Sed non eadem habet accidentia, quæ ibi. Sunt etiam alia ſigna coindicantia, vt aer, victus ratio, vigilia.

De quarta parte Medicinæ, quæ Conſeruatiua dicitur, quod præſentem ſanitatem in corpore humano conſeruet.

Pars hæc, ſi rem recte expendamus, a Therapeutica nō differt, neque ab ea diſtinguenda eſt, quod cum ex ipſa rei natura, tum ex Galeni doctrina intelligitur. In libello Galeni ad Thraſybulum, vbi vtrum gymnaſtica pertineat ad Medicinam cap. 2. diſputat. Hoc facit diſcrimen inter conſeruatricem, & curatricem: quod ſecundum maius, & minus dicantur. item lib. 1. de ſanitate tuenda, Corpora inquit noſtra eſſe in perpetuo fluxu, igitur ſemper aliquid effluere. Qui igitur volet conſeruare ſanitatem, eum oportet ſemper tantum & qualitatis & quantitatis reponere, quantum, & quale effluxit. Debemus igitur conſiderare primum temperamentum eius, quod effluxit. Deinde etiam temperamentum eius quod in locum effluxit reponendum eſt. Si qualitas mutata eſt, reſtituatur, atque etiam ita de quantitate. Si id fecerimus, quaſi per inſenſibilia negotium tranſigemus. Habet itaque præſeruatiua locum, vbi exiguum quiddam effluxit. Sed vbi magnum aliquid elapſum eſt, curatiua vtendum. Galenus hanc totam partem diligentiſſime perſecutus eſt in libro de tuenda ſanitate.

Hoc igitur loco temperamentum, quod in phyſiologia cognouimus, eſt ad ſubiectum accommodandum. Atque primo temperamentum illius ſubiecti, id eſt, corporis conſiderandum. Secundo inſtrumentorum ratio expendenda. Deinde vtrum aliquid ſit in corpore immutatum præter id, quod effluxit. Si enim nihil aliud ſit immutatum, Medicus in eo ſolum eſt, vt cibum exhibeat ea quantitate, & qualitate, qua temperetur id quod effluxit.

Præſeruatiua verſatur circa rationem victus, aerem, repletionem, & vacuitatem, exercitia, & lapſus exiguos, vt ſunt laſſitudines. Item circa cruditatem. Huc pertinent libri de alimentis: de cibis boni, & mali ſucci, de attenuante victus ratione. Huius partis etiam eſt conſideratio locorum, regionis, aeris, exercitiorum, excretionum, &c. Ex his videtur verum eſſe

id quod

id quod quidam affirmarunt de ἀπαθείᾳ, quod ſcilicet corpus humanum ſemper ægrotet. Dicitur enim is, qui conſeruat ſanitatem conſiderare ſemper paruum lapſum, & perpetuum fluxum corporis, cui ſemper aliquid decedat. Atque ſic etiam omnia cætera in perpetuo eſſe defluxu, arbitrati ſunt quidam, vt Anaxagoras, &c. Sed ad hoc reſpondetur, nos ſi velimus loqui vt philoſophi, vtq; ratio docet, de corpore humano omnino concedere illa eſſe in perpetua paſſione. Quod Galenus aperte affirmat quoque in lib. de tuenda ſanitate. Verum Medici id non curant, niſi ita mutetur, vt actio aliqua iam ſit læſa. Quod ſi id factum non eſt, reſtituunt lapſum illum, aut victu, aut alia ratione. Neque Medici, neque alii vocant id lapſum; quia nõ curant intelligibiles, ſed ſenſibiles lapſus. Verũ quidem eſt corpora humana ſemper affici, ſed affectiones non conſiderantur a Medicis, niſi in magna latitudine. Atque hoc modo ſecundum Medicos negatur ἀπάθεια.

Quomodo cibus ſit exhibendus in acceßione particulari.

In acutis morbis per totum paroxyſmi tempus cibus non eſt exhibendus. Quod ſi æger ferre non poſſit illam moram, tunc exhibeatur quatuor horis ante acceſſionem, vt ſit iam cõcoctus quando fit acceſſio. In continuis morbis detur eo tempore, quo paroxyſmus eſt leuiſſimus, & calor mitiſſimus, & tempore ægrotanti conſueto.

Pharmacum dicitur quicquid natura alterat, & aer, & quæ ſecant, cõtundunt, &c. quæ mutant, aut conſeruant.

Omne vero pharmacum, aut vacuat, aut alterat.

Vacuamus autem multipliciter. Primum aut venæ ſectione, aut purgatione (quæ ſunt perſpicuæ, & frequentiſſimæ purgationes) aut inædia, aut mouentibus ſudorem, aut medicamentis diſcutientibus, aut per vrinas, aut per menſes, aut per hæmorrhoidas. Atque ſic vel vacuamus totum corpus, vel partem aliquam. Inædia vacuat per accidens, & ea non ſemper poſſumus vti: multa enim ſæpe id prohibent. Galenus 10. Method. ſunt quidam ita affecti, vt ſi non detur cibus, primum incidant in febrim, &c. Nec omnes morbi per inædiã poſſunt euacuari. In pituitoſis inædia eſt vtilis, in reliquis non itidem.

Alterationis ſpecies multæ ſunt, ſed poſſunt comprehendi ſub his nominibus, quod, ſcilicet, alia ſpecies ſit concoctio, alia digeſtio, vel diſtributio, ἀνάδοσις (noui practici nil fere per hanc aliud quam concoctionem intelligunt) alia alteratio proprie dicta (alteratio a Galeno vbique bifariam diuiditur, vt ſit vel mutatio qualitatis, vel loci, proprie tamẽ cum loquimur, non eſt alterationis ſpecies, ſed motus, verum Medici ſub alteratione etiam comprehendũt) quæ nil aliud eſt, quam mutatio qualitatis in corpore. Alia præparatio, iſta autem non fit vno ſemper modo. Eſt etiam diſputatio, an ſit concoctio nec ne: item, an humores ſtatim ab initio detrahendi, an vero prius concoquendi.

Sed de hac re ita ſtatuendum. Primum præparationem fieri, quando craſſa inciduntur, vt cum dicimus, cibum præparari ventriculo, ſi bene manducamus atque maſticamus in ore: attenuata enim facilius a partibus, in quibus collecta ſunt, digeruntur. Secundo, fit etiam præparatio, quando meatus * cum, ſcilicet, vena aliqua obſtructa eſt, ob quam cauſam medicamentum trahere commode non poteſt. Sed hæc præparatio præcedit purgationem fere, non concoctionem.

Tertio cum adhibemus detergentia, quibus humores lentos partibus adhærentes detergimus.

Quarto cum humores acutiſſimos retundimus, temperamus, & benigniores reddimus per medicamenta ἐπικεραστικά. Quæ vero pus mouent concoctioni *

Concoctio vero generaliter omnem reductionem humoris cuiuſque ad benignum, id eſt, ſimilem ſignificat. Specialiter vero cum humor ita mutatur, vt in ſubſtantiam mutantis conuertatur.

Percurrantur iam omnes ſpecies facultatum medicamẽtorum, & apparebit omnes reducendas, vel ad euacuationem, vel alterationem.

Vacuamus vero multis modis, ſed duo ſunt præcipua genera. Primũ, cum totum corpus vacuatur, ſcilicet, per venæ ſectionem, purgationem, ſudorificum aliquid, vel menſes. Alterum cum pars aliqua, vt per nares, & palatum vacuatur cerebrum. Item cum ſcarificamus, atq; medicamentis e pectore aliquid educentibus vtimur. Venæ ſectio tum requiritur ſolum. Primum vbi morbus eſt magnus. Secundo cum & vires conſtant. Tertio cum ætas neque puerilis, neq; ſenilis eſt. Sed obiicies fortaſſis, non abundare ſanguinem. (Galenus lib. de curandi ratione per venæ ſectionem: item 4. comment. de ratione victus in morbis acutis, & in methodo) Ad hoc reſpondetur. Vt morbus non ſuperet, vena ſecanda eſt, etiamſi non abundet ſanguis. Idque cauſa malignitatis ipſius, vt in peſtilente febri vehementiæ aſ-

fecti loci nobilis. Hîc tamen exceptiones ſunt vt in peſtilente; quamuis non ſint propriæ exceptiones, quia neque in peſtilentibus vires conſtant. Secamus autem non ſemper vt vacuemus, ſed vt & deriuemus ab affecto loco, & reuellamus, & prohibeamus, ne poſſit ad eũ locum fluere. In iis autem, qui nondum ægrotant, ſed præſeruari volunt, profecto ſanguinem non educimus, niſi cum redundat: Illis autem quos ſcimus breui tempore colligere ſanguinis copiam, & morbis eſſe obnoxios, aliquando in vere detrahimus. Tempus venæ ſectionis non eſt dies, ſed omne tempus, cum vires adhuc bene conſtant, quod eſt in principio morbi. Vide Galenum de curatione per ſanguinis miſſionem. Cæterum cauendum eſt, ne ventriculus ſit plenus, vel cruditate laboret. Ideo autem mane fere ſanguis mittitur, quia ventriculus tunc eſt vacuus, & cibum per totam noctem conſumpſit. In iis vero, qui nihil fere comederunt ante, nil vetat etiam veſperi, vel de nocte ſanguinem mittere. Dicunt quidam, ſi ſanguis mittatur ſano viſu debilitari. Id vero non ſolum in viſu, ſed & in reliquis ſenſibus, ſi ita ſentiant, fieri probabile eſt. Si vero in plenis ſanguinem mittamus, aut ſanguis tranſpiret, non ſolum non hebetatur viſus, ſed etiam acutior redditur. Galenus ideo in lib. de ſanguinis miſſione capite 7. obtuſum habentibus viſum, & ſanguine redundantibus, venam ſecandam præcipit.

De purgantibus.

In purgatione quatuor fere ſunt conſideranda. Primũ virium robur. Secundo vtrum humores ſint craſſi & lenti: quod ſi tales ſint, non ad purgationem accedendum, niſi inciſi, & deterſi fuerint. Tertio, vtrũ meatus aperti ſint, alias fruſtra exhibebitur, vt ſi venæ meſaraicæ ſunt obſtructæ, tum igitur reſetandæ. Quarto vtrum aliqua ſit inflammatio, in partibus vicinis, meſara, ventriculo, & hepate, tunc non purgandum eſt.

De quinta Medicinæ parte, quæ Therapeutica, ſeu Curatiua dicitur.

Non recte Celſus, & alii ipſum ſequentes, Medicinam (hoc eſt, hanc partem a qua vera Medicina nomen habet) in tres partes diſtribuerunt, eam, ſcilicet, quæ victu curat, quæ medicamentis, & quæ manuum opera. Ex fine .n. ſupra intelligi potuit vnam tantũ eſſe artem Medicam. Pars certe non habet tres partes, ſed tribus vtitur inſtrumentis. Quæ præceſſit pars plerumque victus ratione vtitur, & ita fere nihil, quod animaduerti poſſit a conſueta ratione, recedit, vt omnes norunt, medicamẽtis vero raro vtitur, manuũ opera numquam ſere.

De victus ratione.

Cibus, & potus neceſſaria ſunt corpori, propter cauſam, quia quotidie aliquid decedit ex corpore noſtro, quod niſi reſtituatur, viuere diu homo non poſſet: Vltra enim 7. dies abſque cibo ad longiſſimum, vitam protrahere non poteſt. Cum igitur ad conſeruationem corporis tum requiratur, cur ad curationem adhibetur? Nullus eſt morbus, qui indicet, requirat, vel poſtulet cibum aliquem: imo quando exhibemus, tantum adhibemus ſomentum morbo, & quo magis nutrimus, eo magis etiam lædimus, quantumq; adhibemus cibi, tãtum morbi ſubleuationem retardamus, quia impedit naturam: ſæpe enim morbos internos nec Medicus, nec cibi, nec medicmenta, ſed natura curat; cuius actio ſi a cibo diſtrahatur, ita agere contra morbum non poteſt, ſed occupatur in cibo concoquendo.

Principia in curatiua methodo obſeruanda. Cibum non exhiberi vmquam niſi propter conſeruationem virium. Virtus corporis eſt quæ curat. Natura omnia facit primo, proxime, & proprie, Medicus ſecundo, ſiue per accidens. Per cibum vero ſeruantur vires corporis, vnde & ipſi dicuntur curare morbos.

Quomodo Galeni loci de ſcopis victus intelligendi?

Victus, ſeu cibus nemini ſuit exhibitus, ni vires poſſet conſeruare. Virtus igitur ſola indicat cibum exhibendum. Scopus vero morbi quantũ & quale. Quale natura, & cauſa morbi. Murbus omnis repudiat cibum, & docet non eſſe exhibendum. Febres acutæ, quæ decimum quartum diem excedunt, dicuntur ἐκ μεταπτώσεως, ex recidentia. In cibo ſemper detrahendum vſque ad ſtatum. Cibum indicat virtus. Quantitatem virtus cum duratione morbi. Qualitatem eſſentia, ſeu qualitas cauſæ. Cibus neque calefacit, neque frigefacit, ſed relinquit curpus quale accepit. Medicamenta vero mutant corpus, & qualitatem. Inter medi-

camenta

camenta, ſunt quædam media, quæ & alimenta, & medicamenta dici poſſunt: quæ ſunt alimenta, quatenus ex ipſorum ſubſtantia reſtauratur noſtra ſubſtantia: medicaméta vero ideo dicuntur, quatenus qualitate ipſorum mutatur qualitas corporis noſtri.

Præter hæc conſideranda ſunt ætas, cõſuetudo, regio, exercitium, & huius generis alia, ſiue de ſubſtantia, ſiue quantitate, ſiue qualitate.

De ſexta parte Medicinæ, quæ Chirurgica dicitur.

Tradiderunt hanc partem Hippocrates in lib. de fracturis, de oſſibus, & medica. Galen. Methodo. 3. 4. 5. 6. lib.

Paulus Ægineta ſummam horum librorum complexus eſt in vnico ſuo ſexto libro.

FINIS.

Diſputatio de Saporibus, quatenus hi vtiles ſint ad perueſtigandas Medicamentorum vires: in qua etiam aliæ quædam vtiles ſcitu quæſtiones declarantur.

AVTORE

Thoma Eraſto Medico D.

RESPONSIO THOMAE ERASTI AD OBIECTIONES D. DOCTORIS I. C. CONTRA THEſes de Saporibus diſputatas.

PVTABAM nuper, cum Galeni ſententiam, quam nos ſequebamur, tam acerbe carpebas, te recondita quædam habere, quæ nobis obuceres. Magno propterea deſiderio, tuas obiectiunculas expectauimus, ad quas nunquam certe reſpondiſſem, ſi ad vnum me ſcripſiſſes. Nunc cum aliis, atque etiam auditoribus meis legenda exhibuiſti, ne illi tecum fallantur, ſed rectius omnia cognoſcant, examinanda nobis erunt, quæ ad rem pertinere videbuntur. Interdum attingemus etiam a propoſito aliena, cum occaſionem nobis præbebunt talia dicendi, ex quibus cauſa dilucidior reddi poſſit. Sequutus autem ſum ordinem tuum, niſi cum aliquando vno in loco expoſui, quæ tu diuerſis in locis de eadem re ſcripſiſti. In Syllogiſmi formam præterea, vt res eſſet planior, redigere ſtudui, quæ ἀσυλλογίστως ſcripſiſſe tu cęteri potes. Talis videtur prima ſtatim obiectio, quæ hoc modo inſtitui poterit:

Quod planius nobis herbarum nomina ſuggerit, quam facit ſapor, magis conducit ad medicamentorū facultates cognoſcendas. At planius faciliusq; odor, quam ſapor, ea nobis indicat. Ergo odor, quam ſapor, conducibilior eſt ad inueniendas pharmacorum vires. Si propoſitio tua eſt vera, efficiam ego colores, quam odores ac ſapores, multo euidentius docere, qua ſint medicamēta quælibet poteſtatę prædita. An qui plantam aliquam diligenter inſpexit, & colorem eius accurate conſiderauit, vbi eandem iterum videt, non melius cuiusq; agnoſcit, quam ſi vel odorem vel ſaporem illius percipiat? Si non eſt hoc in omnibus verum, in plurimis certe, ne in omnibus dicam, verum eſt.

Sed dic quæſo, nomen ad rem præſentem quid facit? An putas eum, qui nouit quo nomine plāta aliqua appelletur, mox vim facultatemq; illius peruidere? Si ita eſt, plæriq; omnes idiotæ rectius ac doctius de herbarum viribus diſſeruerint, quam multi Medici, & quam tu quoq; in hoc ſcripto tuo diſputes.

Illud præterea falſum eſt, planius ex odore, quam ex ſapore, herbas agnoſci & dignoſci. Equidem frequenter, imo quotidie vſu venit, vt quæ odor indicare nequiuerit, ſapor indicet. Ergo cum nec propoſitio, nec aſſumptio vera ſit, de complexione quid ſentiendum nobis ſit, vides.

Verum enimuero placet aſſumptionem pauliſper concedere. An hinc conſequetur, medicamentorum vires per odores felicius indagari poſſe? Non credo. In cauſa eſt, quod haud paulo plures viſu, quam olfactu, ſtirpes agnoſcimus, quarum tamē facultates nobis colores nequaquam felicius ſignificant quam odores. Confirmatio quam adiicis, æque eſt lubrica & falſa. Odorum, ais, differentiæ notiores ſunt, quam ſaporum. Idem hoc non ita multo poſt repetis. Vnde non excidiſſe, ſed præmeditato tibi dictum eſſe coniicio. Addo ergo Maiorem. Quod notiores habet differentias, plus adiumenti adfert medicamentorum facultates inueſtiganti. Ergo præſtabunt hac in re ſaporibus odores. Vides, opinor, hic quoque vtramq; propoſitionem falſam eſſe. Nemo dubitat ex coloribus coniecturam aliquam de temperamento, licet obſcure, ſumi poſſe. Nec minus confeſſum eſt, colores colorumue differentias notiores nobis eſſe, quam odorum, ac fortaſſe etiam ſaporum. Ex tua ergo ſumptione concludetur, plures nos vires medicamentorum ex coloribus cognoſcere, quam ex odoribus. Quod cum ſit manifeſte falſum, neceſſarium eſt, tuam propoſitionem, ex qua id efficiebatur, falſam eſſe.

Aſſumptio non meo, ſed Philoſophorum ac Medicorum præſtantiſſimorum iudicio prorſus falſa quoq; eſt. Intelligere ex eo debebas, quod nomina imponere paucis omnino odoribus potuerunt. Quod tametſi naturæ nihil adimit, vt tu recte dicis, argumento nihilominus eſt, homines doctos non tam multas habuiſſe odorum ſpecies cognitas, quot ſaporum. (Quanquam hic quoq; plura fortaſſe ignoramus quam ſcimus.)

Non neſcio res infinite plures eſſe, quam nomina. Et hac de cauſa non potuiſſe ſingulis nomina imponi, haud inficior. Hoc aio, quæcunq; cognitæ ſunt rerum differentiæ, illas aut nominibus aut oratione ab eruditis diſtinctas expoſitaſq; eſſe. Clarius & verius eſt hoc, quam vt dubitari de eo poſſit. Ergo ſi qua res non eſt aut nomine aut oratione declarata, nominataq; ea vel prorſus latuit, vel eadem eſſe cum alia quapiam propter affinitatem ac ſimilitudinem viſa eſt. Iam non eſt multis cur oſtendere velim, perpauca nos habere odorum diſcrimina, quæ ſint oratione expreſſa. Saporum certe plura ſuas habent appellationes. Quinimo

imo

imo ſaporum nomina indita ſunt odoribus quoq;, illis præſertim, qui nutrimentum indicare poſſe videntur, vt vel hac ratione diſtingui poſſent. Non obſcure patet, minus commodè rem in quibuſdam ſuccedere. Quis enim, vt alia mittam, animo concipiat odorem ſalſum, nitroſum, amarum? Claudicat ergo tua ratio iſta non minus, quam ſuperior.

Sane Galenus in 4. cap. de differeor. Sympt. ex Platone recenſet idcirco veteres non omnibus rebus nomina impoſuiſſe, quia plurimas tantum adhuc ignorarent. Iam res aliter habet. Nihil enim fere neſcitur eorum, quæ ſciri poſſunt, hac in parte. Niſi tu fortaſſe plures quam omnes alii, quod tamen nondum apparuit, odorum differentias percognoneris. Profecto qui verum fateri volet, non de ſe modo fatebitur, verum etiam de aliis, crebro nos olfacere quædam, quorum odores verbis nullis eloqui poſſumus.

Sed ne in te omnibus teſtatiſſima ſim longior, quod ſupra feci, hic quoq; vltro faciam, odorum differentias tibi, emunctiſſimæ ſcilicet naris homini, notiores eſſe concedam. An propterea vere concluſeris, ex odore, quam ex ſapore medicamentorum vires plenius commodiuſque percipi? Non arbitror. Saporem Galenus plura nos docere, cum medicamentorum vires inquirimus, quam odorem, affirmauit. Pro cauſa attulit, quod odor illius duntaxat ſubſtantiæ index poſſit eſſe, quæ ad nares vſq; peruenit. Peruenit autem ea, quæ ab odoratis rebus exhalat. Iam non alia, quam quæ a calore in te ouiſſimum ſpiritum cõuerſa eſt, exhalat. Quam ob rem non de omnibus medicamenti partibus, ſed de ea tantum, quæ ſe ad nares diffundit, coniicere ex odore poſſumus.

At vero perpauca reperiuntur corpora, quæ in ſpiritum exhalationemque tota conuertantur, niſi ignis vi in fumum ſoluantur. Non enim partes habent eiuſdem naturæ omnes, & ad expirandum ſimiliter idoneas, quæ vehemẽter olent, vt de inodoris taceam, quorum numerus eſt maximus. Et quæ odorata ſunt, tempore ſæpe odorem perdunt, nulla fere ſenſibili ſubſtantiæ imminutio oe facta. Quod cum ſit omnibus hominibus teſtatum, probatione nulla eget. Quinimo iam dicta planiſſime demonſtrat. Nam ſi æque eſſent ad exhalandum partes omnes aptæ, in ſpiritũ aliquando omnes ſoluerentur, nec odorem ante amitterent, quam tota in ambientem corpora diſſoluta diſſipataq; forent.

Quæ odorem amittunt, quaſdam partes in ſuperficie extenuatas poſſident, aut humorem tenuem coctumq; contineent, qui breui totus in vaporem conuerſus, expirat. At terreæ craſſæq; partes, vt quæ nec dum exenuatæ ſint, remanent odore deſtitutæ. Porro certũ confeſſumque eſt omnibus veritatis ſtudioſis, imo cunctis hominibus, in pleriſq; odoratis medicamentis, partes non paulo plures ineſſe, quæ effluere nequeant, quam quę attenuari & in vaporem ſolui queant. Hic rurſus nõ ratione, ſed ſenſu opus eſt. Accipiat, qui non credit quam volet plantam, fructum, florem odoratum, aſſeruet tantiſper dum aut maxima ex parte, aut prorſus odor euanuerit, & remanentes partes cum illis quæ expirauerunt conferat. Quod cum fecerit, nos nihil non rebus conſentaneum dicere perſpiciet.

Quæ huc vſq; diximus, clare oſtendunt, primum quidem, non de omnibus medicamentis ex odore certi aliquid colligi poſſe. Plurima namque odore carent, de quibus aliud nihil affirmare poſſis, quam calorem ea ignauum adeo habere, vt perpaucas partes extenuare potuerit, aut ita temperata ab initio fuiſſe, vt olfactum exhalatio mouere nequiuerit. Deinde vero ne de odoratis quidem omni tempore odor indicat, quippe facilius in quibuſdam euaneſcit quam ſapor. Et cum vigent, ſuoſq; adhuc ſeruant odores, nihil de illis partibus, quæ ad exhalandum non ſunt aptæ notæ, certi pronunciari adhuc poterit. Hoc odor iudicat ſolum, partes in corpore odorato quolibet contineri quæ a calore percoctæ extenuatæq; ſint hactenus, vt in aerem diffundantur. An vero aliæ in eodem medicamento ſubſtantiæ partes reperiantur, quæ huc-uſque non ſint elaboratæ, oſtendere nullo pacto valet.

Non ſic in lingua ſaporibuſque res habet. Non enim vna aliqua pars ſola medicamenti linguam contingit, ſed omnino omnes ac ſingulæ pro ſua natura poteſtateque ſenſionem in ipſa excitant. Ne hic quidem alio quam ſenſus iudicio eſt opus. Sæpiſſime accidit, vt re aliqua deguſtata, plures lingua diuerſoſq; eodem tempore (aut mox alios poſt alios) nonnunquam etiam contrarios ſapores percipiat. Quod certiſſimo nobis eſt argumento, plures eodem tempore medicamenti partes linguam attingere, cum interea odor non niſi vnus nares feriat. Quare cum nares ſolum extenuatas in halitum expirataſque partes, linguam autem prorſus omnes ſapore præditas concipiat, quis tam eſt iners, qui non guſtatum hic odoratui præſtare concedat? Quod ſi lingua, quam nares plures nos vniuſcuiuſque medicamenti poteſtates cognoſcere docet, neceſſario conſequitur obiectum linguæ ſaporeſue, plus adferre nobis hac in re commodi, quam obiectum narium ſiue odores. Idem quia tu quoq; vidiſti, in eo tamen acquieſcere non voluiſti, credere me oportet, te aut non ſatis intellexiſſe, aut ſtudio diſſimulaſſe. Horum alterum inſcitiæ, alterum ſi nihil aliud, certe imprudentiæ argumentum foret.

Expoſui iſta paulo verboſius, non tamen quam oportuit, quia omnes tuos conatus vna fere iſta ratio irritos facit. Hæc eſt cauſa, cur ſaporibus quam odoribus plus tribuendum cum Galeno cæteriſq; viris præſtantiſſimis putemus, non illa, cuius tu mentionem facis, quod homo odoratum habet, teſte Ariſtotele, imbecillimum. Quamquam non inficias eam, difficultatem hinc quoque plurimum augeri. Tanto enim minus probe exacteque odorum differentias, quam ſaporum dignoſcere poteſt homo, quanto ſaporum diſcrimina diiudicare certius poteſt, hoc eſt, quanto guſtatus eſt odoratu in nobis præſtantior ac melior.

Sequitur alia obiectio. Moſchum & Zibettum rectius odore, quam ſapore iudicamus. Ergo plus tribuendum odori. Hoc te inferre voluiſſe vaticinor. Odorata olfactu potius quam guſtu cuiuſmodi ſint, iudicari perlibenter fateor. Ita etiam ſapores guſtu certius ac verius dignoſcuntur quam olfactu. Atque ſemel vt omnia dicam, ſenſuum vnuſquiſq; certiſſime de ſuis obiectis iudicat. Cum ſcire cupimus, quod nam ex duobus aut pluribus medicamentis ſuauius aut inſuauius, acutius aut remiſſius oleat, quis miretur ſi olfactum non guſtum conſulamus? Tunc enim non aliud, quam odorum diſcrimina quærimus. Ita medicamenta recentia ab antiquis, integra a putridis, vera ab adulterinis, bona a malis aptiſſime diſtinguim⁹. Atque odorem hic nobis non parum ſeruire, vel ex libro ad Piſonem didicerimus.

Cum vero illud a nobis quæritur, an Moſchus Zibettum & huius generis alia, vel ſumpta vel illita, certi aliquid in corpus agere poſſint, non contenti ſumus odore, ſed ſapori plus confidimus, niſi omnino ſimiles partes tale medicamentum poſſidere cognitum compertumq; habeamus. In Moſcho partium eſſe diuerſitatem, ſapor aperte docet, licet quæ odore ſunt præditæ, numero facultateq; fortaſſe antecellant. Quare non ex ſolo iudicamus odore, cum non quã bene aut male oleant medicamenta, ſed quibus morbis mederi poſſint, præcipue cognoſcere ſtudemus. Quod longe aliud eſt, quam cum odoris tantum cauſa, vt reliqua vnguenta, expetimus, & inter ſe conferimus. Ergo falſum eſt antecedens, nec probas quicquam. Quod ſi aliter tu accepiſti, ad rem nihil facit, nec quod tu putas, ex eo efficitur.

Hactenus argumentis te probaſſe opinaris, odori plus tribuendum eſſe in inueſtigatione facultatum medicamentorum. Iam illud agere videris, vt nos, quia aliter ſentimus, non recte facere probes. Non enim quo modo aliter tua accommodem video. Quam feliciter hic quoq; laboraris, mox patebit. Sic igitur te argumentari voluiſſe diuino. (Oedipum me ſubinde, non Dauum, eſſe oportet.) Odor plura nos docet, quam ſapor; male igitur tu facis, qui omnem naturæ & temperamenti cognitionem acceptam fers vni ſapori. Repetis eandem poſtea ſententiam (de conſequente loquor) in tertia & quarta parte tuarum obiectionum. Neque tamen reperies vllo in loco dictum a nobis fuiſſe, ſolum ſaporem indicare nobis temperamenti qualitatem. Quinetiam in prima iſta theſi, tua reprehenſio valide confutatur. Nam odori hic etiam aliquid tribuimus, & ſaporem non neceſſarium eſſe explicatis verbis ſcripſimus.

Ita Theſis habet. Naturæ ac generationis ſaporum notitia ad cognoſcendas medicamentorum facultates, multo quidem eſt quam odorum (quanquam pene ſimilis vtrorumq; generationis modus eſſe videatur.) vtilior, non tamen neceſſaria prorſus exiſtit. Sane quod vtilitatem quidem præbet ad alicuius rei inquiſitionem, attamen vſum neceſſarium non habet, tale non eſt per quod ſolum, quod quæritur, inueſtigari queat. Quippe ſine quo aliquid inueniri nequit, id ad eiuſdem inuentionem omnino eſt neceſſarium. Atqui ſapores vtiles quidem, non tamen neceſſarios eſſe ad perſpiciendas medicamentorũ facultates, quas temperamentum parit, ex Galeni ſententia recte vereq; diximus. Quid igitur in mentem tibi venerit, vt ſapori tantum nos deferre affirmares, neſcio.

Probatio certe tua eſt vana, ridicula, putidula. Nullam ais, odorum facis poſtea mentionem amplius, Ergo ſapori aſcribis omnia ſoli. Quaſi vero non licuerit mihi odores præterire, qui de ſaporibus, non de odoribus, præcipue agere ſtatutum haberem. An propterea inutiles iudicare exiſtimari debebo? Aut ideo ſapori omnia deferre videbor? Poſſem, ſi odori nihil concederem, alteri cuipiam qualitati partem laudis iſtius adſcribere. Deinde cum odorem non plane inutilem eſſe dixi, licet nõ æque vtilem atq; ſaporem conceſſerim, rurſum nihil conficis. Præterea ſi nullam prorſus odorum mentionem feciſſem, an propterea nihil eos operæ præſtare cenſuiſſem?

Adde quod tui fortaſſe oblitus, mox affirmas, nos in ſecunda theſi odorum atque ſaporum cauſas indagare, & de origine harum duarum ſenſibilium qualitatum in eadem agere. Id ſi verum eſt, non prorſus nullam odoris mentionem facio. Ita tuis temet rationibus ſubinde refellis, pro quo tamen officio non magnas tibi habemus gratias. Etſi odoris cauſas in præſenti loco non ex profeſſo excutere animus eſſet, non tamen prohibere voluimus, quo minus tu, & quicunque vellent, id faceretis. Ex iſtis ſic expoſitis clare vides, neque antecedens, neque conſequens tuæ ratiocinationis conſiſtere poſſe. Quod cum ſit manifeſtum,

negari

negati nullo pacto poteſt, quin falſo tu nos accuſes, quaſi de medicamentorum ſacultatibus indagationem obſcuremus.

Bonum ſit fortaſſe hic quoque acumen tuum conſiderare, argumentaq; expendere, licet vix ad ſormam redigi aliquam poſſe videantur. Complexio tua hæc eſt, Obſcuratur naturæ medicamentorum indagatio, cum ſapore contenti, non etiam odorem in ſuis caſſis inquirimus. Libenter hic tibi aſſentimur. Eandem noſtram quoque mentem eſſe, vel ex ipſis theſibus docuimus. Nihil ergo erat opus, vt probare velles, quod ego iam ante ſponte tibi dederam. Sed conſideremus medium ſeu cauſam, qua probas. In omnibus enim naturæ actionibus, præcipue attendenda eſt concoctio. Haud ſcio, an cum hæc ſcriberes, de certa argumentandi ſorma cogitaris. Si cogitaſti, talis, niſi ſallor, erit:

Quiſquis non in omnibus naturæ actionibus præcipue attendit concoctionem, is methodum inueſtigandi pharmacorum virtutes obſcurat. Porro qui ſapore contentus non etiam odorum cauſas perquirit, non præcipue attendit coctionem in naturæ actionibus: Ergo methodum inquirendi pharmacorum vires obſcurat. Nos, quia non ex ſolo ſapore temperamentum perdiſcendum putamus, hoc argumentum, in quo tamen non omnia placent, valere ſinemus. Pars prima propoſitionis primæ, ita probatur: Quod efficit vt res gratum ingratúmue ſpirent odorem, præcipue in omnibus naturæ actionibus obſeruandum eſt, At coctio id perficit. Etenim odorata bene cõcocta ſunt, fœtida male. Ergo coctio in naturæ actionibus diligenter & ante omnia conſideranda eſt. Ex coctione porro intellecta, iudicium de gradu caloris ſiue actionis erit ſacile. Ne videar rixari velle, atque minuta quædam ſuperſtitioſe conſectari, omittam multa quæ ſuſpecta mihi ſunt, ac illud expendam, quod odorata bene concocta graueolentia vero incocta ſeu cruda dicis eſſe. Nimis enim craſſe vel indiſtincte a te dictum id mihi videtur.

Ergo duo hic ſunt conſideratione digna. Vnũ, quod fœtida cruda potis eſſe. Alterum, quod cruditatem hanc in plantis a nimio calore fieri putas. Si odor malus ſemper a cruditate proficiſcitur, neceſſario ſequitur, vt, quæ natura fœtida apparent nobis, cruda ſemper ſint, nec vnquam percoquantur. Tunc hyoſcyamus, teſtes Caſtoris, Sagapenum, Aſſa fœtida, & infinita alia, numquam ſunt perfecta, ſemperque intra fines terminumq; perfectionis a natura ſibi præſcriptum, permanent. Etenim vnum quodque ex his perfectum non ante cenſeri poteſt, quam recte ſit concoctum: ſi numquam recte concoquũtur, numquam perficiuntur. Dici tam non poteſt, ea ſemper plus quam ipſorum naturæ conueniat concoqui, quam non poteſt credi, calorem numquam ad maturitatem ſuam ea perducere. Neutro igitur modo cruda exiſtimanda ſunt. Quod ſi aliquando eam perfectionem conſequerentur, vt ſibi ſimile producerent, nec tamen grauiter olerent, ſuſpicionem aliquam cruditatis fœtor ſecerit fortaſſe. Quod cum eueniat numquam, iniuriam ſacis naturæ, eiuſq; opifici Deo, cum cruda vocas, quæ ipſe eouſq; percoqui voluit, quouſq; autoris iuſſui parentia percoquuntur. Etiam fœtentes plantæ ſuas habent, eaſque perfectas & abſolutas concoctiones. Nec minus probe ſuos habent ſuccos, pro ſua natura elaboratos & perfectos, atq; illæ habent, quæ ſunt iucundiſſimo præditæ odore.

Fruſtra te hic excuſaris, homini comparata ſic dici. Certum enim teſtatumque omnibus eſt, ex odoratis pariter atq; fœtidis, inueniri quæ calefaciant & quæ frigefaciant hominis corpus. Quare ſi hæc partim ab imbecillo, partim a valido nimis calore fiunt, illa quoque ab vtroque fieri oportet. Quod ſi non modo grauis, ſed etiam ſuauis odor a maiore ſimul minoreque calore generatur, ſalſum eſt, beneolentia a temperato ſeu moderato, grauiter autem olentia vel ab effœto, vel nimio calore produci, comparatione ſacta ad noſtra corpora. Aromatum, Moſchi, Zibetti, mentionem tantum faciam. Quis non iſta a calore plus quam temperato, ſi ad noſtra referantur corpora, gigni confiteatur? Quis rurſus non violas, & roſas, frigidiores eſſe noſtro calore concedat? Non igitur pro excuſatione adferre hoc poteris.

Iam illud conſideremus, quod cruditatem a nimio etiam calore naſci cenſes. Quid te deceperit videre mihi videor. Medici nonnumquam crudos appellant calidos etiam bilioſosq; humores, tametſi multo, quã expediat corpori, calidiores exiſtant. Sed hoc tuã cauſam nihil omnino iuuat. Etenim eiuſcemodi humores, non ante crudi putantur nominanturq;, quam naturæ imperium detrectarunt, morboſque in corpore excitare cœperunt. Hoc tempore, natura, non vt eos generet elaborare nititur, ſed vt malitia eorum expugnata, ipſos redigat in ordinem, ſtudet. Crudi igitur tantiſper vocantur, dum ſecunda, iſta concoctione ſuperentur, hoc eſt, dum effrenes in corpore hinc inde vagantur, nec imperio facultatis naturalis parent. Cum primum vero eos hactenus compeſcuit, vt vel expellere extra corpus, vel alias frenare poſſit, concocti, alio certe modo, dicuntur, quam humores cæteri, qui naturæ motum ſeruarunt, & in hunc finem generati ſunt, vt alimentum corpori ſint.

Eodem igitur tempore, intra corpus humores aliqui ſunt concocti & elaborati, & præ-

terea crudi, ampliore indigentes concoctione, non quidem vt fiant, iam enim ſunt, ſed vt malitiam, quam induerunt, deponant, naturæque pareant. Si 4. librum Ariſtot. de Meteoris ſtudioſe perlegeris, videbis eandem rem, comparatione ad diuerſos ſeu fines ſeu vſus facta, coctam pariter crudamque vocari poſſe. Τέλος δ'ἐςὶ τὸ αὐτὸ πᾶσιν, inquit Ariſtoteles, ὅτι ἑψομένοις ὅτι πεπτομένοις, ἀλλὰ τοῖς μὲν τροφή; ἐνίοις δὲ, τοῖς δὲ τροφή; φάρμακον, τοῖς δὲ πρὸς ἄλλην χρείαν. Quocirca alio reſpicientes dicimus bilem putridam eſſe crudam, quam cum ſanguinem dicimus eſſe crudum. In hoc ſpectamus perfectionem, per quam nutrire partes poſſit. In illa naturæ obedientiam ad expulſionem.

Quod ſi in allio tales reperies humores, facile patiar, vt crudos eos appelles, atq; adeo a calore vehementiore huc perductos opineris. At vero cum natiuum allii, aliorumq; graueolēnium pharmacorum ſuccum crudum nominas, nihilo rectius loqueris ac ſentis, quam ſi recte & ſecundum naturam affectos ſuccos probum videlicet ſanguinem, crudum nominare iudicareq; velis. An ſuccus natiuus allii omnis, qui in omni allio temporeque omni reperitur, tam eſt effrenis, vt formæ eius nunquam pareat, ſed perpetuo eidem reſiſtat hactenus vt imperio ipſum ſubiicere ſuo numquam valeat?

Hoc ſi dici cogitarique non poteſt, (non enim redundant plantarum corpora excrementis, vt animaliū corpora, quod & res, & experientia docent, ac Ariſtot. in 13. proble. ſect. comprobat.) multo minus illud vere dicatur, eum noſtro calori comparatum crudum appellari poſſe. Nam nec frigidior eſt noſtri corporis calore, nec eiuſdem eſt excrementum, actionem imperiumque ipſius defugiens. Si quidem intra corpus numquam fuit, nec futurus etiam eſt, niſi admoueatur. At tum medicamentum erit, calorem habens longe, quam noſter eſt validiorem. Hoc, tamquam inſtrumento, natura vtitur ad diſſecandos craſſos lentoſq; humores, & huiuſcemodi alia opera perficienda. Si ob eam cauſam allii ſuccus crudus eſt nominandus, erit omnium calidorum, imo plane omnium ſuccus, crudus dicendus.

Fortaſſe pro te adduces Ariſtotelis ſententiam, excrementa & malcolida cruda vocitantis. At hac obiectione aliud non efficies, quam quod Ariſtotelem recte loquentem, te non recte intelligere demonſtrabis. Etenim excrementa, & quæ in corpore noſtro grauiter olent, recte cruda nominantur, eo, quo iam expoſuimus, modo. Calor enim ad certam vſque metam agere in ea debebat, vt ad benignum ſtatum perduceret. At in allio humorem, qui iam finem ſuum aſſequutus eſt, ne, ſi poſſit quidem, mutare amplius velit allii forma. Et quo humores & excrementa fœtent illic magis, tanto hoc ſunt pacto crudiora, & naturæ actioni magis rebellia. Ita namq; iſta coqui oportet, vt pus in abſceſſibus concoquitur. Quanto vnumquodq; coquitur melius, tanto minus male olet. In cauſa eſt, quod corpori quod nō fœret aſſimilatur, quantum ipſius natura patitur, proxime.

At allii ſuccus, quanto coquitur perfectius, & ad naturam allii, quæ fœtida eſt, accedit propius, tanto redolet grauius. Niſi ita fieret, ne concoqueretur quidem. Siquidem concoctio aliud non eſt, quam rei, quæ cōcoquitur, cum ea, quæ coquit, aſſimilatio. Hæc vera cauſa eſt, cur excrementa corporis noſtri fœtida, cruda vocarint nonnulli, nihil autem aut parum male olentia, concocta. De coctione enim non qualiber, ſed ea, de qua dictum fuit, intelligi oportet. Quæ ſimpliciter cruda ſunt, hoc eſt, a calore imbecillo nihil perpeſſa ſunt, ea tantum abeſt, male vt oleant, vt plerumq; nihil oleant, niſi putredinē quampiam contraxerint. Quod perfacile illis accidit, cum præſertim abundant, aut alia quauis ratione naturæ imperium detrectant. Exemplo vrina tibi ſit cruda, quæ tam non olet grauiter, quam aqua ſontana, cui ſimilis ſæpe cernitur.

Hæc ego in allii exemplo exponere pluribus volui, quia tu quoq; eo pro exemplo vti voluiſti. Ratio eadem eſt Meconii, hyoſcyami, aliorumq; talium, quatenus odorem obtinent ſiue gratum ſiue ingratum, quicquid tu tandem ſentias. Poteris, ſiquidem libet, hac de re ſect. 13. problem. Ariſtot. perlegere, quo rem plenius perſpicias. Cauſas boni maliq; odoris in præſentia exponere velle, neq; oportunum neq; commodum eſt, vt qui noſtra defendere, tuaſq; obiectiones confutare, tantum inſtituerimus.

Vehementer velim, te, quando in obiectionibus contra tertiam theſin tantopere contendebas, non poſſe ex ſapore ſeu leui guſtu infinitam quatuor naturarum in miſtionibus diuerſitatem percipi, memorem fuiſſe eorum, quæ hic dicis, ex odore bono & malo coctionem attendi poſſe, ex coctione attenta (verba tua ſunt) facile de gradu actioneq; caloris iudicium eſſe. Non enim minus ſub ſenſum ſapores cadunt, quam odores. Nec minus, ſed multo magis & apertius in ſuas cauſas reſoluere poſſumus, vt Galen. Ariſt. alii, & nos paulo ante declarauimus. Quin etiam tu non aliter hic odorum cauſas inquirere iubes, quam per eam methodum, per quam ſapores ad fontes ſuos reuocamus. Potes hinc intelligere, quam candide nobis iſta infra obiicias, quæ tibi non incommodare ex odore temperamentum inueſtigaturo, hic cenſes. Quod ad nos attinet, non erat opus vt multis probare contenderes, odores poſſe in ſuas cauſas reduci.

Illud

Illud potius egiſſes, vt Galenum male contrarium tuæ ſententiæ iubere oſtendiſſes, cum ſcilicet ſapori plus, quam odori, confidendum, exemplo roſarum propoſito, demonſtraret. Ad hæc tu cur ſiles? An quod reponeres in contrarium nihil inueniebas? Cur ergo non fatebare, veritatiq; cedebas? Galenus certe non exemplo, quod ad declarandum propoſitum adhibuit ſolum, ſed ratione motus, contra tuam opinionem ſapori plus, quam odori, tribuere nos docuit. At hæc ſupra ſunt expoſita. Pone odorum omnes nobis differentias eſſe notiſſimas. Finge nos facile, imo facilime cuiuſq; ſpeciei cauſam intelligere poſſe. Verum nihilominus erit, nares non niſi de partibus in vaporem ſolutis: linguam non de vna aliqua, ſed de omnibus, aut ſaltem pluribus, medicamenti partibus iudicium ſententiamq; ferre poſſe. Arbitror te, niſi clauſis oculis, vt medicamentorum vires nos inquirere ſupra docebas, iſta præterire velis, perſpecturum tandem eſſe, quam ſint ieiuna & cruda quibus nos oppugnas. Si cruda ſunt putida, putent plus allio tuo.

Plurimum tibi debebo, ſi, quid ad rem præſentem faciant quæſtiones tuæ quæ hic ſequuntur, ex te didicero. Prima eſt, An cum Galeno putemus odorata omnia calida eſſe. Altera, An defluuium a ſicco extenuato per calorem in humido, odorem exiſtimemus. Nobis de odore non ſecus mentionem facere propoſitum fuit, quam vt obiter eum ad inueniendas medicamentorum poteſtates, minus aptum eſſe ſapore indicaremus tantum. Quare ſine cauſa interponis hanc diſputationem. Sed quia huc vocas, huc eundum, ſeu potius celeriter hac pertranſeundum erit. Vtrumque credimus, ſi modo per defluxum intelligis, non ipſum halitum, ſed in eo impreſſam qualitatem. Neque ſolum Galenum hac in parte ſequimur, ſed Ariſtotelem quoq; ac Theophraſtum idem docentes imitamur. Hic in lib. 6. de cauſis plantarum, ille cum alibi, vbi de odore diſputat, tum in 12. & 13. ſect. problem. ideo planiſſime & explicatiſſime docet. Ac noſtræ non officit ſententiæ, quod frigida quædam ſunt odorata. Tametſi enim partes frigidæ in talibus calidas partes ſua quadam ratione ſuperant, nec caloris ſatis ea medicamenta ad calefaciendum corpora noſtra habent, ad odorem tamen in certis partibus generandum ſatis eſt ille efficax. Quanto enim effectio quælibet caloris eſt imbecillior, tanto minore opus eſt quantitate. At vero ſi ſic ſentiamus doceri cupis, quomodo in aqua locus exhalationi eſſe poſſit. Deinde quomodo per tam lõga terrarum ſpacia odor moueat vultures. Demum cur frigida & craſſa odorem fundant, cum ex ipſis nihil defluat.

Ad priorem interrogationem pueri pro me interrogati reſpondebunt. Si tu vera neſcis, quid de te dicam, dubito. Si noſti, fruſtra interrogas.

Secunda plus habet excuſationis, & iam olim ab Ariſtotelis interpretibus mota fuit. Quod illi reſponderint, legere apud eoſdem poterit, qui volet. Ego odorum ſpecies abſque ſubſtantia per aerem diffundi multiplicarique haud credo. Neque ex tam longo interuallo vultures odorem cadauerum percepiſſe concedo, niſi ventus aliquis partem vaporum eo deportauerit, vt Auicenna exiſtimauit. Qui in venationibus exercitati ſunt, quam procul feræ homines præſentiant, quoties ab ea parte ventus ſpirat, qua ad eas accedunt, norunt. Decipere eas cum venatores volunt, operam omnino dant, vt ea parte appropinquent, qua aduerſum quidem ipſi ventum, feræ autem auerſum habeant. Quippe hoc modo proxime accedunt, priuſquam odore prodantur.

Equitanti mihi accidit ſemper, vt equi longiſſime animaduerterent ex odore equas, quoties ab his ſpiraret ventus, tardiſſime cum nos ſequeretur. Qui horum nihil obſeruauit, venatoresq; interrogare non poterit, is in cadauerum, florum, aliarumque rerum odoribus ſiue malis ſiue bonis, vento ſpirante experiatur. Commemoraui hæc ideo, vt hic quoque ſenſum docere intelligamus, quid verum ſit. Nemo enim hoc non intelligit, in corpore tamquam ſubiecto odorem ineſſe, eumque a vento longiſſime diſpelli poſſe. Non enim ſi qualitas odor eſſet abſq; materia, (ſicut ſunt rerum ſpecies, per quas omnia videmus) a vento moueri vllam in partem poſſet. Non impedit ventus, modo aer clarus ſit, quo minus ita res cunctas cernamus vti cum nullus ſpiraret cernebamus.

Fruſtra hic ſonum nobis obiecerit aliquis. Nõ enim talis eſt qualitas, ſed aeris quædam percuſſio. Quare cum aere moto neceſſe eſt ipſum moueri etiam (ſuo tamen modo) quod non habet locum in odore.

At vero Homerus, inquies, de vulturibus affirmauit. Quaſi vero aut verum neceſſario ſit, aut credere nos mox oporteat, quod vel Homerus vel alius quiſquam citra rationes contraque experientiã exiſtimauit ac dixit. Si talibus omnino fides adhibẽda eſt, illud etiam pro vero admittere cogemur, eos cadauerum odorem ante percipere quam cadauera ſunt. Hoc enim ex Vmbricii Aruſpicis peritiſſimi teſtimonio Plinius narrat, ſcilicet triduo ante aut biduo volare vbi cadauera futura ſunt. Sed huiuſmodi Aſtrologi diuinatores credant. Quibus haud difficulter perſuaſeris, ea quæ non ſunt in rerum natura, perinde agere ac ſi iam extarent, cum quæ fuerunt quidem, non tamen extant amplius, efficaciter operari perſuaſiſſi-

mum habeant. Philoſophi contra, res quaslibet ita, non ſecus, agere certo ſciunt, vt exiſtunt. Deinde non expoſuit Homerus, quomodo tam procul percipere odorem potuerint, ſed aduenisſe tantum narrat. Poſtremo non hoc vidit Homerus, ſed ab aliis accepit (niſi Poetarum more fabulari voluiſſe putetur.) vt qui plus centum poſt bellum illud annis claruerit. Sed nimis multa hac de re.

Quod præterea difficile putas ex Galeni principiis dicere, cur violæ Nymphææ vitiumque flores iucundum ſpirent odorem ex ſubſtantia humida, frigida, craſſa, lenta, tam eſt facile in Galeni doctrina verſato explicare vt auditores mei, omnes præclare te id, ſi neſcias, docere poſſint. Poterit idem tibi præſtare Theophr. lib. 6. de plantarum cauſis, cap. 25. poterit Ariſtot. in ſuis proble. hunc tibi nodum explicare, vt reliquam philoſophiam taceam. Non indiges hac in re mea opera. Illud mihi monendus es, iſtos flores non eſſe abſolute frigidos ac humidos, ſed ad hominis corpus collatos, dici tales. Quod ſi per ſe tales forent, nec inſitus calor cæteras qualitates vinceret, alimentum neq; coqueretur, neq; diſtribueretur, neq; omnino viuerent nutrirenturq;. Non poteſt lenta humiditas prohibere, quo minus aëreæ & extenuatæ a calore partes effluãt, cum præſertim flacceſſere mox cernantur a defluxu iſto. Quinimo ex ipſo glutine calefacto, quo nil eſt tenacius, exhalare vapores ignorat nemo. Autores prædicti tam non dubitant hac de re, vt cum aëreis & elaboratis particulis opinentur etiam terreas & craſſas exhalare, quarũ permixtione odor in proximo minus appareat gratus. Quo pacto igitur mirum tibi videatur, ſi ex Ambra, Moſcho, & aliis tenacibus, præterea ex violis & frigidioribus etiam plantis, elaboratæ a calore partes expirent?

Hæc te mouent, vt an odor ἀπόῤῥοια ſit, qualem Galen. Ariſtoteles, & peritiſſimi quiq; exiſtimarunt, dubites. Ex quo facile intelligi poteſt, quam facile tibi perſuadeat, quiſquis noui aliquid adfert. Fructus te ac flores, quos repoſitos in tuis ædibus ſæpe videre potuiſti, admonere debuerunt, ſubſtantiam ex ipſis aliquam reſolui, ſiue frigidi ſint, ſiue calidi. Equidem qui ex his odorati ſunt, cum odorem amiſerunt, cutem rugoſam & vacuam manifeſte habẽt. Si congenitum calorem humidum iſtud aëreum craſſis lentiſq; adeo humoribus permiſtum coquere attenuareq; potuiſſe, vt odorem conciperet, cogitaſſes, quomodo idem exhalare etiam faceret, minus dubitaſſes.

Nullus eſt fructus ita frigidus, nulla planta, nullum aliud medicamentum non lapideum, quod non vetuſtate flaccidum rugoſumq; fiat. An aliter tale fiat, quam per ſubſtantiæ alicuius vacuationem? Ergo ſi in non odoratis hoc etiam contingit, quomodo in odoratis, in quibus calor eſt amplior, & ſubiectum magis aptum natum ad exhalandum, fieri non facilime optimeq; poterit?

Galeni de Roſa exemplum, quod tuæ cauſæ obſtare plurimum vidiſti, facile te erudire potuiſſet, ſi veritatem ſcire deſideraſſes, plura nos ſapores, quam odores, docere. Tu certe hic palam fateris, factum tibi Galeni in diſſimiles partes obtinentibus medicamentis non diſplicere. Quod ſi in hiſce ſaporem plus conferre concedis, quam odorem, cur in aliis non concedas, in quibus tamen non eſt æque multiplex partium diſcrimen, haud facile cauſam iuſtam adduxeris. Et vt aliquam protuleris, parum profeceris. Pars enim maxima pharmacorum ex natura diſſimilibus partibus compoſita eſt. In pleriſq; igitur, contra quam probare volebas, per ſapores quam odores commodius feliciuſq; temperamentum inquiremus.

Neque vero magno mihi hic opus eſt conatu ad probandum, res pleraſq; ex diuerſis ſubſtantiis ſiue diſſimilibus partibus conflatas eſſe. Ipſi namque oculi etiam hic omnem facile controuerſiam dirimant. Conſidera, ſiquidem adhuc dubitas, ea ſolum non oſcitanter, quæ dicta mihi hactenus ſunt, nec ampliorem oſtenſionem requires. Si namque in pleriſque rebus partes quædam inueniuntur, quæ in halitum ſolutæ, effluere in ambientem poſſunt, aliæ non poſſunt, iam diſſimiles in tali medicamẽto partes ineſſe conſtat. Nemo eſt, qui non in vna aliqua re, diuerſos aliquando comprehenderit ſapores. At non poſſunt diſtincti ſpecie ſapores, in eodem omnino inhærere ſubiecto. In diuerſis igitur partibus eos ineſſe oportet. Quare ex diuerſis etiam partibus compoſitum erit. Ergo, cum, qui exercitati ſunt, in omnino plurimis rebus ſapores diuerſos reperiri animaduertant, certum eſt, in omnibus talibus diuerſas ineſſe ſubſtantias.

Velim te plantarum naturam animo, ſi oculis non potuiſti, contẽplatum fuiſſe, & quomodo cum nutrirentur, tum augerentur, fructumq; producerent, obſeruaſſe. An tu formam iſta munera diuerſa obire ſine diuerſis inſtrumentis cogitas? Sane vt ex conſimilibus partibus in animalium corporibus, inſtrumenta conflantur, per quæ ſuas actiones exercẽt, ita in plantis quoque rem habere veriſimile, imo neceſſarium eſt. Non refert, quod hic obſcuriora ſunt omnia, quam in animalibus. Satis eſt quod proportionem aliquam omnes hic eſſe oportere periti intelligunt, confitenturq;. Galenus iſtam in pharmacis partium diuerſitatẽ, non modo in tertio de ſimpl. facul. libro, vbi ex profeſſo argumentum hoc tractat, verumetiam alibi

paſſim

paſſim probat; declarat, demonſtrat, inculcat. Quo fit, vt minus operæ pretium putem, pluribus hic oſtendere velle, præſertim vero cum ipſi etiam oculi in pleriſq; verum eſſe doceant, nec tu negare auſus fueris. Quamquam enim in vltima tuarum obiectionum parte in dubium reuocare videris, non tamen in pleriſq; inueniri eam inficiaris. Quin etiam chymiſtarum authoritate comprobas, quæ hac in parte omnino multū valere debet, cum ſenſus, rationem; experientiam, habeat conſentientem.

Supra modis omnibus contendebas, odores aptius nos ad indagationem facultatum in pharmacis perducere, quam ſapores. Iam cum ad concluſionem ventum eſt, teque, quod maxime volebas probare nequiuiſſe cernis, tantum egregie vtiles eſſe ais, id quod ne nos quidem vnquam negauimus: vt ex iam ante dictis patet. Idem tibi hoc loco accidit, quod illi; cui, cum amphoram inſtituiſſet, tota currente vrceus exiit.

Poſtremo loco partem theſis accuſas, quæ vtriuſq; qualitatis cauſas propemodum eaſdem eſſe dicit. Eam, quia non magni tumet facis, nec admodum ſerio oppugnas, haud operoſe confutanda nobis viſa ſunt, quæ hac in parte obiicis. Diſcrimen odoris & ſaporis in coctione Ariſtoteles primum, deinde etiam Theophr. in libro ante citato cap. 24. & 25. ſatis declarauerint. In nutrimentis verum dicis eſſe, at non in medicamentis. Ratio eſt, quia in multis vt Moſcho, Maiorana, odor deprehenditur gratus, ſapor ingratus. Videtur ratiocinatio tua hæc eſſe. Grati & ingrati non poſſunt eædem eſſe cauſæ. Sapor & odor in multis medicamentis hactenus pugnant, vt hic ſit gratus, ille ingratus. Non habent igitur eaſdem cauſas.

Primum facile tibi illud dedero, non prorſus eaſdem eſſe odorum ſaporumq; cauſas. Hoc in parum aut nihil redolentibus, ac ſaporem nihilominus minime fatuum habentibus, patet. Neque nos eaſdem omnino, ſed prope eaſdem eſſe vtriuſque qualitatis cauſa diximus. Qui diſcrimen nouiſſe deſiderat, Galenum, Ariſtotelemq; conſulat. Hoc primum eſt.

Secundum eſt, quod eas partes, quæ odorem iucundum obtinent, ſaporem ingratum habere minime planū certumq; eſt. In Moſcho & Maiorana partes amaras comprehendi a lingua liquet. At eaſdem illas exhalare odoreque ſuo iucunde nares afficere, id nondum liquet. Ratio contrarium potius docuerit.

Tertium eſt, quod nondum video, quomodo nō idem calor, dum ſubiectas partes terreas perurit, humidumq; conſumit, ac ſic amarum ſaporem gignit, aliquas in halitum conuertat, quæ cum ſui ſenſus organo ſimilitudinem & familiaritatem habeant, cum lingua non habeant. Quantum enim linguæ temperamentum, ab olfactus organi temperamēto differt, tantum neceſſe eſt obiecta quoq; differre. Itaq; nihil prohibet quod ſiccius eſt, (exempli gratia) quam vt linguæ conueniat amicumq; ſit, olfactus organo maxime eſſe familiare.

Poſtremum eſt quod valde hallucinaris, cum aliam cauſam odorum vel ſaporum in cibis, aliam in medicamentis ſomnias. Quoniam eiuſdem generis eædem omnino ſunt propinquiſſimæ cauſæ. Ergo ſi alias eorū, qui in cibis, & rurſus alias eorū qui in pharmacis reperiuntur, ſtatuas propinquas cauſas cogeris, velis nolis, concedere, eos genere differre. Quod cum abſurdius ſit, quam vt te conceſſurum ſperem, abſurdum illud etiam fatearis oportet ex quo id conſequebatur. Quinimo tu in obiectionibus tertiæ propoſitionis, quamuis pro tuo more dubitare videaris, nihil vetare ais, quo minus ſaporum differentias ad medicamenta etiam extendamus, vtinam in cæteris ad veritatem ſimiliter accedas. Galenus in 1. de alimēt. fac. capite 1. diſerte affirmat, cibos eandem cum medicamentis facultatem habere, cum quibus ſapore conueniunt. Vide quæſo, quam ad pauca, cum pronuncias, ſpectes: quod Ariſtot. reprehenſione dignum putauit.

Parum ſcite Ariſtotelis propoſitum conſideraſti, qui eum de odoribus ac ſaporibus non generatim diſſeruiſſe arbitraris. Non deſunt authores, qui hoc nomine Ariſtotelem Galeno præferunt, cum de ſaporibus extremis diſputant, quaſi hic eos ſolum, quatenus actionis medicamentorum in corpus humanum indices ſunt; ille, quales per ſe & in ſua natura ſunt, conſiderarit. Non cogitaſti animalia omnis generis herbis veſci? Quod ſi quæcunq; nutrire aliquod animal poſſunt, nutrimēta nominanda ſunt, vana erit tua diſtinctio. Equidē hac ipſa de cauſa ingenerauit Deus rebus omnibus ſuos ſapores, vt non homines modo, verumetiam cætera animalia ex ſapore odoreque ſibi familiarem cibum conſectari, noxium autem fugere poſſent.

Videris hic etiam verbis Ariſtotelis perperam a te intellectis, deceptus, ita ſcripſiſſe. Fortaſſe non apud ipſum authorem, ſed alium quempiam legiſti, quod permultis occaſionem errandi ſæpe præbuit. Ariſtoteles duas odorum ſpecies facit. Harum vna ad ſapores pertinet, quorum index eſt & nuncia. Inde factum eſt, vt eodem quo ſapores modo in ſpecies diducta ſit. Altera non eſt ſaporum nuncia, ſed in illis plerumque ſubiectis ineſt, quæ ſaporem habent minime gratum. Itaq; non vt indices ſaporum ſiue alimenti, ſed vt remedia quædam

frigiditatis vel humiditatis cerebri, aut certe voluptatis gratia expetuntur. Hoc pacto ſolos homines odores appetere tales aſſeruit, quod bruta non niſi nutrimenti cauſa odores conſectentur. Hæc eſt ſententia Ariſtotelis, qua nec dixit nec ſenſit non eaſdem ipſorum vtrobiq; cauſas eſſe, quatenus odores exiſtunt. Expoſui iſta, quemadmodum alia quædam pluribus in hac prima parte, ne, cum tu poſtea repetis, ego quoque repetere toties eadem cogerer.

Hactenus operam te luſiſſe oſtendi in confutatione primæ theſis: iam poſtulat ordo, vt ſimiliter, quæ contra ſecundam obieciſti, examinem ac refellam. Dicimus in ſecunda theſi, ſapores temperamenti proprietates conſequi; non a forma, niſi per mediũ temperamentum, fieri. Hoc tibi vehementer diſplicet; nec tamen contrarium probas. Etenim hoc tantum agere videris, vt ſapores non ex nudis ſiue ſolis elemẽtorum qualitatibus naſci oſtendas. Non tanto conatu opus erat, hoc vt oſtenderes, quod nemo vnquam negaſſet. Ego certe numquam dubitaui, ſapores qualitates eſſe, quæ ex varia ſicci humidiq; miſtione & concoctione in ſubiectis corporibus orirentur. Nec aliis aut grauioribus ad id probandũ teſtibus indigeo, quam theſibus, quæ non modo, quod iam dixi, perſpicue probauerint; verumetiam parum æquum cenſorem te declarauerint. In ſeptima theſi aliud non eſſe ſaporem dicimus, quam πάθος affectionémue in humido a ſicco, per actionem caloris ea miſcentis & concoquentis, ortam, quæ poteſtatem obtineat guſtatum mouendi. Quid poteſt dici clarius ad te confutandum, cum ex ſolis qualitatibus abſq; materiæ conſideratione fabricare nos ſapores dictitas? Sed præſtat argumenta tua examinare, vt quam apte tua probes, pateſcat magis. Si temperamentum, ais, ſequuntur ſapor & odor, omne medicamentum erit ſapidum atque olidum. Omne enim miſtum, quatenus miſtum eſt, temperamenti vires ſeruat. Puto te hic de perfecte miſtis loqui. Nam quæ ſecus habent, nihil fortaſſe prohibet, nec ſapida nec olida eſſe. Quid igitur obtinebis, ſi omnia iſta conceſſero. Nõ omnia, dices puto, ſapida & olida ſunt, & miſta tamen ſunt, ex quo ſequitur, ſaporem & odorem non eſſe effectus temperamenti. Miror te plurimum, qui ſupra contendebas, ex odore temperamentum indagari cognoſcique poſſe, vt qui ab eo naſcatur, hic vero neges. Sed hoc iam a te demonſtratum velim, medicamenta perfecte miſta inueniri, quæ ſapore omni prorſus careant. Probe ſcio te id nunquam perfecturum. Vanum igitur & putidum eſt primum tuum argumentum.

Vix aliquid inuenies, quod guſtari poſſit, aqua minus compoſitum miſtumq;. Ea tamen non eſt omnino inſipida. At Galenus cæteriq; autores ita de ea loquuntur. Et recte quidem illi ita loquuntur; tu modo recte eos intelligas, vide. Comparata aliis, quæ ſapores, magis euidentes nacta ſunt, ſaporis expers eſſe dicitur: non quod reuera omnibus modis ſapore deſtituatur ſuo. Lingua noſtra ſuum habet peculiare temperamentum, nec niſi exceſſus iudicat. Quo fit, vt quæ inſipida ipſi videntur, ſapida nihilominus & ſint & videri quibuſdam aliis animalibus queant. Sic Galenus aliiq; omnes non dubitant affirmare, dulcia non omnibus eadem eſſe, ſed alia aliis. Idem de cæteris ſaporum ſpeciebus eſt iudicium.

Quod ſi preſſius argumenti vim expendas; cæteris omnibus conceſſis, non tamen validum erit. Facile namq; dedero, multa ſaporis odoriſque prorſus expertia reperiri Sic enim Ariſtoteles cenſuiſſe putatur. Experientia quoq; conſentire videtur. Lapides enim multos, & quæ vehementer areſacta ſunt, odore ac ſapore carere videmus. Neq; abhorret ratio, quæ in humido fere ſaporem, in ſicco ſapido abluto odorem conſiſtere docet, Ergo vt recte dixeris, omne ſapidum eſſe miſtum, ita non retro commeat. Ratio, omne miſtum eſſe ſapore præditum. Non enim omne temperamentum ſiue omnem miſtionem ſapor conſequitur, ſed certam. Huius rei cauſa diximus ſapores conſequi, non temperamentum, ſed temperamenti proprietatem. Ratio eadem eſt in odoribus. Hæc tu expendere ante debebas, quam noſtra confutare, aggredereris.

Materiam habere diuerſas in medicamentis vires a temperamento, libenter concedo, ſi materiam patiendi ſolum, non etiam agendi principium ſtatuas. Actio namq; omnis a forma & qualitatibus in materia manat. Alia ratio fuerit, ſi per materiam intelligas miſta corpora, ex quibus coeuntibus deinceps alia fiant, vt ex butyro, ſero, caſeo, fit compoſitum, quod lac nominamus. Talem namq; materiam agere nemo negabit vnquam ſanus. Cum Auicenna cibos agere qualitate ait, materia, & tota ſubſtantia, nihil tibi patrocinatur. Hic enim agere ei dicuntur materia, quæ aptam habent materiam, quæ in ſubſtantiam nutriti conuertantur. Nec diſſentit interim a Galeno, qui toti tribuit ſubſtantiæ. Certe potentiæ, quæ medicamentis a materia inſunt, (quatenus ſcilicet a qualitatibus efficientibus & forma ſubſtantiali materia diſtinguitur) omnes paſſiuæ ſunt. Quare minus recte locutus videri poteris, etiam tunc, cum recte te ſentire demonſtraueris.

Caſiam & cinnamomum primis qualitatibus nõ differre, falſum eſt, tametſi diſcrimen metiri proprie non poſſimus. Siue enim guſtum ſiue rationem conſulas, diſcrimen inuenies. Multa, ais, medicamenta ſunt, quæ ſuauiſſima guſtui etiam videntur pari interuallo diſtare a

calidiſſimo

calidiſſimo & frigidiſſimo, quæ actionibus aut effectibus plurimum tamen diſtant. Si per actiones intelligis, non omnes, ſed quas temperamentũ producit, pernego verum eſſe. Tam enim non dignoſcant in actionibus differentiam cæteri ſenſus, quam non potuit recte affecta lingua diſcrimen in ſapore percipere.

Audiamus cætera. Si ſapores ſequuntur temperamenti proprietatem; idem habentia temperamentum, eoſdem habebunt ſapores, & contra, quæ eoſdem habent ſapores, idem poſſident temperamentum. At Opium & Abſinthium eundem habent ſaporem. Ergo idem temperamentum. Quod cum ſeipſum refellat, palam erit temperamentum non habere vim tribuendi ſaporem miſtis, ſed contemplandam quoq; materiam, a qua vnumquodque tenue aut craſſum dicitur. Hæc tua ſunt.

Si vel teipſum, vel Galenum de ſaporibus diſputantem, a cuius nos ſententia in noſtris theſibus non diſcedimus, recte percepiſſes, non iſtis argumentis nos oppugaſſes. Imaginaris tibi materiam quandam eſſe, in quam inuolẽt caſu qualitates elementorum, eamq; ſuo quodam modo ſubigant. Aliter in miſtionibus ratio habet. Non enim qualitates in materiam omnis qualitatis expertem inuadunt, ſed ſecum adferunt. Hinc fit, vt quod multum obtinet caloris ignei vel aetei, multum quoque habeat ignis vel aeris. Et quod multum ſicci terrei, multum etiam terræ contineat. Hoc primum cogitare tecum debebas.

Deinde perpendendum illud tibi fuerat, medicamenta fere omnia non ex elementis primo conſtare, ſed ex iam ante, imo pluries miſtis compoſita eſſe. Corpus hominis Galenus non ex elementis, ſed ex quatuor humoribus, vt materia propinquiſſima generatum factumque oſtendit. Hos rurſus humores ex cibo & potu factos conſtat, quos ipſos etiam ex ſuccis terræ pronatos liquet. Etenim animalia plantis veſcuntur, plantæ ex terra ſuccum ſibi familiarem attrahunt, amarum, dulcem, acidum, qualis ſcilicet cuiuſq; naturæ maxime ſamiliaris exiſtit. Semina certe in terram coniecta, dum ſibi vtilem ac conuenientem alimoniam ex terra attrahunt, non pura elementa attrahunt, ſed ex elementis compoſitum ſuccum. Eum ſi inueniant, pulchre creſcunt. Sin minus, contabeſcunt & tandem emoriuntur. Vix aliam adferunt, cum Hippocr. tum alii, cauſam, cur quædam vno in loco felicius aut infelicius prouęniant, quam in alio.

Quod cum Auicen. exponit, complexiones in primam quæ ex elemẽtis coiit, & ſecundam, quæ ex iam ante miſtis orta eſt, diſpeſcit. Exempla apud hunc & eiuſdem interpretes inuenies aptiſſima. Sanguinem tibi & ex eo generatum lac conſideranda propone. Ille non ex elementis ſed ex pane, carnibus, herbis, vino, aliiſque talibus iam ante miſtis fit. Illa quoq; non ex Elementis, ſed miſtis multo prius ſuccis concreuerunt. Cum ex ipſis ſanguis generatur, non ex nudis aut ſolis ſine materia qualitatibus generatur, ſed ex eorum materia tranſmutata procreatur. Quare iam calidior & craſſior, iam tenuior & frigidior, mox aliter atq; aliter, (pro natura ſcilicet materiæ, ex qua fit.) affectus apparet. Sic pro modo ſanguinis lac generari pinguius, craſſius, ſuauius, aquoſius, nemo ruſticus ignorat. Ratio eadem in plantis & fructibus obſeruatur.

Quamuis vero ex tam diuerſis, at non raro pugnantibus partibus, res fiant, ab vna nihilominus forma ita vniuntur, inq; vnam ſocietatem colligantur, vt quam diu ſub imperio formæ continentur, inter ſe pulcherrime omnes conſpirent. Retinentur autem in hac ſocietate, aliæ facilius aliæ difficilius, prout magis minuſq; permiſtæ fuerint. In abſinthio admodum eſt iſtas partes difficile ſeparare, in lacte perfacile eas diuelli ſepararique poſſe cũcti homines norunt. Quæ ſi tu, vti debuiſſes, conſideraſſes, facile iſto labyrintho, in quem te imprudens conieciſti, expediuiſſes.

Opium & Abſinthium eundem ſaporem cum habere ſcripſiſti, non nuper vtrumque guſtaſti. Si enim guſtaſſes, & quæ Gal. in *15.* cap. 3. lib. de ſimpl. fac. diſſeruit, ponderaſſes, nec eandem, nec ſinceram in vtroque amaritudinem ſtatuiſſes. Etenim longe aliter afficitur lingua, cum Opium guſtat, quem cum Abſinthium percipit. Quod ad amaritudinem attinet, non inficior, quatenus in vtroque eadem eſt, ab eodem temperamento profectam natamque eſſe.

Tenuitas & craſſities materiæ, ſi accurate loqui velis, nec frigidiora nec calidiora medicamenta facit, ſed qualitates in materia exiſtentes. Verum eſt, tenuiora facilius citiuſque in corpora agere, penitiuſq; in profundum deſcendere, calidioribus & craſſioribus. Interdum etiam, quæ tenuiora ſunt, mediocriter calidis minus calefaciunt, propter celerem per denſas partes tranſitum. Nos certe nullibi diximus in inquiſitione de medicamentorum facultatibus, non eſſe præter alia multa etiam tenuitatem & craſſitiem inſpectandam. Ne hic quidem igitur habes, quod nobis aduerſetur. At quod te parum circumſpecte loquutum eſſe probet, nonnihil habes.

Tale illud etiam eſt, quod Galenum ſcribis a poſitis ſuis principiis reſiliiſſe, cum inge-

nii ſubtilitatis cauſam exponit. Sane ſi Galenus ſe contra te defendere poſſet, facile argumentis te doceret, ſe non a ſuis principiis hoc in loco diſceſſiſſe. Quod ſæpe temperamento adſcribere quædam minus commode videtur, idcirco ab eo factum fuit, quod præter id nihil adeſſe rebus certa demonſtratione cognouiſſet. Non inficias eo, ipſum aliquando animaduertiſſe non omnium cauſas in temperamento inueniri poſſe. Sed ex aliis locis, non ex eo, quem producis, probandum tibi id fuerat. Qui, quæ paulo ante de temperamentorum ſiue complexionum diuerſitate diximus, exacte conſiderat; rationem fortaſſe reddiderit non ineptam, cur alius alio cerebrum, ſanguinem, ſpiritus, habeat tenuiores vel craſſiores, vnde fere de ingeniorum felicitate & infelicitate iudicium fieri ſolet.

Sed hanc diſputationem, vtpote ſubtiliorem in præſentia libenter omittam, atq; vltro tibi concedam, opinionem, quæ temperamentum formam eſſe rerum ſtatuit, & ab eo ſolo omnes naturæ actiones deriuat, recte iam olim exploſam fuiſſe. Addo, ne Galenum quidem in ea ſemper perſtitiſſe, ſed aliam nonnunquam cauſam quæſiuiſſe. Pro confeſſo pono, artificem ac formam quamlibet aptius concinniuſq; agere, cum inſtrumenta apta habet, quam cum inepta & inconcinna ſunt. Ne animam quidem igitur, non melius exercere ſuas operationes ſentio, cum cerebrum habet apte conformatum, quam cum craſſius eſt, quam expedit. Fatebor præterea in præſentia, craſſitiem atque tenuitatem non a temperamento, ſed a virtute corpus efformante prouenire. Ab eadem quoq; raritas & denſitas cutis, aliarumque partium, nec non, ſi ita libet (parum enim hic curo) acutus hebeſq; ſenſus producantur.

Quid ex omnibus iſtis vel cum Galeno vel nobiſcum pugnat? Prorſus inutilis eſt ratiociuatio tua. Non poſſunt omnia ad temperamentum referri. Ergo ne ſapores quidem. Vel ſic: Ergo ex ſaporibus non licet de temperamento coniecturam capere. Tu, ſi potes, iſta vt recte cohæreant efficito, priuſquam nobis te perſuaſurum ſperes. Noſtra diſputatio non ea temperamento attribuere vnquam cogitauit, quæ tu imprudenter, ne dicam inſcite, ſomniaſti. Non igitur nos rem obſcurare, ſed illuſtrare diſputando ſtuduimus. Tu vero etiam poſt diſputationem, neſcio quo animo conſilioq;, tenebras offundere fruſtra contendis.

Recitabo aliud argumentum tuum: Qui affirmat ſaporem proprietatem conſequi temperamenti, non a forma, niſi per medium temperamentum emanare, is omne momentum in temperamento ponit, formam ocioſam facit, materiam nullum habere vſum aſſerit. Vos in ſecunda theſi id affirmatis: Ergo in ſolum temperamentum omnia refertis. Negamus propoſitionem tuam veram eſſe. Eam vbi probaueris, erit quod tibi pro ingenio atque officio donemus. Fingis ita nos tibi reſponſuros, vt argumentari tu ſoles. Sed tandem, credo, vidiſti, nos non excludere formam, vt ſæpe ſcriptitaſti.

Cur non aperte eam poſuerimus, quæris? Reſpondeo nos apertius in theſibus ponere nec potuiſſe nec debuiſſe. Primum quia accuratior formæ conſideratio, inſtituto noſtro non erat neceſſaria. Deinde quia breues eſſe nos in theſibus decuit. Poſtremo, quia ſapores non recte ad formam, tanquam ad proximam medioq; carentē cauſam reduci videbantur. Hoc agebamus, vt cur, & quomodo, ſapores ad perueſtigandas medicamentorum facultates cōferrent, indicaremus. Ideo proximas eorum cauſas, non remotas inquirebamus. Quod ad formam attinet, nemo ambigit, reor, quin vnica ſit in re vna, in qua tamen ſapores reperiuntur diuerſi, interdum etiam contrarii. Quo fit, vt tuo etiam iudicio, in formam tanquam proximam cauſam inter quam & effectum nulla intercedat alia, referri non poſſint. Ita namq; diuerſas in roſa facultates in vnum odorem reduci a Galeno non debuiſſe aiebas.

Ego mehercle non aut dubitaui aut negaui vnquam, formam primum eſſe in cunctis rebus naturalibus mouens, adeoq; principem cauſam, cum aliarum omnium affectionum, tum ſaporum etiam. Qua de cauſa ne excludere ipſius actionem videremur, mentionem eius in theſi facimus. Rurſus ne in eandem velut propinquiſſimam cauſam referre eos putaremur, interuenire temperamentum, cuius proprietatem ſtatim ſequerentur, monuimus. Auſim credere, te, ſi aliquando poſitis affectibus rem expendas diligentius, non aliter facere nos debuiſſe, affirmaturum. Quod vt facere minore negocio poſſis, ac vt cauſa tota liqueat magis, paulo altius quædam repetere libet.

Inſunt in rebus naturalibus, ſiue quibuſdam ſiue omnibus, vires quædam & poteſtates, quas a temperamento naſci nemo peritus dixerit, qui præter id, formam quandam ſubſtantiæ effectricem ineſſe illis ſentit. Hoc cum dico, ita intelligi cupio, non poſſe actiones, quæ a talibus virtutibus manant, notis elementorum qualitatibus attribui. Talis eſt torpedinis facultas, quæ ſe contingentes tremulos reddit. Talis Echeneidis piſciculi virtus, qua naues onerarias a valido etiam vento impulſas euidenter remoratur: ſi modo verum eſt, quod de hac reſcriptum reliquit Ariſtoteles. Talis fortaſſe vulgo noti lapidis magnetis potentia eſt, qua magno ad ſe miraculo ferrum attrahit, attractū retinet, & quæ præterea ipſum efficere ſcimus. Dixi fortaſſe, quia non neſcio, argumenta minime aſpernanda proferri poſſe, quæ aliunde vim hanc manare in Magnete probant.

Hæ

Hæ vires etſi abſq; temperamento ſubiectis rebus non inſunt, ſicut nec ipſa forma quoque, nō tamen per temperamenti poteſtatem ita inſunt, vt cū aliæ plurimæ affectiones, tum ſapores ineſſe cernuntur. At iam ante dictas affectiones, illi etiam, qui præter temperamenti ptoprietatem formam aliam nullam agnoſcere admittereque videntur, in vnam duaſue notas qualitates reduci poſſe negāt: verum ab occulta quadam nobis virtute, ſiue a tota pendere flucreq; ſubſtantia aſſeuerant.

In ſaporibus res longe aliter habet. Notum eſt, non tantum doctis, ſed etiam idiotis, eos ab elementorum qualitatibus ſalua & incolumi manente ſubſtantia, in qua inſunt, intendi, remitti, & in alias eiuſdem generis ſpecies tranſmutari. Solem calore ſuo viuifico varie fructuum ſapores, cum ex arbore pendentium, tum decerptorum, permutare non negabis. Ac ne elementarem non eſſe excuſes, ignem tibi propono. Hunc pro actionis ſuæ in cibum atque medicamenta modo, varie eorundem ſapores intendere, hebetare, & mutare, nemo niſi amens neſcit. Idem quoque aeris, veſtium, palearum, & ſimilium calor ſiue ab igne, ſiue ab alia cauſa eum conceperint, efficit. Pueri hoc non ignorant, qui immaturos adhue fructus; in fœno, paleis, lectis, aliiſq; locis tepidis ea de cauſa reponunt, vt ſuauiores atq; ad edendum aptiores reddantur. Puto etiam te aliquando legiſſe quæſtionis huius ſolutionem, cur pomá gelata priſtinum ac natiuum ſaporem ſuum amittant. Ideo euenire hoc ſcribitur, quia calor, qui ſiceum humido permiſcet, exhalarit victus a frigore circumſtante. Hine & humidiora euadere ac mox putreſcere eadem, ſi quidem humorem craſſiorem obtinuerint. Nam quæ tenuiorem poſſidebant humorem, ea areſcere potius quam putreſcere, ſcilicet humore cum calore exhalante. Certum porro eſt, eas affectiones, quæ a qualitatibus huiuſmodi abſq; incommodo rerum ſubiectarum intenduntur, remittuntur, corrumpuntur, inque alias ſpecies proprii generis permutantur, ab elementorum qualitatibus, vt propinquis cauſis, generatas productasq; fuiſſe: Corrumpere fortaſſe queant calor & frigiditas illa, quorum proximæ non fuerunt cauſæ. Qua raione ipſam quoque formam perdere poſſe certo modo exiſtimentur. At intendere ae remittere, inque alias atq; alias ſpecies, (eiuſdem generis dico) tranſmutare, citra omnem ſubiecti iacturam, nullam vmquam potuerunt qualitatem, cuius non ortus proximæ cauſæ extiterunt.

Vix puto te colores nobis obiecturum. Etſi enim hi ab elementorum luce, perſpicuitate, & harum inopia ſiue penuria, tenebris appellatis, varie inter ſe concurrentibus oriuntur verius, quam ab efficientibus earundem qualitatibus; conſtat tamen has quoq; non ocioſas adeſſe. Nam & miſtio ſine his fieri nulla poſſit, nec illæ conuenire ſine his queunt, propterea quod commune habent ſubiectum. Quantum enim lucis ignei eſt in re qualibet (non de lumine externo qnod abit; ſed de interna quæ ſemper manet, luce loquor.) tantum eſt etiam caloris. Ratio hæc eſt, quod vtraque qualitas in igne ita eſt inſita, vt ab ea neutra ſeparari valeat. Idem eſt de cæteris elementis pro cuiuſq; natura iudicium. Hac de cauſa ab elementaribus qualitatibus colores intendi, hebetari ſeu remitti, & mutari, nihil, quod animaduerti poſſit, perpeſſo ſubiecto cernimus.

Nec fere non ſimul mutantur ſapores atq; colores. Patet hoc in fructuum maturationibus, in decoctionibus, in diſtillationibus. Semper enim fere vno mutato, alter vna mutatus comprehenditur. Hinc fit, vt non raro de ſaporum ſuauitate iudicium ex coloribus faciamus. Certe maturi ne ſint fructus; an nō ſint, omnes fere homines ex colore æſtimāt. Quamquam non inficier, minus eſſe iudicium ex coloribus de ſubiectarum rerum temperamento ac viribus tutum & certum. In cauſa eſt illud fortaſſe, quod non calida modo elementa, ſed frigida qnoque, vt aqua, perſpicuitate prædita ſunt.

Illud quoq; veritati non obſtat, quod inexplicabilis iſta colorum in eadem re varietas, pulchritudo, perpetuus ordo, aptaque diſpoſitio, non poteſt temperamenti adſcribi viribus. Nam vt colores oriantur ac ſint tales, hoc ab elementis eſt, quæ materiam ſuppeditant, ex qua, vt ſic dicam, fiant. At vt hoc in loco potius vnuſquiſque naſcatur & appareat, quam in quouis alio, non elementorum, ſed formæ virtute fit, quæ materiæ ſuæ partes omnes ita diſponit exornatq;, vt vult, hoc eſt, vt a creatore omnium iuſſa eſt. Non minus hoc facere nouit, quam os, carnes, ligamenta, neruos, cæterasq; partes ex ſua quali bet materia formare nouit. Quæ cum ita habeant, non poterit dubium videri, quin, quæ iam recitata modo ab elementaribus qualitatibus patiuntur, ab iiſdem, vt proxima cauſa, facta ſint.

Equidem quas forma ſecum potentias inuexit, deque ſinu ſuo promſit, elementorum qualitates per ſe mutare, non mutata ſimul re ſubiecta, numquam potuerunt. In priore mutatione, non priuatio, ſed alia eiuſdem generis ſpecies abeunti ſpeciei ſuccedit. In hac vero cum ſcilicet facultas aliqua talis perimitur, abſoluta priuatio conſequitur, nihil eiuſdem generis reponitur. Hic enim mutatio ſiue corruptio, ibi alteratio ſolum exiſtit. Eſt igitur inter iſtas (ſiue alterationes ſiue mutationes appellare placet) diſcrimen prorſus maximum.

Torpedo tangentes ſe tremulos reddit quouis tempore, ſiue caleat ſiue frigeat aqua. Quinetiam in ſicco, quoad vixerit, hoc eſt, formam, a qua ea vis prodit, retinuerit (Nā mortuæ cadauer nihil huiuſmodi poteſt.) idem poteſt. Ridendi facultas in homine, nec alactior nec ignauior a notis qualitatibus efficitur. Loquor non de actione, quæ voluntati aliquo modo paret, ſed de cauſa ipſius. Hanc eandem ſiue caleat ſiue frigeat homo, conſeruat tantiſper, dum animam ſeruat. Quod ſi corpus ab his qualitatibus eo vſque lædatur, vt animæ aptum porro eſſe domicilium deſinat, non mirum eſt, ipſa abeunte, id etiam abire, cuius ipſa prima & proxima fuerat cauſa. Similis eſt in cæteris ratio.

Qua igitur in re nos peccauimus, ſi formam per medium temperamentum, vt proximam cauſam, in ſubiectis rebus ſapores producere aſſeruimus? Non Ariſtoteles animam calore alimentum conficere affirmauit? Quis propterea ignorat, eam primam veramq; cauſam actionum omnium in corpore exiſtere? Ipſe certe aliter non putauit, ſicut eleganter ſeſe explicat in 2. de gen. animal. cap. 4. calorem inſtrumentum animæ tantum eſſe apertiſſime docens. Nec tamen verentur Medici calori coctionem, non repugnante Ariſtotele, adſcribere. Equidem coctionis imbecillitatem per caloris natiui augmentum & confirmationem recte depellere ſtudent, quoties debilitatum intelligunt. Vides rurſus, nos immerito, hoc in loco etiam a te accuſari? Percurramus iam reliqua.

Qui temperamentum fontem eſſe ait diuerſarum ex vno medicamento fluentium actionum, formam ipſam in miſtis ſtatuit. Vos id facitis. Ergo temperamentum formam ponitis. Quaſi vero propoſitio hic quoque falſa non ſit. Nemo præter te vnquam negauit, temperamentum fontem atque cauſam diuerſarum actionum eſſe. An meatus claudere, calefacere, ſiccare, concoquere, pus mouere, mollire, abſtergere, ex alto trahere, mordicare, & huius generis alia plurima, non præcipue in temperamentum a Medicis recte referuntur? At horum duo, tria, & nonnunquam plura, in vno medicamento reperiuntur. Si omnium dixiſſes, aliquid dixiſſe videri poteras. At tunc aſſumptio tibi probanda fuerat, quod nunquam perfeciſſes.

Quæ de materiæ, formæ, & temperamenti coniunctione addis, facile admittimus, modo materiam per ſe principium agendi non putes, quod tamen putare te ſuſpicio eſt. Laudamus etiam, quod non omnium effectuum cauſas in temperamenti viribus quærendas eſſe iudicas. Quemadmodum illud etiam, quod nonnullarum cauſam concedas. Et his multo amplius, quod idem noſtras theſes velle confiteris. Quod difficultates diſſimulanter prætериiſſe nos poſtremo addis, pro more tuo dicis. Non enim aut debemus aut potuimus in tam paucis verſibus omnia commemorare, quæ cuilibet ſomnianti occurſura viderentur. Deinde vt nihil diſſimulaſſe nos credere melius poſſes, tuas obiectiones pene, quam nos deceret, ſuperſtitioſius refutauimus. Itaque non prorſus inutilis opera tua fuit. Etenim qui falſa docuerunt, magnam perſæpe aliis, teſte Ariſtotele, occaſionem præbuerunt, veritatem vel inueniendi vel planius explicandi.

Iam ad tertiæ propoſitionis obiectiones peruenimus, vbi minus mihi laborandum video, cum pleraq; iam ſint declarata. Et quod primum ais, hoc loco nos omnem temperamētorum noticiam & regulam in medicamentis ſapori deferre, ſæpe iam falſum eſſe oſtendimus. Ipſa certe theſis nihil tale habet, ſed hoc ſolum indicat, qui norit a quali temperamento ſinguli ſapores generentur, eum ſapore alicuius medicamenti probe percepto, eiuſdem temperamentum, quoad eius homini liceat, agnoſcere. An hic per ſolos ſapores temperamentum intelligendum indagandumq; dicimus? Huc pertinet, quod mox quæris, quo ſint referenda inſipida, ſi ex ſapore perdiſcenda omnia putemus. Pueros nouiſſe arbitror, eandem eſſe contrariorum naturam. Certe ratio quæ ſapida iudicare docet, eadem quid de inſipidis cenſendū ſit, monet. Nec turbare te debet, quod inſipida omnia nobis putata, non æque ſunt frigida & humida. Eſt enim hic, vt in aliis ſpeciebus, magna latitudo, in qua non poſſunt exquiſite omnia diſtingui.

Tolerabilius eſt, cum quæris, an ita ex temperamento de ſapore, vt ex hoc de temperamento, coniectura facienda ſit, quamquam nodum habet quæſtio explicatu minime difficilem. Supra quoq; eandem attigimus. Si ſenſus aliquis temperamenti foret, vt eſt guſtatus ſaporum index, haud cuncter affirmare, eandem rationem futurā, ſiue ex ſaporibus de temperie, ſiue ex temperie de ſaporibus coniiceremus. At temperamentum non hoc modo ſentiri, ſed ex effectibus tantum intelligi poteſt, quantum eius intelligere hominem licet. Tactus namq; exceſſum qualitatum dumtaxat, non proportionem earundem percipit.

Verumtamen eſto, ratio in vtriſq; eadem ponatur, vt quantum hinc cauſæ tuæ patrocinium accedat perſpiciamus. Conſequetur, ais, vt quæ idem habent temperamentum, eundem etiam obtineant ſaporem. Detur hoc quoq;. Ergo myrrham & mel eodem ſapore prædita confiteri vos oportebit. Hoc iam non bene additum eſt ſuperioribus, ſiquidem prius

probari

probari oportebat, idem omnino eſſe in vtroque medicamento temperamantum. At vehementer metuo ne poſſis. Etenim ratio quam adfers, in eodem ſcilicet caliditatis & ſiccitatis gradu a medicis ambo poni, plane elumbis eſt & euanida. Non enim ignoras graduum iſtorum magnam eſſe latitudinem, vt in qualibet infinitæ propemodum differentiæ maioris minoriſq; reperiantur, in quo probando fruſtra verboſior ſim futurus cum nemo id neſciat.

Præterea velim dicas mihi, vnde nam cognorint medici vtrumq; calefacere ſiccareque in ſecundo ordine. An ex actione, quam in corpora hominum vtrumque impreſſit? Iudicium hoc periculoſum eſt admodum, cum exacte metiri temperamentũ hinc volumus. Multas namque differentias ſenſus non percipit, tantum maiores exceſſus notat. Sæpenumero etiam, niſi cauti ſimus & omnia diſpiciamus, quod minus calet, æque calidum cenſebimus, propter tenuitatem ſubſtantiæ.

Sed ne hic hærere velle videamur, faciamus illos, qui ita ſtatuerunt, nõ eſſe vlla in re falſos, & vtriuſque medicamenti effectionem ad amuſſim perſpexiſſe. Nihilominus quod tu putas, conſectarium non erit. Habet enim myrrha diuerſiſſimas, non minus quam roſa, partes, quarum vi peptica eſt, meatuſq; claudit & aperit. Eadem quoque acrimoniam poſſidet, cuius virtute diſcutit efficaciter. Poſtremo inſignem habet amaritudinem, quæ abſtergendi ſimul facultate præditam eam dilucide oſtendit. Equidem Galenus, qui mellis partes non adeo differentes ponit, hanc in myrrha partium diſſimilitudinem aperte ſatis nobis indicauit, cum poſt temperamenti ipſius deſcriptionem addidit, Ineſt ei etiam amaritas.

Poſſunt itaq; in myrrha partes eſſe temperamento virtuteque melli ſimiles. Poteſt ex calidioribus minuſque calidis, amaris, acribus, dulcibus, temperatura facta fuiſſe, quæ non magis ſiccet, quam mel. Etſi enim, ratione amaritatis ſiue partium amararum & acriũ plus melle ſiccare calefacereq; potuiſſet, impeditur tamen harum actio a pepticis & emplaſticis hactenus, vt plus melle ſiccare nequeat. Habet in certis partibus calorem ſicciorem, ſed habet eadem in aliis partibus humidiorem, impedientem ſiccioris actionem. Si quod volo nondum intelligis, Galenum conſule; qui hãc rem in 3. lib. de Simpl. fac. cap. 16. exemplo Solani & Anthemidis pro more ſuo fuſe & perſpicue expoſuit.

Tam multis modis oſtenditur, non idem præciſe in vtroq; medicamento temperamẽtum eſſe. Tu cum haſce facultates quouis potius, quam in primarum qualitatum exceſſum concentumq; referri ſe paſſuras arbitraris, bene maleq; iudicare cenſeri potes. Nam ſi de ſolis qualitatibus intelligi velis, probo ſententiam. Si de eiſdem, vt in certo ſubiecto ſibi accommodato inhęrent, loqueris, prorſus falſum eſt, quod dicis. Quod vt verum videas, ipſum Galenum conſulito. Ergo ad ſequentia pergo.

Quis quæſo affirmantes nos audiuit, ex ſapore infinitam quatuor qualitatum in miſtionibus diuerſitatem, aut qua proportione eædem & ſubſtantiæ ipſis ſubiectæ inter ſe concurrant, iudicari guſtuq; percipi poſſe? Quam hoc recte ex noſtra quoq; ſententia hic negas, tam male in obiectionibus primæ partis affirmabas. Galenus nobis corporũ temperaturas diſtinxit. Idem nos quotidie, dum hunc calidum, iſtum humidum, illum aliter temperatum dicimus, facimus. An cum per ſigna temperaturam inquirimus corporum, id profitemur, nos ad exactam iſtam qualitatum proportionem penetrare? Galenus apertis verbis pernegat, ſeq; Æſculapio parem putet, ſi hucuſq; pertinere quiret. Quærimus omnia iſta in quadam latitudine: vt etiam medicamentorum temperamenta vireſque.

Non obſeruaſti in ipſa theſi, nos tuæ cogitationi aptiſſime occurriſſe, cum non abſolutam ex ſapore graduum temperamentorum noticiam, ſed qualem addiſcere homines poſſent, naſci diximus? Cur igitur iſta hoc in loco adfers? Mihi certe vt vere a te dicuntur, ita non parum fauent ad ea refellenda, quæ de eodem in myrrha & melle temperamento paulo ante nobis opponebas. Nam ſi exacte qualitatum ſubſtantiarumq; in miſtione congreſſarum proportio cerni cognoſciq; nequit, quod equidem verum eſſe libens confiteor tecum, qui poteris ſcire, an in duobus illis prorſus idem ſit temperamentum? Si in quadam latitudine intelligenda dicas, nihil contra nos probas, tibi vero aduerſaris plurimũ, & tua ipſemet cõfutas.

Iam quomodo hoc ſis defenſurus cogites velim, candens ferrum, non tantum habere ignis, quantum flamma. Illud volens omitto, parum concitine a te dici, ignem habere ignem. Ita vero loqueris, cum flammam, quæ ignis eſt, plus ignis habere, quam ferrum, ais. Hoc potius admitor, quod in rariſſimo fere corpore, in quo ignis flamma conſiſtit, plus ineſſe formæ ſiue qualitatis contra omnium cum Medicorum tum Philoſophorum ſententiam, atq; adeo omnium hominum experientiam dicere non verearis, quam in denſo. Quis flammam quæ tenuior eſt pruna, magis vrere vnquam credidit, præter te? Nõ propter denſam ſubſtantiam vrit ferrum ignitum, quam flamma, vehementius, ſed propter multum ignem, quem in multa concepit materia, & quia plures ignis partes propius habet coniunctas, quam accenſæ paleæ aut arundines.

Gradus ignis idem eſſe in ferro & palea ignitis, a multis creditur: at plus in aere vel palea quam ferro ineſſe ignis, cum vtraque ignem conceperunt, nemo putauit. Ignem principium eſſe calidorum, ſummeq; calidum omnes concedunt. Purum itaque ſiue elementarem ignem, qualis in ſua eſt ſphæra, calidiſſimum maximeque ignem eſſe oportet. At is ex omnium ſententia philoſophorum non æque vrit, vt hic noſter. In cauſa eſſe docent, quia ibi rariſſimus ſit, hic autem denſus. Porro materiæ denſitate fit, vt caliditatis partes plures cogantur ſeu coniungantur, & ſenſibus magis expoſita ſit actio caloris. Sic Ariſtoteles in lib. de miſtorum affect. ὅσα γὰρ μάλιστα πέπηγε, καὶ στερεώτατά ἐστι, ταῦτα ψυχρά τε μάλιστα, ἐὰν στερηθῇ θερμότητος, καὶ καίει μάλιστα, ἐὰν πυρωθῇ, οἷον ὕδωρ καπνοῦ, καὶ λίθος ὕδατος καίει μᾶλλον. Sed nolo impugnare iſta longiore oratione, ne iniurius eſſe mihi ipſi exiſtimer. Noſti Galeni dictum, ἐλέγχειν σπουδῇ τὰ μὴ σπουδῆς ἄξια, ὑβρίζειν ἑαυτόν ἐστι.

Saporem plus de ſpeciei proprietate ſemper accipere, quam de temperamento, dicis tu quidem, at non firme probas. Ita enim ratiocinaris. Sapor etiam habet alias præter temperamentum cauſas. Ergo plus de ſpeciei proprietate ſemper accipit, quam de temperamento. Si hæc tua eſt ſententia, saporē in re qualibet talem fieri, qualem forma eum pro natura temperamenti eius corporis, cuius forma exiſtit, gignit, facile dabimus. Non enim aliud nos quoque aut diximus aut ſentimus. Ita animam quoq; cibos in ventre alibiq; conficere docemus. Non tamen coctionis cauſam proximam aliam, quam calorem natiuum ponimus. Is ex amaris non gignit dulcia, non ex acribus acerbā. Ita forma rei cuiuslibet alium ſaporem gignere nequit, quam pro modo caloris quem in ſibi ſubiecta materia continet.

Poſtremo loco dicis, (nam ad cætera iam reſponſum eſt) etiamſi des nobis, ſaporem conſequi temperamenti proprietatem, pro ſubſtantiæ modo, indicem tamen eum temperamenti non poſſe cenſeri. Probas hoc modo: Quod non incurrit in guſtum, eius index non poteſt eſſe ſapor. At temperamentum non occurrit guſtatui: Ergo ſapor de eo nihil decernere poterit. Aſſumptionem exemplo cicutæ & quarundā aliarum plantarum confirmas. Verba tua ſubſcribam, ne addidiſſe me vel detraxiſſe illis putes. Sed demus eum ex ſolo temperamento prouenire, nō poterit de ipſo adhuc tamen decernere; quia temperamentum, in quo medicamenti vires ſunt, guſtui non occurrit. Succus cicutæ primo occurſu, quod eſt in lingua, ſuum non profert temperamentum. Nam frigidus in eo gradu eſt, quo poſtea reductus ad actum percipitur.

An non ſim ineptus, ſi iſta tua refellere verboſe velim. Si vera eſt propoſitio, non poterit vllus effectus index ſuæ cauſæ eſſe, niſi eodem quo effectus ſenſu percipiatur. Quo cum abſurdius nec dici, nec fingi aliquid poſſit, tibi iſtam tuam philoſophiam haud inuitus citraq; inuidentiam omnem relinquo. Data opera omitto, quæ præterea reprehenſione digna hic forent.

Contra quartam theſin tametſi plurima profers, noſtram tamen illa ſententiam non labefactant. Aut enim vt ſuperiora, nihil roboris babent ad probandum, aut extra propoſitum dicuntur; Quæ vt non omni ex parte ſint vera, a nobis tamen hoc loco non refutabuntur. Illa duntaxat perſequemur, qua licebit breuitate, quæ propius ad rem accedere videantur. Primum, ais, nos omnem actionem naturæ medicamentorum, ex temperamento, quod ſapor indicat, ſcrutari; & facilem polliceri ſcrutationē. Argumento nos niti iſto putas. Quod facile indicat primas qualitates, facile docet omnem medicam materiam in omnibus ſuis operibus cognoſcere; primæ etenim cognatas ſecum trahunt ſecundas, tertias, opinor & quartas. Atqui ſapores facile primas qualitates indicant. Ergo omnis medica materia in omnibus ſuis operibus per ſaporem cognitu eſt facillima.

Niſi plane iſtis contraria continerent theſes, ſicut iam ante apertiſſime demonſtraui, excuſari poteras, tale quid fingens. Hoc dicimus, cognito per ſaporem temperamento, minime laborioſum hinc eſſe progreſſum ad cæteras facultates, quæ a temperamento naſcuntur, inueniendas. An propterea nulla re alia opus eſſe aio? An actiones a forma profluentes non ſupra excepi? Cur igitur hæc tu nobis tam impudenter, ne acerbius dicam, adſcribis? Habes breuem, certam, veram, quamq; negare non poſſis, reſponſionem.

Sed quia cardinem totius cauſæ præcipuum in hoc verti putas, non præter rem forte fuerit, preſſius tua ponderare. Tribus rationibus probas, imo verius te probare putas, cognito per ſapores temperamento, difficulter admodum cæteras ab eodem natas facultates inueniri. Prima eſt hæc. Multi probati philoſophi ac medici in eo deſudarūt, & vix ad mediocritatem peruenerunt. Secunda hæc. Auicennæ quidam dimidium artis detrahunt quod in hac parte imperitius verſatus putetur. Poſtrema talis eſt. Pugnantes de facultatibus pharmacorum ſententiæ, rem eſſe perdifficilem docent. Vbi haſce tuas rationes vanas & inutiles eſſe oſtendero, quid tum dices?

Principio nego tibi vllum extitiſſe præclarum philoſophum & medicum, qui cognito

prius

prius temperamento alicuius medicamenti, multum laborarit in perſpiciendis iſtis facultatibus, quas ab eodem procedere intelligeret. Nos certe non de aliis loquimur pharmacorum viribus, quam de illis, quas ratio & methodus inueſtigat. Fieri poteſt, vt qui temperamentum vel ignorarunt, vel deſpexerunt, hac in re plus ſatis deſudarint. Tales Empirici & alii quidam fuerunt, de quibus nos parum ſoliciti ſumus.

Verum enimuero in quo deceptus ſis, video. Arbitratus es nihil eſſe diſcriminis inter hanc orationem; Facile eſt medicamentorum vires per ſapores cognoſcere: & iſtam; Temperamento per ſapores probe cognito, minime difficile eſt in doctrina ſcriptiſq; Galeni verſato, hinc initio facto, ad inuentionem aliarum facultatum progredi. Illam nos veram nunquam cenſuimus: Hanc vt veram approbamus. Non diximus aliquando, facile eſſe per ſapores temperamentum cognoſcere; ſed nec ſapores facile dignoſci a quouis poſſe diximus. Multa nobis ad hoc eruditione opus etiam nunc eſt, cum Ariſtotelis atq; Galeni opera hanc rem pulcherrime explicatam habemus. Adferre præterea oportet in omnino plurimis diligenter exercitatum guſtum. Quod ſi Antiqui hanc doctrinæ partem ita habuiſſent expoſitam, non magis illi quam nos laboraſſent.

Hoc diximus, eum qui ſaporum differentias perſpectas habet, ac inſuper nouit, cuius vna quælibet earum temperamenti ſit effectus, de temperamento ex recte percepto ſapore iudicare poſſe. Quis porro neget, peritum medicum hinc de aliis etiam facultatibus, vt de vi aperiendi, infarciendi, repellendi, denſandi, rarefaciendi, concoquendi, puris mouendi, & ſimilibus, facile coniecturam facere poſſe? Velim te, quæ Galenus in fine 5. libri de ſimpl. medicamentorum facultatibus iſta de re ſcripſit, legere & conſiderare. Quibus ſi libet ea etiam coniunges, quę in præfat. lib. 10. eiuſdem operis teſtata reliquit: vt innumeros alios locos prætercam. Eſt aliis quoque ad harum omnium facultatum noticiam opus, fateor. Ad cognitionem temperamenti non fere huc nos perducere, tantiſper negabo, dum rationes tuis validiores audiero, quæ me falſum fuiſſe probent.

Quos tantopere deſudaſſe tu ſcribis, eos vel de aliis quibuſdam medicamentorum facultatibus percipiendis ſollicitos fuiſſe, vel doctrinam de ſaporibus ignoraſſe, vel in temperamenti cognitione aberraſſe oportet. Quantum inter ſe de hac re litigarint multi, perſpicue ſatis declarauit Galenus in 1. & 2. libr. nuper citati operis. Si extitiſſe contendas, qui temperamento perſpecto, tamen de viribus ab eo natis dubitarint, nō multum curo. Nihil enim tam certum, apertum, teſtatumq; eſt, de quo non dubitare aliqui voluerint. Inuenias etiam hodie, qui Piper, Zingiber, & ſimilia, per ſe haud inſtrenue homines frigefacere aſſeuerant. Hos inter ſi tu quoque connumerari gaudeas, per me licebit. Satis habeo, ſi docti videant, primam tuam rationem nihil ſententiæ noſtræ officere.

Altera falſa eſt cum iniuria Auicennæ. Non enim quiſquam eum, præter te, accuſauit imperitiæ hac in parte. Non deſunt, probe ſcio, qui eum parum feliciter verſatum in cognitione ſeu agnitione ſimplicium pharmacorum affirmarunt. At perperam eum de cognitorum viribus, de quibus nos loquimur, iudicaſſe, primus tu mihi auditus es aſſeruiſſe. Aliud eſt longiſſime, plantas non agnoſcere, & agnitarum vires non intelligere. Agnitarum hactenus, dico, vt temperamētum non ignoretur. Sic iam vides in altera te ratione plurimum hallucinatum eſſe.

Vltima tua ratio non minus falſa eſt, ſi de talibus loqueris potentiis, quas ratio atq; methodus indagare docet. Nullam namq; de talibus litem inter doctos fuiſſe probabis, quibus non ignotum fuit temperamētum. Extorta tibi e manibus tela, quibus minaciter hic pugnabas, vides: teq; inermem nudumq; relictum cernis.

Quod deinde ſcribis nos audacius, quam par eſt, & Galeni ſententia patiatur, ex ſaporibus temperamenta docere, probandum tibi erit. Ne latum quidem vnguem a vero, & Galeni ac medicorum præſtantiſſimorum omnium ſentētia diſceſſimus. Vnus Galeni locus paulo ante citatus ex quinto de ſimpl. viribus me facile ab hac tua accuſatione defendet. Peius eſt, quod mox addis, nos docere ex temperamento citra omne ſenſuum præſidium & experientiæ fidem minimo cum labore omnes medicamentorum facultates cognoſci poſſe. Imprudenter hoc iam toties, ne quid grauius dicam, aſſeruiſti.

Norunt omnes Medici, qui Galenum aliquando inſpexerunt, facultatum alias ratione ac methodo, alias citra artem ſola experientia cognoſci. Ad hoc genus eæ pertinēt, quas idem a tota rei ſubſtantia, ſiue ab occulta quadam abditaq; poteſtate proficiſci ſcripſit. Nos cum ſapores vtiles eſſe ad inueſtigandas medicamentorum facultates (propterea quod a temperamento effecti, eiuſdem indices, vt effectus cauſæ ſuæ, eſſent) diximus, non de aliis loquuti cenſeri poſſumus, quam de illis, quæ arte ac ratione inueniri ſolent atque poſſunt. Hoc ſi non ſatis intelligebas, aut non cogitabas, potuit ac debuit quinta ſaltem theſis huius re admonere, in qua tales poteſtates nominatim & expreſſe excipi videbas. Sed & hoc tibi nos reſponſuros

aliquando recte cogitaſti. Quamobrem valde miror, quid in mētem tibi venerit, vt toties nobis attribueres, quod nos nunquam vel dixiſſe vel cogitaſſe ignorare non poſſes.

Medicamentum, mox dicis, nullum in corpus hominis agere, niſi ab inſito calore prius excitetur, propterea quod potentia talia ſint vniuerſa, Galeno teſte, non actu. Quid Galenus dixerit, noui. An tu mentem ipſius aſſecutus ſis, neſcio. Quid cauſam tuam iuuet, diuinare nequeo. Ad rem præſentem facere nihil, certo ſcio. Galenus medicamenta, quæ vel intra corpus ſumuntur, vel eidem admouentur, ac deductione indigent, hoc a calore noſtro accipere ait, vt attenuentur & diſtribuantur. Calida præterea propter qualitatis affinitatem calefieri.

Non neſciuit Galenus, iſta cum ſcriberet, acria quædam, præſertim vero humida, ſi in partes corporis ſenſiles, cuteq; nudatas inciderent, primo ſtatim occurſu, & priuſquam ab ingenito partis calore aliquid paterentur, dolorem excitare. Sciuit non minus, imo magis multo, ignem, calidum aerem, & frigida medicamenta per qualitates, quas actu poſſident, corpora noſtra alterare. Nec illud etiam ignorauit, quædam, cum teruntur, vaporem emittere aerem, qui in oculos ac nares incurrens, ante has partes mordicet, quam ab inſito earum calore vel attenuari vel calefieri potuerit. Parum igitur caute prudenterque locutus es, cum nullam in medicamentis qualitatem actu eſſe ſcripſiſti. Videris mihi nondum ſatis perſpexiſſe, cur & quomodo medicamēta dicantur potentia talia eſſe, vel quomodo a connato nobis calore actum accipiant. Si quæ in 3. de temperamentis & cap. 20. & 21. libri 3. de ſimpl. facu. diſputauit Galenus, attente perlegere voles: nihil eorum quæ hic diximus, non intelliges.

Debebas præterea inter potentias diſtinguere, vti cum philoſophis tū medici fecerunt, priuſquam vniuerſim pronunciares. Longe aliter piper calidum eſt potentia, quam panis aut lactuca. Sic magnum eſt diſcrimen inter potentiam, qua ſapores ſenſiles eſſe dicas, ac eam qua cicuta frigefacere putatur. At vero quia noſtra nihil refert, concedam in præſenti, nullum medicamentum ante aliquid agere, quam a calore innato actum receperit. Dabo inſuper illud etiam, ſapores eodem modo potentia ineſſe rebus: quod tamen in omnibus verum non eſſe, tu ipſe fateberis, ſi periculum facere voles. Nam qui in humido ſunt corpore, cum primum linguam attigerunt, ab eadem percipiuntur. In aridis & in profundo ſapores ſuos poſſidentibus, rem aliter paulo habere fateor. Illa namq; humore prius rigari, hæc teri oportet, quam apte in linguam agant ſuis ſaporibus. Cauſæ notæ ſunt.

Tametſi omnia iſta conceſſero, nondum tamen tibi quid proſint, video. Negare arbitror, non audebis, eos in ore ſuſcitari ad actum oportere. Nulla enim pars corporis alia ſapores ſentire ſentireue poteſt. Quare poterit nihilominus exercitatum guſtum habens medicus, ex percepto ſapore, ſiue actu ante fuerit, ſiue in ore demum actū acceperit, de temperamento veluti ex effectu quodam de ſua cauſa coniecturam facere. Exempla quæ protuliſti, per vim nobis incognitam potius, ſiue per totius ſubſtantiæ proprietatem, quam per notas qualitates, illa perficiunt, de quibus hic tu ſcribis.

Sed ne ſim longior, argumentum tibi tuum ob oculos ponam, vt quam firmum ſit, ipſe conſideres. Medicamenta non agunt in corpus per qualitates quas actu poſſident. Ergo non poteſt ſapor perceptus index eſſe temperamenti a quo generatus eſt. Quæ mox addis de Dioſcoride & ſequentibus, nobis non incommodant. Quemadmodum neq; illa, quæ de Caſtorio & aliis quibuſdam ab occulta proprietate agentibus, attexuiſti. Supra dixi me talia præteriturum eſſe.

Tandem fateris theſes non agere de iis, quæ ab occulta nobis poteſtate operantur. Miretur alius cur, cum videris, ſemper tamen diſſimulaueris. Ego non miror. Hæc tua velim potius ſerio tecum cogitaſſes, ſcilicet imprudenter eum facere, qui veterum in iudicando ingenii celeritatem aſſequi nequit, rationes nihilominus ſæpe friuolas & contortas antefert experientiæ. Non tam turpiter te dediſſes, contortis & plus quam friuolis imo putidulis ratiocinatiunculis contra Galeni & doctorum omnium ſententiam, nec non manifeſtam experientiam diſputaturus, ſi diligentius iſta perpendiſſes tua verba.

Parum me mouet, quod addis, nos in guſtabilibus iſtis qualitatibus nimium audaces eſſe, cum verba ſint inania, pariq; a nobis facilitate contemni queant, qua ſunt a te citra rationem ſcripta. Nam quod euentum non reſpondere promiſſis ais, id omnium ætatum experientia falſum comperit. Quare niſi aliud tu probaueris, te ſomniaſſe putabimus. Porro vnde formæ rebus naturalibus tribuantur, aſtrologice, hoc eſt, imperite, diſputas. Nos de ea re, quia parum facit ad præſens inſtitutum, alibi copioſius agemus.

Iam illud reſtat cōſideremus, quod ſcribis: Nullius medicamenti vires aliter, quam experientia longi temporis cognoſci poſſe, ſi, quod illis has vires dat, ignoretur. Addam ego, in multis, quod vim ipſis dat, quatenus oportet neceſſariumque eſt, ſciri, nempe temperamentum. De talibus enim nos ſolis locuti ſumus in theſibus, ſicut toties iam diximus & probauimus.

mus. Hinc illud conſequetur, te ſine fructu talia adſerre. Quid igitur hic habes, quod nobis obiicias amplius?

Reliquum modo eſt, vt quæ contra quintam theſin meditatus es, ſimiliter excutiamus. Putabam me ex mari quodam abſurdorum eluctatum fuiſſe. At hic me mergendum de integro video, tam non eſt ouum ouo ſimile, quam tu tui ſimilis es. Non deſinis abſurda abſurdis cumulare, falſaq; falſis addere. Principio miraris diſſimilia hic eximi, cauſamq; audire cupis. Nuſquam enim talia a methodo rationali inueſtigandarum virium medicamentorum ſecluſa te animaduertiſſe. Vt tuo deſiderio ſatisfaciam, cur diſſimilia exceperim, exponam.

Cum dixi ſaporem indicare temperamentum cuiuslibet medicamenti, non ita accipi a te debebat, quaſi quæ diuerſis iiſq; perceptibilibus guſtu ſaporibus prædita ſunt, hinc exciperentur. Sic enim perpaucorum medicamentorum facultates per ſapores cognoſceremus. Roſarum exemplum, quo Galenum vſum noras, noſq; ſicut aliis plurimis inter diſputandum vti obſeruaras, ſi modo auditu percipere potuiſti, te ab hac ſententia abducere poterat. Siue vnus ſiue plures in quolibet medicamento deprehendantur ſapores, ſemper ex quouis eorum de partium illarum temperamento iudicium facere licet, quæ ſapore eo prædiiæ ſunt.

Poſita exceptio eſt, propter ea medicamenta, in quibus partes ſapidæ ſunt atque inſipidæ. Voco hic inſipidas omnes, ſiue nullum habeant, ſiue inperceptibilem guſtui noſtro ſaporem. Reperiuntur talia non prorſus nulla. Sæpenumero etiam vſu uenit, vt certæ quædam partes medicamenti alicuius, ſaporem admodum habeant acutum, quiq; guſtum adeo moueat, vt reliquarum partium (numero plurium facultateq; potentiorum) ſaporem facile obſcuret. Intelligi explicariq; planius iſta res non poteſt, quam ſi exemplis declaretur.

Si cum aqua multa, aloës aut fellis, aut rei amaræ cuiuſpiam, non ita multum miſcueris, iudicabit guſtus ex amaritudine calidum ſiccumq; eſſe, quod oblatum eſt. Nec fallitur, ita enim res habet, calidæ ſiccæq; partes linguæ occurrerunt. Sed ſi biberis talem aquam, multo plus aget frigidis partibus, quas non percepit guſtus, quam calidis, quas ſolas perſenſit. Huc pertinet etiam Galeni exemplum de malo Cytonio, cui ſcammoneæ mixtum nonnihil eſt. Quamuis enim huius ſapor, a Cytonii ſapore ita tegatur, vt lingua hunc ſolum adeſſe iudicet, tamen cum deuorata in ventrem ſunt, & iam ſoluta eſt ſcammonea, actumq; recepit, multo plus agit purgando, quam Cytonii caro aſtringendo & cohibendo. Ita propemodum res habet in cunctis medicamentis, quæ aut inſipidas partes habent, aut ſapore minus vehementi præditas. In talibus iudicium ex ſaporibus factum falli, certum eſt,

Si nondum rem ſatis percipis, aliud exemplum, illuſtrandæ huius rei gratia, addere non grauabor. Marinam aut aliàs ſalſam aquam, vinum generoſum, acetum, alioſq; humores tales vi exiccandi præditos, nemo eſt qui non plus in ſe humidi, quam ſicci, continere putat, ſi oculorum ſit ſtandum iudicio. Quinimo viſus prope ſolas humidas & aqueas partes comprehendit, ſiccas & terreas ſeu igneas, aut nullo modo, aut perquam obſcure perſpicit. Vbi vero actionem effectionemq; talium obſeruamus, & multo plus ſiccare tandem, quam humectare cernimus, illud ſimul intelligimus, vim iſtam in aqueis & humidis partibus inhærere non poſſe. Credere igitur ſentireq; cogimur, partes ſiccas in aqueis tam latere multas, vt in agendo humidas vincant, quantumuis oculorum acies ad eas vſq; non penetret,

Simili fere modo quodam poteſt ignauus aliquarum medicamenti partium ſapor, ab earum ſapore, quæ vehementiorem obtinuerunt, hactenus tegi & occultari, vt lingua eum nõ ſentiat, ac ne adeſſe quidem iudicet. Poſſunt nihilominus iſtæ partes, vbi ſoluta eſt miſtio, nec coercitæ amplius ſunt, ſed actu iam pro ſua natura corpus alterãt ac mouẽt, virtute & potentia ſua cæteras plurimum vincere. Si plura deſideras, Galenum in præcitato loco, & Auicennam, qui eandem hanc materiam libr. 2. canonis tractat, diligenter perlege, nec facile aliquid præterea deſiderabis.

Qui Opium frigiditate elemẽtari hominem interimere exiſtimant, illi haud aliter ſententiam ſuam tueri explicareq; poſſunt. Qui apud Turcos vixerunt, rationem vitæ moreſq; eorum peruiderunt, affirmant omnes, vix Opio aliquid ipſis eſſe familiarius. Neminem aiunt ita egenum eſſe, qui non dimidium ſuæ pecuniæ in opium libenter impendat, præſertim vero cum in militiam proficiſcendum eſt. Nam ex vſu eius alacriores ad ſubeunda pericula reddi aſſeuerant, quam noſtri bibuli laudem vino liberalius epoto adſcribunt.

Bellonius Gallus (homo apprime doctus, qui multorum mores populorum vidit & vrbes,) quamquam non ita, vt Turcæ, aſſueuerat, periculum tamẽ eius facere auſus eſt. Nec eo deuorato aliud incommodum ſenſit, quam caliditatem in ore ventriculi; ſomnum inquietiorem, leuemq; cerebri perturbationem. Corrupto nomine antiquo ὄπιον, Aphion hodie elegantiores inter Turcas ipſum nominare dicuntur.

Iulius Cæſar Scaliger conſtanter aſſeuerat, Amfiam, quo in nuper repertis terris ad venerem ciendam vtuntur homines, opium eſſe: ac manſum, os vrere, mentem percellere, tur-

bulenta ſomnia concitare. Hoc ſi ita eſt, inquit Scaliger, haud alia ratione papauer frigidum eſt, atq; ipſa roſa.

Hoc, de quo iam diximus, opium ex albo papauere ſtillat, vulneratis leuiter capitibus. Quod ex nigro paratur, pernicioſum fortaſſe magis eſt; ſicut nigrum hyoſcyami ſemē noxium magis eſt albo. Magna nihilominus hinc ſuſpicio eſt, aut non ſecus quam roſa frigidum eſſe, aut non frigiditate, ſed abdita quadam virtute hominibus exitium adferre. Intelligo eam ſpeciem abditæ proprietatis, quæ non ſubſtantialem formam, ſed temperamenti conſequitur proprietatem. Cui ego quoque ſententiæ libentius, quam priori, ſubſcripſero. Qui ita ſentiunt, illi nobis opū exemplum non obiicient. Vtram ſententiam probes, nobis neq; decedet aliquid, nec accedet commodi.

Hæc pluribus non ob aliam cauſam recitaui, quam vt non temere aliquid hic dictum a nobis cerneres; nec ſine cauſa, quæ diſſimilium partium ſunt, vnicumq; ſaporem habere videntur, excepiſſe putares. Cur quæ ab occulta vi agunt (ſiue ea formam, ſiue temperamentum conſequatur) exceperim, ſatis notum eſt.

Quæ mox ſubiicis, (vt multa contineant, de quibus vera ſint nec ne ambigi poſſit) facile concedemus tibi. Iam enim non excipi audiſti quæcumque ſapores perceptibiles habent, quantumuis diuerſos multoſq; habere cogites. Fruſtra etiam ad exempla reſponderim, quibus probare niteris, melius eſſe ab affectib. ad ſapores, quā ab his ad affectus procedere. Non enim vtrum ſit præſtabilius hic quærebamus. Fieri poteſt, vt aliquādo hæc, nonnumquam altera via ſit præferenda.

Tandem præclare & erudite, ſi diis placet, dubitas, an partium iſta diuerſitas reuera exiſtat, aut potius imaginatio tantum ſit. Putas fortaſſe philoſophos ita indulgere imaginationibus, cum veritatem inueſtigant, naturamq; ſcrutantur, ſicut Aſtrologi faciunt, quibus delira ſomnia, anileſq; fabulæ maiorem, quam aliud quicquam, voluptatem pariunt. An ita cum de his diſputares, mente ac ſenſibus carebas, vt nihil tibi occurreret, in quo iſtam partium diuerſitatem inuenires? Non erat opus radicis meminiſſe, cuius carne pro farina vtuntur homines in Hiſpaniola inſula, tametſi ſuccus eius venenoſus eſt. Porrum conſiderare poteras, quod ſine noxa editur, quamquam ſuccum habet pernicioſum. Poteras ſanguinem tibi proponere, quem tua te ars, tuique oculi diſſimiles habere partes monent. Poteras in lacte, poteras in pomis, pyris, roſis, abſinthio, poteras in vino, in aqua noſtra, denique in omnibus cernere. Non tu aliquando legiſti, aloēn diligenter ac ſæpe lotam, purgandi facultatem amittere? Si in mentem tibi venit, partium diſſimilitudinē in ea ineſſe facile perſpexiſti. Potuit eadem te de compluribus aliis admonere, quæ aliud lota, aliud non lota efficiunt.

Quid hoc loco aliud dicam, quam ſomniaſſe te, cum iſta ſcriberes? Non ita multo ante partem maximam medicamentorum heterogeneam eſſe dicebas, ac Chymiſtarum teſtimonio confirmabas. Iam huius, tuique oblitus, dubitari poſſe affirmas, an ita res reuera habeat. Si hoc non eſt euidenti rerum experientiæ repugnare, quid ſit neſcio. Verum ſi ita res habeat, conſectarium putas, elementa ex fortuito atomorum concurſu & non ex elementorum miſtione generari. Ratio tua eſt, quia miſtio fiat per minima.

Iſta cum negligimus, ſuccenſes nobis, & prius docere iubes, quomodo contrarii vna in ſtirpe effectus poſſint ad elementorum miſtionem referri, in qua vnus ſit concentus. Perinde facis hic, atq; is, qui, cum nō poſſet intelligere, quomodo viſio fiat, eam fieri prorſus negabat. Tu namque, dum, quo pacto diſſimiles in vna ſtirpe partes eſſe poſſint, ſi miſtio in minimis quoq; fiat, animo comprehendere non potes, an ſit dubitas. Et cum eam in cunctis prope rebus occurrere animaduerteres, ideoque negare non auderes, hoc agis, vt non eo modo fieri tibi perſuadeas (aliis enim nullis perſuaſeris) quo præclariſſimi Philoſophi & Medici fieri tam aperte & luculente demonſtrarunt, vt merito imperitus ſit vocandus, qui non videt; delirus, qui cum videt, non acquieſcit.

Minus iam miror, te Galeni de ſaporibus ſententiam nō approbare, qui, quæ tam ſunt nota, teſtataq; doctis omnibus, tamque ſolidis & firmis comprobata rationibus, vituperare: & ridiculas illis anteponere fabulas non es veritus. Meminiſſe te eius hoc loco ſententiæ expediebat, quam ſupra ponebas, vaniſſimum eſſe eum, qui, cum neque acumine in iudicando, neque celeritate in inueniendo, veteres æquare poſſet, rationes nihilominus ſæpe friuolas & contortas experientiæ præferret. Nullus Apelles tā eleganter te potuiſſet depingere, quam pulchre ſciteq; tumet & teipſum hic expreſſiſti. Ego numquam paſſus fuiſſem mihi perſuaderi, te iſtas nugas in tuo ſinu fouere, (tametſi non ignoro, te fabuloſis opinionibus impenſe delectari) ſi nō eandem rem ſæpius repetiuiſſes, rationeque confirmare ſtuduiſſes. Haſcine ego refutem abſurditates? Inſcite ineptéq; facerem multo magis, quam ſi commentus fuiſſem. Nō tanta eſt tua authoritas, vt tibi citra rationes aſſeuerāti credamus, quod ſenſus, quod ſeculorum omnium experientia, quod ratio, quod doctorum omnium conſenſus, tam ner-

uoſe

uoſe falſum, abſurdumq; comprobauit, vt qui in dubium vocare auſit, merito principiorum de naturalibus rebus imperitiſſimus eſſe cenſeatur.

Quod ſi digna ipſa per ſe res eſſet, in qua vel enodanda vel confutanda aliquid operæ ponatur, ineptus tamen ſim, ſi id hoc loco tentem. Etenim ſi quam maxime iſta partium inæqualitas ex atomorum concurſu exoriretur, non tamen non ex ſaporibus recte de medicamentorum viribus, quas in concurſu tali nanciſcerentur, coniecturā caperemus. Oporteret enim hoc, vel alio modo concurrentibus, hunc vel alium ſaporem connaſci ſemper. Non enim arbitror te hac etiam in parte, Democriti ſententiam probare, qua docuit, nihil præter vacuum & atomos exiſtere: cætera omnia videri tantum, reipſa non eſſe. Si te aſſentiri oſtenderis, tam non mirabor, ſi Abſinthium Saccaro dulcius dixeris, quam hactenus admiratus ſum, odores tibi, quam ſapores, notiores eſſe.

Quod te non videre ſcribis, quomodo iſta in medicamentis partium diſſimilitudo non magis Democriti faueat atomis, quam Hippocratis Elementis, facile credo. Cui enim nil niſi noua placent, is illis, quæ Antiquis recte dicta ſunt, mentē non adhibet, quomodo oportet. Si vel Ariſtotelem eiuſq; interpretes, vel Galeni vnicum commentarium, quem de elementis iuxta Hippocratis mentem conſcripſit, tanta perlegiſſes attentione, quanta alias fortaſſe ineptias perlegere (ſiquidem verum eſt, quod mihi de te quidam iam dudum narrarunt) ſoles, non diceres te non videre, quod tuos omnes diſcipulos præclare intelligere credo.

Rides nos. quos Hippocratica retenturos principia ſuſpicaris. Nos Hippocratis, Platonis, Ariſtotelis, & Galeni retinemus principia; atomos vero Democriticas ſeu potius Curionias ridemus. In cauſa eſt, quod illa certis ac firmis niti fundamentis cernimus, quod naturæ & omnium ætatum experientiæ conſentire videmus; has autem naturæ, ſenſui, rationi, experientiæ repugnare perſpicimus; vt non poſſint argumentis certioribus vel illa demonſtrari, vel hæc confutari. Ne mireris igitur, nos, qui tot tamq; præclaris viris, non fueramus abſq; oſtenſione fidem habituri, tibi multa quidem aſſeueranti, nihil vero probanti, credere non poſſe. Sed doceri nos prius conueniebat, ais, contrarios in vna ſtirpe effectus referri poſſe ad miſtionem elementorum per minima factam, quam atomos rideretis. Vnico ad hęc verbo reſpondeo, non veniſſe nobis in mentem, cum has theſes diſputandas proponeremus, aliquem de principiis iſtis dubitaturum.

Parum ſcite profeſſorem te facis Hippocraticæ artis, cuius principia nondum vera eſſe noſti. Fruſtra & intempeſtiue operam hic noſtram expectas. Si ex Galeno & Hippocrate diſcere non volebas, atq; ex Ariſtotele cognoſcere pigebat, ex Auicenna ſaltem intelligere præclare poteras. Quinetiam ſi, quæ nobis in iſta reſponſione hucuſq; dicta ſunt, non oſcitanter expenderis, voti deſideriique tui compos fies. Parum ſcite etiam, vt id doceamus te, a nobis flagitas. Poteſt enim ſtirps vna longe diuerſiſſimas habere partes, quarum temperamenta non ſit neceſſe eadem eſſe. Sane in homine aliter temperata eſt caro, aliter os, aliter neruus, aliter cerebrum. Nihilominus tamen omnes conſentiunt inter ſe hactenus, vt vni animæ ſimul pareant: eidemq; vitam ſuam acceptam referant. Quid igitur prohibet idem in ſtirpibus fieri? Equidem non minus eſt in quibuſdam plantis & fructibus, partium diuerſitas nota, quam in animalibus. Si non credis, vel vnicum pomum, ſiue aurantium, ſiue citrium contemplare. Supra quoque iſta de re nonnihil diximus.

Decepit te, quod in vna ſtirpe vnicam miſtionem credidiſti. Niſi fortaſſe illud voluiſti, quod magis credo, interrogare, quomodo in vna ſtirpis parte poſſint diſſimiles partes defendi. Quod ſi per partem diſſimilem idem, quod nos, intelligis, fieri non poſſe dicemus. Quare ab aliis, non a nobis, qui in ea ſententia numquam fuimus, declarationem hanc petere te oportebit. Suſpicor te ſententiæ occaſionem aliquam accepiſſe ex proble. 104. lib. 1. Alexan. Aphrodiſei. At is autbor tuæ ſentētiæ, quiſquis tandē fuerit, nullo modo patrocinatur: quod facile probare poterit, qui eiuſdem ſcriptum illud attente perlegit.

Verum ego non poſſum videre, inquis, quomodo non iſti magis opinioni faueat fortuitus atomorum concurſus, quam Elementorum miſtio. Quid ais? An te, qui tam cernis acute, vt in ipſas pene rerum ſubſtantias introſpicias, adeoq; oculorum acie hactenus penetras, vt ex ſemine in terram proiecto & putrefacto, atomos effluere, & alimentum ſpecie nubis atomoſæ, (agnoſcis, credo, verba tua) ad ſe attrahere conſpexeris, iſta non peruidiſſe credere debuimus? Lippis oculis & vix prima Philoſophiæ ac Medicinæ rudimenta edoctis iſta ſunt nota, quæ tui ingenii aciem hactenus effugerunt: in quo non parum noſtram de te opinionem fefelliſti. Et diſſimulaſſe te, quamquam videres, credere non audemus. Quomodo ex ſeminibus plantæ generentur, haud paulo melius ex Galeno cognoui, quam ex atomoſa tua nube imaginari potuerim. Locum in tertio capite libri ſexti de placitis Hippocratis atque Platonis reperiet, qui videre cupiet.

Prudenter ſane feciſti, quod contra ſequentes theſes nihil tentaſti. Etenim in oppugnatione ſextæ occubuiſſes prorſus, tam manifeſte refutant te verba ipſius omnia. Sed præſtat finem hic facere, poſtquam nihil reſtat, quod non ſit confutatum. Vale. Heidelbergæ ad diem 20. Iunii. Anno Domini, 1563.

EPISTOLA

DE NATVRA ET ORTV LAPIDIS SABVLOSI, QVI IN PALATINATV AD RHENVM REPERITVR,

ac de vſu eiuſdem in Medicina; ad virum in omni præſtanti doctrina eruditiſſimum, D. Conradum Geſnerum Tigurinum, Philoſophum ac Medicum clariſſimum.

NON ſum oblitus, quod in poſtremis ad te literis meis pollicitus tibi ſum, clariſſime ac præſtantiſſime Geſnere, me, quæ mea eſſet de ortu ſabuloſi iſtius lapidis ſententia, quo iam per Germaniam plurimi feliciſſime in fracturis oſſium percurandis vtuntur, ad te ſcripturum eſſe, cum primum locum generationis ipſius vidiſſem, ac ſingula accuratius explorauiſſem. Ne igitur non ſatisfeciſſe officio videar; rem, vt inueni, omnem diligentiſſime explicare tentabo.

Die Aprilis 17. ad locum, vbi plurimus reperitur, aliquot liberalium artium Magiſtris, medicinæ ſtudioſis, comitantibus, exſpatiatus ſum. Ad eum nos illuſtriſ. Principis Electoris aulæ Magiſter, qui iam ante locum perluſtrauerat, & vbi plurimus inueniretur, obſeruarat, deduxit. Deinde anno 1564. die 11. Septemb. comitantibus tum aliis, tum D. Sigiſmundo Melanthone Medico, pietate, virtute ac doctrina clariſſimo, collega chariſſimo, iterum exiuimus; & quanta potuimus diligentia omnia tunc quoque perſcrutati ſumus. Eſt is locus in itinere, qua hinc recta Spiram itur, miliari germanico ab vrbe noſtra diſtans: luporũ ſuſpendio nobilitatus & clarus. Latiſſimi ibi viſuntur campi ſteriles, arenoſi. Arena alicubi alta eſt quinq; aut ſex pedes, alicubi altior, multis etiam in locis minus eſt profunda. Eſt autem arena illa tenuiſſima & puriſſima, nihil omnino alienæ ſubſtantiæ ac terræ admixtum habens, inſtar agrorum; qui, licet arenoſi ſint, fructum tamen ferunt. Per hoſce campos paſſim innumerabilis copia iſtorum lapidum repetitur: maxime cum a via publica ad vtramuis manum paulum diſceditur.

Hic, cum prope viam ad ſiniſtram maiuſculi lapidis veſtigia deprehendiſſemus, perfodere arenam cœpimus, vt radices conſpicaremur. Erat in eo loco arena admodũ alta. Quam dum vndique tollimus, maiorem ſemper fieri truncum ſeu baſim animaduertimus. (quanquam hoc perpetuum nõ eſt. Hoc enim anno circa eundẽ locum truncum inuenimus, magnitudinem eandem ſeruãtem ad radices vſq;, vt arboris caudex defixus ibi videretur. Craſſitudo paulo minor, quam quæ vtraque manu plene comprehenderetur.) Tandem foſſa lata facta, altitudine aliquot pedum, inuenimus ſub arena argillam pinguem cinerei coloris, ad cœruleum declinantis. Hãc cum rumperemus, apparebat ipſam ex denſato & quodammodo cõcocto vel ex dimidio permutato ſabulo concreuiſſe. Opinor ex permiſtione pinguium, calidorum, & fortaſſe ſulfureorum halituum talem fieri actione latentis in terra caloris. Venas multas rubiginoſo colore interſperſas habebat, vt ferri venæ exiſtimarentur. Non dubitabamus ſulfuris eas indiciũ argumentumque eſſe. Oblitus ſum iniicere in ignem, vt odorem expenderem; tametſi tunc prorſus facere in animo haberem.

Per huius argillæ ſuperficiem (& intra eandem) propagines quaſdam huius lapidis in omnes partes ſpargi, atque a trunco paulum ad latera, pollicis craſſitudine, aut paulo maiores excurrere vidimus. In ſuperficie duriuſcula cum eſſet argilla, mollior ſtatim, ac pedem vnum fodiendo deſcendimus, apparuit. At cum ſecundo inſpiceremus, nihil remittebat durities, etiam cum ad tres pedes, plus minus, perfodiſſemus.

In media iſta argilla pingui, cœrulea, rubiginoſis venis multis, vt dictum eſt, diſtincta, multæ cochleæ paruæ, albæ, inanes, reperiebantur: quas in eadem natas fuiſſe certiſſimum

cenſeba-

cenſebamus. Neque enim tam alte vllo modo deſcendere, & tam profunde in argillam inſinuare ſeſe potuiſſent. Quacumque argillæ fruſta manibus rumperentur, multæ hinc inde ſparſæ in medio ipſius corpore apparebant. Harum aliæ lentis, aliæ ciceris, nonnullæ maiorem ambitum habebaut. Verum ita erant fragiles, vt leuiſſime digitis contrectatæ in puluerem verterentur. Ira porro affabre & concinne erant factæ, vt nihil artificii deeſſe eis cognoſci a nobis poſſet, quod in illis, quas ſupra terram reperimus, ineſſe perſpicimus.

Cum paulo altius fodiendo penetraſſemus, multa ſtatim aqua in foſſam inſerne confluxit. Neque ſollicitos ea res nos valde habebat, quod trunci (ita baſim lapidis appello) radices, non multo altius in argillam deſcendere, ſed fere circa eum locum finire cerneremus. Cum ſecundo eadem hæc in eodem ferme loco inſpiceremus, argillam, vt dixi ante, duriorem & ſicciorem inuenimus. Quinetiam cum altius multo perfodiſſemus, vix tandem humorem reperimus. Putauimus cauſam diuerſitatis hanc eſſe, quod, cum primo exiiſſemus, terra adhuc humida fuiſſet, propter præteritam proxime hyemem, & nuper pręcedentes pluuias copioſas admodum. Nunc vero, cum ſecundo examinauimus, rationi conſentaneum videbatur, vt terra tota aridior appareret, propter præcedentem proxime æſtatem, & diuturnam aëris ſiccitatem. Etenim a die 25. Iulii, vſque ad præſentem diem, vix ſemel pluit. Quamuis enim nonnunquam per quartã boræ partem, inſtar roris aliquid aquæ depluiſſet, id quod ter forte factum eſt; non potuit tamen ab exigua illa aqua puluis in ſuperficie terræ totus madefieri.

Poſt expenſam profunditatem radicum in argillam de trunco vndiquaque deſcendentium, reliquas partes explorare incœpimus; idque non in vno tantum, ſed pluribus poſtea factum eſt: quanquam non pari diligentia cæterorum radices inueſtigauerimus: quod ſimiliter in omnibus rem habere perſuaſum haberemus. Et ſane veriſimile eſt, cum in cæteris nihil inueniretur diſcriminis, radices quoque ſimiles fuiſſe. Sunt ex bis truncis, qui magnæ arboris craſſitiem æquent. At non ex vno lapide ſolido, ſed ex pluribus teretibus partibus, ceu ramis quibuſdam ſimul colligatis conſtant. Eas interpoſitum ſabulum, quod ſpatia intermedia replet, ita coniungit, vt vnum corpus exiſtimentur eſſe, priuſquam manibus contrectantur. Sed nec eadem omnibus eſt partibus craſſitudo, verum maiores minoreſq; inter ſeſe iunctæ cernebantur; quæ in pyramidis tamen formam vna faſtigiarentur. Quæ res fortaſſe argumento eſſe poſſit, vt non ſuperne ſed inferne eos naſci dicamus. At cum vnus ſolus truncus ſurgit, par ferme eſt craſſities vtrobique, videlicet ſupra & infra: vt ante etiam monui. Cum fere ad ſuperficiem arenæ peruenêre, ramos quoſdam rotundos, quales ad te iam ante aliquot miſi, per reliquam arenam emittunt. Ab eo loco eandem fere magnitudinem, ſiue craſſitiem ſeruant, & raro ſub arena, quam in ſuperficie maiores inueniuntur. Quin etiam haud infrequenter eadem craſſitudine, vt pollicis, aut digiti, aut maiore quantitate, ab imo ad ſupremam vſq; arenæ ſuperficiem aſcendunt.

Non eſt difficile eos a reliquo ſabulo internoſcere: Nam & duriores conglomerato ſabulo, & candidiores multo ſunt: & plerumque recta per arenam ſurſum aſcendunt, ac ſi defixi ſuperne eſſent: interdum ad latera declinant. Vbi ad ſuperficiem vſque pertigerunt, aut non procul ab ea abſunt (quales multos vidimus, quos tamen fractos eſſe vero videbatur cõſentaneum) partes aliquæ, vel ab hominibus, vel ceruis, quorum ibi ingens eſt copia, aliiſque animalibus, vel a pluuia & ventis abrumpuntur. Sane dum adhuc recentes ſub arena occultantur, aut cum ſuo principio, hoc eſt, trunco continuantur, fragiliſſimi ſunt, adeoque friabiles, vt in puluerem leui admodum confricatione digitorum comminuantur. Quod cum dico non ad ſabulum alio quouis modo coactum ſiue conglutinatum, ſed ad eum ipſum lapidem, qui in arenæ ſuperficie de ſua radice auulſus iacet, atq; a ſole excoctus eſt, refero. Iam enim dixi, eos conglobata arena multo eſſe duriores.

Quæ hoc modo partes abruptæ, ſuperq; arenæ ſuperficie diſperſæ ac ſoli expoſitæ aliquandiu iacuerunt, indurantur amplius, magiſq; albeſcunt. Sed & cruſtam, quam a circumlito ſabulo, quaſi nigricantem corticem quendam contraxerunt, magna ex parte amittunt: quidam etiam ſeruant. Hanc & a pluuia ablui probabile eſt. Præterea areſacto a ſole humore, quo agglutinabatur, ſua ſponte ſæpe decidere certum eſt. Ita namque fieri vidimus, cum in manibus noſtris exiccari permitteremus. Ob has cauſas, omnia ferme illa fragmenta, quæ in ſuperficie arenæ reperiuntur, iis quæ ſub ea conduntur adhuc, non tantum duriora, verum etiam vt plurimum candidiora fieri exiſtimo.

Oportet hoc in loco commemorem, quod & nobis videre iucundiſſimum fuit, & ad rem pręſentem facit omnino plurimum. Cum per campos illos arenoſos vagaremur, & quid quolibet in loco obſeruatione dignum appareret notaremus: inuenimus ex hoc genere lapidem, cuius tibi fragmentum mitto, ita vt ſequitur natum. Craſſitudo eius, vti vides, digitum mediocrem vix æquat, aut certe non ſuperat. Longitudo fuit quinque pedum (nam dum ad-

huc integer in terra iaceret metiti ſumus) æquali vbique craſſitie, vt poſtrema eius pars, quæ extra ſabulum cernebatur, nihilo minor ea eſſe videretur, quæ trunco inferne ſubeunti continuata erat. Dixiſſes baculum ſeu virgam fuiſſe ſub arenæ ſuperficiem a bubulco abſconditam. Si non ſtipiti paulo craſſiori ex profundo aſcendenti, manifeſte, vt mox dicamus, continnatus fuiſſet, virga in lapidem conuerſa videri potuiſſet negligentius intuenti.

Huius ſtipes, aut radix, vt ſic vocem, quam paulo craſſiorem fuiſſe dixi, ex profundo aſcendens, recta ſuperficiem, vti fere omnes ſolent, petebat. Ab ea cum non longius abeſſet, quam palmitem vnum, recuruatus, inque terram reflexus, per ſpacium pedum plus minus quatuor ſub arena latens exporrigebatur. Extra arenam procurrerat pedem vnum, aut eo amplius. Dubium non erat, vel ipſa loci in quo repertus eſt, natura teſtificante, quin venti ſabulum, quo opertus fuerat, diſpuliſſent. Erat etenim collis arenoſus, procul ab arboribus, vt nihil ventorum flatus arcere impedireue poſſit, vndecumque ſpirent. Præterea extrema lapidis pars, quæ extra ſabulum apparebat, ſolum non vbique attingebat, ſed nonnihil eleuata erat, ac ſi venti ſabulum aridius, cui incubuerat, nuper depuliſſent, ac ſubtraxiſſent.

Huc illud quoq; pertinet, quod, licet iam ab arena tegeretur, adhuc tamen per vnius fere pedis ſpatium cerni poterat. Si quidem arena, quaſi pro craſſitudinis ipſius modo intumuiſſet, paulo altior cernebatur, ea in parte, qua lapis pergebat, vt ſabulum ei ceſſiſſe, ſpatiumque progrediendi dediſſe putaretur. In cauſa vero non hoc, ſed linmiditas fuit, per quam ei tenacius adhærebat, quam vt a ventis diſiici tam facile poſſet. Nam arefactum ſabulum inſtar pulueris diſſipabile cum ſit, a flatu non magno, longe lateq; diſiicitur. Cum humidum eſt, cohæret, nec difflabile exiſtit. Sane qua parte detectus erat, ſabulum aridiſſimum videbatur. Vbi tegebatur, adeo erat humidius, vt vel ab ipſo lapide aliquid accepiſſe humiditatis cenſeretur. Equidem iſti lapides cuncti truneo ſuo eontinuati, humidiores multo ſunt, quam illi, qui de trunco abrupti exiccantur. Ex quo coniicere licet, eos nonnihil humiditatis a matrice, vel trunco, vel radice perpetuo fere haurire. A lateribus, quod humectari æque non potuiſſet, facile diſperſum eſt. Continuus erat, vt in eo nulla plane rima appareret. Vt primum de terra ſuſtulimus, in fragmenta, ſiue partes aliquot diuiſus eſt. Nec præcauere, quin ita accideret, pc tuimus, licet valde cuperemus atque etiam conaremur integrum conſeruare.

Ex iſta narratione promptum eſt intelligere, nullius eos animalis oſſa eſſe, vt cum alii, tum ego quoque de principio ſuſpicatus fui. Quod vero poros habent multos, ſicut oſſa, inde euenire non ambigo, quod ex ſabulo concreti ſunt, cuius partes tam exacte coire non ſemper poſſunt, vt non poros meatuſq; aliquos pariant. Eſt tamen inter poros, qui in aridis oſſibus cernuntur, & eos, qui in hiſce lapidibus reperiuntur, magnum omnino diſcrimen: id quod libenter confitebitur, quiſquis eos diligenter cum atetactis oſſibus, vt ego feci, contulerit.

Rotundam ſeu teretem figuram enm longitudine, a loco generationis & matrice, vt ſic appellem, ipſos accipere certum eſt. Carent etiam plerique omnes ea inæqualitate craſſitudinis & tenuitatis, quæ in oſſibus ineſt, ſed eandem frequenter magnitudinem, vt ex ſupra commemoratis perſpici poterit, ſeruant. Quinetiam extuberationibus, & capitibus illis oſſium in extremitate horum apparentibus, deſtituti omnes fuerunt, quotquot ego conſpexi: tametſi omnino multos viderim, eoſq; bene longos. Nodos ſeu capita multa habent eorum aliqui, ſed non vt oſſa in extremitatibus, ſed in medio potius & a lateribus. Incurui etiam ſunt, & tam varii hac in parte, vt cum oſſibus nullis conuenire poſſint. Quod idcirco monere placuit, ne aliquis deinceps eos pro oſſibus habeat.

Modus generationis eorum talis mihi eſſe videtur. Caliditas quæ in terra ineſt, ex pingui illa, de qua ſupra a me dictum eſt, argilla & aqua ſubiecta, exhalationes, ſiue halitus, ſiue vapores, (pro eodem omnia hæc nomina mihi in præſentia ponentur,) craſſos, pingues, calidos, &, vt ſuſpicor, ſulfureos excitat plurimos. Hi ſub arena certis in locis collecti, multas ſabuli partes complectuntur, eaſque pro viribus permutant. Deinde coniunctim ſurſum tendentes per ſabulum rarum, viam ſibi, qua poſſunt, aperiunt, ac partes, quas comprehenderũt, ſua pinguedine conglutinant. (Supra dixi, eos nonnumquam ad latera exporrigi, & oblique per ſabulum ferri. Non enim ſemper via patet ſurſum aſcendendi. Attamen quia natura ſua ſurſum contendunt, pars eorum maxima ad ſuperficiem aſcendit.) Iſta poſtea ſic miſta & glutinata inter ſeſe, tum a ſubeunte inferne calore plures ſemper calidos vapores ſubminiſtrante, tum ab eo etiam, qui ſuperne a ſole in profundum pertingit, excoquuntur: ac pro concoctionis modo atq; menſura, indurantur albeſcuntque.

Poteſt fieri vt ſulfurei halitus vaporeſue cauſa ſint albedinis aliqua ex parte: præſertim cum ſuffitu ſulfuris quædam albeſcere manifeſte ſoleant. At ſola hac de cauſa eos albeſcere vix dixerim. Argilla, de qua dixi hoſce vapores tolli, alba quidem & ipſa eſt, ſed minus multo quam lapides. Nam cœrulea potius quam alba eſt, & rubiginoſas multas habet venas. Deinde cum

decum

de cum ex eodem ſabulo ipſa quoq; generata ſit, colorem aliunde etiam traxiſſe oportet. Traxit autem procul dubio a vaporum permiſtione & coctione. Non negem tamen vapores, qui ab ea tolluntur, aliquid de albedine argillæ retinere: & ſic plura eſſe quæ lapides iſtos albos reddant. Ipſum quoq; ſabulum areſactum albedinis aliquid habet; vt hac etiam de cauſa facilius albeſcere poſſint. Atque hos ipſos lapides, numquam æque candidos eſſe, cum humidi adhuc ſunt, atq; cum areſacti ſunt, certiſſimum eſt. Hinc ſuſpicio eſt, eos ſui coloris albi nonnihil a ſabulo obtinere. Solum ſabulum in cauſa non eſſe illud manifeſte & valide probat, quod in ipſa etiam argilla longe eodem albidiores cernuntur. Quæ cum ita habeant, facile credi poterit, albedinis huius non vnicam cauſam exiſtere, ſed plures concurrere.

Porro ex ſolo ſabulo eos non generari, notius eſſe puto, quam vt explicatione verboſiore indigeat. Humore certe aliquo opus eſt, quo conglutinentur ſabuli partes: quas cohærere, vnirique per ſeſe non poſſe notum eſt. Sane pluuiam aquam id efficere nullo modo credi poteſt. Non enim facile qui ita cogitet, rationem attulerit certam, cur certis tantum in locis ſabuli naſcantur: Cur tereti longaque figura dumtaxat fingantur: Cur inferne ex argilla ad ſuperficiem vſque ſuperiorem, eadem illa figura, vt nunquam fere extra circumſcriptionem egrediantur, plerumq; cõtinuentur: quo pacto aqua pluuia tantulas ſolum partes ſabuli coaguler, atq; in profundum vſq; ſemper eo, quo ſupra incœpit, modo pergat.

Fruſtra hic tritum illud, quod in rebus cunctis locum habet, cum recte adhibetur, pro diſſolutione huius difficultatis obiiciatur, non omnes ſabuli partes idoneas eſſe. Vt enim id verum ſit, ad hunc tamen nodum diſſoluendum nihil confert. Permanet enim prior difficultas: & accedit maior etiam: quomodo idoneæ aptæq; illæ partes ſabuli, quæ in teretem hanc longam figuram ſolæ rotundari poterant, in vnum ſemper ita locum coierint, vt ſemper verſus inferiora, nunquam (aut perquam rariſſime) ad latera inter ſeſe cohæſerint.

Pluuia certe aqua per omnes ſabuli partes ſimiliter deſcendere, ac ab omnibus æque combibi videtur. Ergo cum aqua pluuia non poſſit credi glutinum eſſe huius lapidis, propter enumeratas cauſas, & abſurditatem rei, aliud quærendum nobis erit. At vix aliud, imo ne vix quidem excogitabitur, præter iſtos, de quibus ſupra memini, vapores atq; fumos.

Probabilior ob id eſt noſtra ſententia, quod Ariſtotelem quoque habere videatur conſentientem. Etenim a vaporibus omnia foſſilium genera, ſuccoſq; concretos, & præterea lapides concreſcere docuit. Neque vero fieri poſſe puto, vt ex ſolo vapore denſato iſti lapides ſabuloſi, de quibus hîc agimus, concreſcant. Nam ſabulum ineſſe, vel oculorum & dentium, ſi mandentur, iudicio, adeo certum eſt, vt ſi quis dubitet, is mihi in meridiana luce tenebras quærere velle putetur. Frigore eos condenſatos concretoſq; oportebat. Hoc ſi eſſet, calore iterum liquari fundiq; poſſent, id quod non eſſe verum pro comperto habeo. Non enim magis ab igne liquantur, quam calcarius lapis. Quamobtem ex vtroque, vapore ſcilicet illo pingui, calido, craſſo, & ſabulo, inter ſeſe miſtis ac percoctis concreuiſſe eos rationi conſentaneũ eſt.

Certum porro illud etiam eſt, non miſceri tantum hæc inter ſeſe, vti vino aquam miſcere ſolemus, ſed tranſmutari a calore & percoqui, vt in formam quandam calcis, non tamen veram, abeant, partes ſabuli pleræq; omnes. Nam non raro integræ quædam partes ſabuli minime permutatæ, nonnullæ etiam ſemimutatæ, per lapidis ſubſtantiam diſperſæ repeiuntur. Magis permutantur, aut certe non minus, ſabuli partes, in iſtius lapidis generatione & coctione, quam terra in coctis fictilibus, aut lateribus mutata cernitur. Et huic quidem ſententiæ noſtræ nihil video repugnare.

Quod enim ſupra difficultatem habebat, nobis non officit. Dicimus namque vapores non ex omnibus terræ ſubiectæ partibus eadem copia aſcendere, ſicut ex omni aëris parte pluuia de nubibus defluit, ſed ex alia pauciores, ex alia plures erumpere. Quæ cauſa eſt euidens, cur non omnes ſabuli partes, illæ, inquam, quæ tranſmutari poſſent, in lapidem iſtum conformentur.

Cur autem in longam iſtam figuram fere tornentur, hinc etiam fortaſſe cognoſci poterit. Vapor etenim copioſus certo aliquo in loco collectus, & ſuperiora petens, per arenam viam ſibi, qua maxime poteſt, (eam veluti perforando, ac terebrando) facit: ac partes, quæ in medio ſunt, cogit, conglutinat, vnit, a que reliquis vicinis ſeparat. Iſtæ ſic mutatæ partes proximas ſupra ſe eodem modo afficiunt, donec ad extremam perueniunt ſit ſuperficiem. Dum ita partes quædam coguntur, & a circumſtantibus ſeparantur, in ambitu ſpatium relinquitur vaporibus (ſpatium hoc manifeſte apparuit, vbicunq; emergere eos inuenimus) altius aſcendendi, & ſuperpoſitas partes ſimili modo permutandi.

Iam dum ita coguntur, ſua ſponte ſuperiores incumbentes inferioribus ipſæ quoq; ab aliis diſcedunt, ſpiritibuſq; viam præbent progrediendi amplius. Vbi vero ſabulum denſius eſt, quam vt cõmode penetrare ſpiritus iſti queant, & ad latus ſpatium eſt, ad latus tum quoque declinant. Poteſt hoc ex ſupra recitata a nobis hiſtoria, de longo illo quem inuenimus la-

pide, luculente intelligi. Quanquam rarius hoc euenire conſpeximus. Plerique enim rectà per profundum aſcenduot, leuiterque aliquando incuruantur, vt non niſi maximum circulum deſcripturi ſua illa curuitate videantur.

Hunc ego modum generationis eorum exiſtimem potius, quam eum, quo pili atque vngues generantur. Nam ſabulum ſic ſemper nouum ſubire, & prius propellere, atque vt in corpore excrementa, ita recens generari oporteret. Sed ipſe quoque locus, non ita eos gigni facile & liquido commonſtrauerit. Non poſſet etenim fieri, vt non frequenter ſuperarent ſabuli ſuperficiem. Imo plerumq; eminerent a ſubeunte ſabulo protruſi. At nullibi hoc vidimus, ſed ſemper intra ſuperficiem, aut in ipſa ſuperficie deſinere conſpeximus. Quod ſupra de longo illo diximus, huic non aduerſatur.

Sententiam illud confirmare etiam videmus, quod non iſto in loco ſolum, verumetiam alibi vbi tales campi extant arenoſi, iſti lapides inueniuntur, aliâs nuſquam. Qua hinc itur Francofordiam, circa villam Eberßdorff appellatam, magna eorum copia reperitur. Audiui etiam non procul a villa Schwetzingen/ & prope Igelßeim/ & Latiooburgum campos tales eſſe, qui permultos ferant. Quinetiam apud pagum quem Altam ripam vocant, in ſabulo hiccis Rhenum, eoſdem vidi. Quare cum nonniſi in arenoſis reperiantur, ſatis liquet, ex arena fieri. Si conſtatet ſimiliter, talem arenæ argillam in iiſdem illis locis, vbi præterea reperiri diximus, ſubiectam eſſe, qualis ea eſt, quam nos vidimus: dubitari de ſententia noſtra minus poſſet. Sane quia exteriora ſunt inter ſe ſimilima, probabile eſt interiora non multum diſcrepare. Commoditatem nactus, explorabo ipſe, aut, ſi per negotia non licebit, aliis hoc imponam. Videntur certe vtraq; requiri. Nec poſſe hunc lapidem, vbi alterum dumtaxat reperiatur gigni, vel ex iam dictis liqueat.

Quare facile illis reſpondebimus, qui alibi quoque ſimilem argillam, id quo ego minime nego, reperiri ſine iſto lapide aſſeuerant. Non enim eſt ſatis argillam talem, & ſub ea aquam ſi ita libet, inueniri, de quibus vapores ſimiles efferri poſſint. Oportet præterea materiam idoneam, ex qua ille vapor eidem permiſtus tale quid efficiat, præſentem adeſſe. Nec ſatis eſt ſabulum qualecumque adeſſe. Verum tale ſit oportet, quod & puriſſimum ſit, & tenuiſſimum. Saoe campi multi viſuntur plane arenoſi, qui tamen, quia non ex ſimplici arena conſtant, admodum ſunt fœcundi. Iſtud autem ſabulum ne herbam quidem facile produxerit, exceptis admodum paucis, quales ſunt tithymalli. Præterea ſi in profundo ſabulum eſſe cogitetur idoneum, terram ſuper impoſitam ita raram eſſe oporteret, vt ſabulum eſt, quo vapores perrumpere, atque ad ſuperficiem emergere poſſent. Et vt tales alicubi ſub terra naſcantur, non tamen perinde vtiles ſint. Quoniam experientia docuit illos eſſe vtiles in primis, qui duriſſimi ſunt & albiſſimi. Tales autem fieri, niſi ſi expoſiti ſoli ſint, non facile poſſunt.

Vt igitur finem faciam, & breuiter omnia dicam, cauſas efficientes huius lapidis, iudico eſſe calorem ſubterraneum & ſolarem. Materiam, ſabulum eſſe aio minutum, tenue, purum, conglutinatum a calido, pingui, craſſo (& fortaſſe ſulfureo) vapore: quem nō materiæ tantum, verumetiam opificis aliquo modo rationem obtinere cenſeo. Locus generationi aptus eſt ſabulum, tum propter materiam, tum propter raritatem peruioſq; meatus. Vidimus aliquot lapides inter fodiendum, plurimum a ſuperficie adhuc abeſſe, quos frangi non potuiſſe conſtabat. Quod ſi non ſuperiecta arena craſſior fuiſſe cogitetur, quam vt iter vapori præberet, in generationis motu tales adhuc fuiſſe neceſſe eſt. Forma, non extra lapidem quærenda eſt. Figuram, a loco in quo generatur accipere eos potiſſimum arbitror. Finis eſt is, qui foſſilium, lapidum, & metallorum eſt, quorum vſus aliquis noſcitur.

De vſu porro lapidis huius dicere plura, quam didici ex aliis, nec poſſum nec debeo. Poterunt alii forſan plura narrare, qui frequenter periculum eius fecerunt. Ego illa recenſebo tantum, nec omnia tamen, quæ auditione cognoui. Id vbi fecero, quam de facultate eius opinionem habeam, & quo referenda omnia putem, breuiter indicabo. Ex iſtis eruditi facile ratiocinari poterunt, quibus in morbis vſus eius aliquis eſſe poſſit. Vix medicamenti alicuius vires ſemel omnes cognitæ exploratæq; fuerunt. Experientia occaſionem atque cauſam diligentius cogitandi de talibus ſemper præbet.

Audiui ego non paucos, qui vſum eius in fracturis ac rupturis minime aſpernandum eſſe aſſeuerant. Aiunt illi, ſi quis fractum os recte in ſuum locum reſtitui curet, & ex iſtius lapidis puluere, emplaſtrum cū oleo, aut roſaceo, aut myrtino, aut maſtichino, modicaq; cera concinnatum imponat, ac eiuſdem pulueris drachmam vnam, vel paulo amplius, mane veſperique in liquore aliquo ſumat, eum intra paucos admodum, non quidem dies, ſed, quod admirabilius eſt, horas, ab omni dolore liberari; & poſt pauciſſimos dies membro vti poſſe. Debet autem non ſemel tantum ſumere, ſed ad minimum ter. Alii tribus deinceps diebus, alii binis, alii ternis exhiberi iubent. Audiui præterea a ruſticis, quorum in fodiendo opera vtebamur,

hæmur, vt ſupra dixi, ipſos auſos fuiſſe filiis ſuis exhibere puluerem iſtius lapidis frequenter: & vna hac ratione rupturas inguinum percuraſſe. Emplaſtrum quidam, non ex huius lapidis puluere, quod tamen vtilius mihi eſſe iudicatur, ſed ex Geranio contuſo, & ſuilla pinguedine ſubacto compoſitum fractis oſſibus impoſuerunt, nõ minore, vt ipſi quidem affirmant, ſucceſſu. Efficacius fit, ſi pars maxima emplaſtri conſtet ex huius puluere.

Certo certius eſt, eum ſiccare plurimum poſſe. Nam præ ſiccitate etiam linguæ admotus perquam tenaciter adhæret; is præſertim, qui albus eſt, & a ſole recte percoctus. Non minus quam Bolus ille orientalis, & aliæ quædam tales terræ, tum exiccat, tum adhæret linguæ; & his fortaſſe amplius etiam. Non dubito quin vapor ille ſulfureus, ex quo gigni eum arbitramur, ſuas vires ipſe quoque hic conferat: vt minime opus ſit in ſabuli naturam ſolius referre omnium effectuum cauſas. Quod ſi igitur ruptis, & illis, qui oſſa artuum confregerunt, tantopere prodeſt, propter inſignem facultatem ſiccandi, quo præditum eſſe conſtat; iuuare tales poteſt. Poteſt autem prædicta, vt aiunt, non in hominibus tantum præſtare, ſed etiam in brutis; vaccis videlicet, capris, atque equis. Dicuntur mire coaleſcere oſſa horum animalium diffracta, ſi & intra corpus exhibeatur puluis, & emplaſtri modo impoſitus ſit.

Adſtrictionem in eo, qui ſoli expoſitus fuiſſet, guſtu percipere nullum quiui. Quanquam hoc affirmare poſſum, ipſum non in parua quantitate emplaſtro, defenſiuo appellato, inditum, quod ad arcendas defluxiones ad pedis vlcus tibiæ circumponebatur ſupra locum vlceratum, mire id ipſum reddidiſſe efficacius. Vſus eodem bis ſum interea, dum ad te primum de hac re ſcripſi, optimo ſucceſſu, in emplaſtri forma, (aliis præterea adſtringentibus, & ſiccantibus admiſtis) quod rupturæ partium circa vmbilicum in grauidis impoſitum fuit. Viſum eſt non ſiccandi modo facultatem emplaſtri, verumetiam adſtringendi poteſtatem maiorem effeciſſe. Sed qua hoc ratione eueniat, facile intelligunt eruditi. Hæc ferme ſunt, quæ de vſu huius lapidis habeo comperta. Dico me comperta habere, non quod periculum ipſe fecerim, ſed quod a tam multis audiuerim, vt non credere aliquid non poſſim.

Vt fatear ingenue quod ſentio, vim facultatemque ipſius tantam minime arbitror eſſe, quantam ei tribuerunt illi, qui ſe periculum feciſſe aſſeuerant. Non enim neſcio, quam facile homines imperiti artis medicæ in iſtis fallantur. Vix dubito Bolum orientalem minus efficacem futurum, ſi quis ad hæc vti malit, tametſi maioris ita ſanitas homini multo conſtet. Valde increbruiſſe vſum eius per vniuerſam Germaniam audio. In Pomeraniam vſque magnam eius copiam ab equitibus, qui ſalutarem ipſius vim exploratam ſe habere mihi affirmarunt, deportatam certo ſcio. Innoteſcet aliis fortaſſe regionibus etiam propter incredibilem vtilitatem, quam præſtare ante dictis morbis dictitant.

Fieri poteſt, vt aliæ quoque nationes eundem habeant, præſertim vbi terra ſabuloſa reperitur expoſita ſoli, arboribuſq; nuda, tametſi nec vſum fortaſſe norint, nec generationis modum, locumque obſeruarint. Placuit hac potiſſimum de cauſa, tam diligenter eius natales deſcribere, quo alii facilius in ſuis regionibus eundem quærerent ac inuenirent. Non audeo commemorare, quæ quantaque miracula de eo audierim. Plura non credo, quam quæ ad facultatem ſiccandi, quæ ſane perquam ſtrenua in eo ineſt, recte, apte, vere, poſſunt referri. Ergo cum incerti nihil ad te ſcribere decreuerim, nunc finem ſcribendi facio; præſertim cum epiſtola modum exceſſiſſe iam quoq; exiſtimari queat. Vale.

FINIS.

DE VAPORE

DISPVTATIO, AD VIRVM CLARISSIMVM D. MATHIAM STOIVM MEDICVM REGIOMONTANVM, &c.

THOM. ERASTVS D. MATHIÆ STOIO Medico clariſſimo S. P. D.

QVATVOR ſunt eius ſcripti, in quo de vapore diſputat contra te Aduerſarius, præcipuæ partes declaratione ſeu potius refutatione indigentes. Prima eſt, quod ex incertis ſimplicium facultatibus facile oſtendi poſſe ait, Græcorum methodum incertam eſſe. Altera, quod vinum inebriare ſola caliditate affirmat. Tertia continet diſputationem de gradibus medicamentorum. Poſtrema eademq; præcipua eſt quod vaporem accidens eſſe aſſeuerat, ſubſtantiam eſſe negat.

Et de primo quidem capite, minime opus eſſe video, vt multa dicam. Non enim verbis methodus Græcorum euerti vllis vmquam poterit, vt non vniuerſa de natura diſputatio ſimul conuellatur. Demonſtrationibus eſt opus validiſſimis ad rem tantam perficiendam. Tales, quia nullas in ipſius ſcripto poſitas inuenio, atq; excogitare contra veritatem Demonſtrationes veras eſt impoſſibile, merito nihil probatũ eſſe aio. Nam quod de incertis medicamentorum ſimplicium facultatibus, exemplo vini adfert, nihil omnino demonſtrat, & ad rem propoſitam parum attinet. Non enim ſi non omnibus annis, omnibusque in locis medicamenta ſimplicia ſimiliter efficaces habent vires; continuo methodus Græcorum falſa eſt.

Quippe iubet illa methodus diſtinguere inter medicamenta recentia, antiqua, media, inter ea quæ in montibus, in campis, in locis paluſtribus ſeu humidis, in ſiccis & aridis orta ſunt. Diſcrimen eſſe docet, inter medicamenta eiuſdem naturæ, quæ in calida, & ea quæ in frigida, atque etiam in temperata regione, nata ſunt. Quinimo hoc ipſum, quod iſte pro firmamento habet, eadem illa methodus commonet, quædam aliis annis felicius & infelicius prouenire, efficaciora & imbecilliora naſci prout annus ſit frigidus, humidus, calidus, ſiccus. Præterea exponit, quo ſingulorum vires modo æſtimandæ explorandæque ſint. Monet præterea, quod a te vere recteq; dictum eſt, gradus facultatum latitudinem habere minime imperceptibilem, ſed talem, quæ in quatuor partes apte diuidi potuerit. Galenus enim ita eos in fine libri quinti de ſimpl. medicam. facultatibus, diſtinxit. Quos cum remitti poſſe concedimus, auferri poſſe non ſtatim damus. Hac ipſa de cauſa, nõ temere ac ſine ratione vtimur medicamentis quouis in loco progenitis. Singulorum ante vim facultatemque explorant prudentes Medici, ac imbecillioribus aut temporis iniuria, aut vetuſtate, aut alia quauis occaſione redditis, talia ſemper coniungunt, quibus, quod deeſt, liberaliter compenſetur. Hæc cum nos facere eadem illa methodus iubeat, ac præterea qua id ratione ac via commodiſſime rectiſſimeq; facere poſſimus, perſpicue tradat, nihil argumento ſuo aduerſarius obtinebit, vt maxime ſit verum, medicamentorum facultates pro varia anni temporum permutatione variari.

Præterea non poterit idem oſtendere, Arabes aliam ſecutos fuiſſe methodum, ab ea, quæ a Græcis nobis recte præſcripta eſt. Quod ſi in particulari aliquo problemate non idem cum Græcis ſenſere, non propterea methodum totam aut labefactarunt, aut non probarunt. Quare nihil incommodat methodo, quod medicamentorum facultates non eædem prorſus ſunt omnibus temporibus ac locis. Exemplum de vino, quod non eadem omnibus annis, (in iiſdem locis) ſuauitate naſcitur, minime oſtendit, idem de cæteris medicamentis cunctis tenendum eſſe. Non enim ſemper valet plantarum & fructuum comparatio. An non quotidie videmus eandem aëris intemperiem nõ ſimiliter animalibus ac plantis incommodare? Sane non eſt eadem tempeſtas omnibus vel animalium vel plantarum partibus æque aut noxia aut vtilis. Sed frequenter, quæ certis partibus obeſt, alias plurimum iuuat. Quod nõ in his dumtaxat verum eſſe obſeruamus, quæ ex partibus maxime diuerſis conſtant (Non obſcurum eſt, frigidas quaſdam plantas, calidiſſimos fructus ſine ſemine ferre. Quin reperiri dicuntur, quarum ſuccus pernicioſus eſt, cum ſubſtantia ſalubris exiſtat) ſed in illis etiam, in quibus tantum diſcrimen non animaduertimus.

Ego ſane aliquot iam annos iſta obſeruans, nullam tam frigidam intemperatamq; æſtatem vidi, quæ non vitibus, aliiſq; herbis quibuſdam, ſaporem ſuum integrum reliquiſſet. Qui dubitat, is non ante mihi credat, quam aliquot annis diligenter vitium folia, germina tenella, capreolos ac cortices deguſtarit. Idem hoc in aliis quoque plantis omnibus tentare poterit. Quod ad me attinet, de vitibus, origano noſtrate, ac ſerpillo, & complutibus aliis non vereor id affirmare. De cæteris, cum non ſimiliter periculum fecerim, minus audacter pronunciauerim. Quod ſi ſapor earum aliquando paulo eſt dilutior ac remiſſior, gradus tamen ſuos, non obſcure ſeruant. Quod, quomodo fiat, illi non ignorant, qui latitudinem eos habere, non indiuiſibilem, qualis nec intendi parumper, nec remitti aliquantulum poſſit, didicerunt.

Si cauſa huius quæratur, iſta fortaſſe fuerit. Plantæ omnes ſucci familiaris ex terra tantum ſibi attrahunt, quanto habent opus. Ac ſi amplius etiam attraxerint, quod, dum recte valent, nequaquam faciunt, non tamen amplius concoquũt, quam pro ſui nutritione ſatis illis eſt. Reliquum, tamquam excrementum extra ſeſe expellunt, inque alios vſus vertunt. Poſſet iſta res præclare exemplo hominis declarari, ſi non plus ingereret ſæpe quam ei expedit. Si nobis hominem ſobrium & temperantem proponamus, qui non niſi natura poſtulante edat ac bibat, nec amplius quã illa flagitat; intelligemus ingeſta omnia pulchre concoqui, & quod vinci ab eius calore non poteſt, veluti excrementum per aluum, veſicam alioſq; naturales ductus, emitti. Quod in homine raro fit, id in plantis, ſi nõ ſemper, frequentiſſime certe euenit.

Equidem quod de optima tantum natura Galenus recte affirmauit, eam, quantum appetit, tantum etiam concoquere, nec iuſto plus vnquam appetere, de plantis fere ſemper verum exiſtit. Homines optima temperatura prædití, poſſunt etiã plus ingerere, quã natura flagitat, propter voluntatem, quæ aliquo modo ventriculo imperare poteſt, plantæ, quæ a ſola natura reguntur, nõ poſſunt cum recte valent: qui has negare audebit ſuam naturam per hyemem conſeruare, is ignem quoque ſuam ſeruare negare audebit. Impedit quidem eas aëris frigiditas, vt creſcere fortaſſe, fructuſq; & folia proferre nequeant, at vt alantur aliquo modo eo tempore non impedit, niſi etiam perimat. Vnde reuertente calore alacriter eas agere, quæ ſuperioribus temporibus ſolebant, videmus. Itaque manent in earum ſubſtantia ſapor & qualitas eadem, quæ ſi propter concoctionem nutrimenti imperfectiorem, paulo minus ſit efficax, vix diſcrimen ſenſu percipi poteſt. In cauſa eſt, quod ab ingenita vi & a terra, cui inhærent tantum habent caloris, quantum ad naturam & temperamentum ſuum tuendum ſatis illis eſt, etiam ſi externus nullus accedat. De talibus potiſſimum loquor, quæ non quotannis intermoriuntur, & ſolummodo per ſemen poſt ſe relictum reuiuiſcunt.

De fructibus præſertim maioribus, & ſuccum vberiorem habentibus, comparatione ad plantam ex qua prodierunt, facta, longe alia ratio eſt. Primum, quia fructus non ſunt plantarum partes, ſicut nec ſemen aut fœtus partes ſunt animalium, ſed quoddam excrementum quamquã vtile. Quocirca recte Ariſtot. in 1. de animal. generatione cap. 4. ſcripſit. ἔστι δὲ τῶν μὲν πλείστων ζώων ἔργον σχεδὸν οὐδὲν ἄλλο, πλὴν ὥσπερ τῶν φυτῶν σπέρμα καὶ καρπός. Eandem hanc ſententiam Galenus expreſſit, in lib. 11. de ſimpl. med. fac. cap. de ouorum facultate. Deinde quia ſuccus, qui in maioribus fructibus ineſt, propter copiã non ita facile ab inſito plantæ calore ſuperatur, ac is qui inſtar roris, per ſubſtantiam eiuſdem ſparſus eſt. Hunc certe calor vndique complecti, omneſq; etiam minimas partes eius attingere poteſt, illius non poteſt. Nullus enim a planta calor ad fructum peruenire poteſt, quam qui per pedunculum influit, per quem ſolum ei adhæret. Non igitur mirum eſt, vitem, exempli gratia, natiuam ſuam temperiem ac facultatem tum quoque ſeruare, cum fructum elaborare conficereq; perfecte non poteſt. Non enim æque ad illud, vt ad hoc opus perficiendum, externi caloris opera indiget. Quod Theophraſtus vidit, cum ad ſaporem in fructibus generandum plus externum calorem agere dicit, quam internum. Cuius rei ſignum illud etiam videtur eſſe, quod vuarum & & cæterorum propemodum omnium fructuum partes, quæ ad pedunculum ſunt, tardius matureſcunt, quam quæ a planta plus diſtant. Et negari tamen nequit, calorem iuxta pedunculum, per quem ſolum ad fructum omnis pertingit, copioſiorem eſſe, quam cum progreſſus longius plurimaſq; in partes diſtributus eſt. Hinc & illud ferme fieri dicat aliquis, quod idem Theophraſtus animaduertit ac ſcripſit, fructus omnes aliquo pacto plantæ ſuæ ſaporem mõſtrare quidem, at longe euidentius hoc crudos præſtare, quam maturos. Etenim ſuccus talis ex caudice in fructum effunditur, qualis a radicibus eſt ex terra attractus, & in trunco ſuo modo alteratus & concoctus. Hic autem a ſole percoctus ſaporem ſuum mutat, quem, dum crudus adhuc eſſet, poſſidebat.

Quod ſi expoſitæ rationes non ſatisfaciunt, ſatisfacere tamen experientia poterit, quæ omni nobis ratione in talib. certior eſſe debet, præſertim vbi nihil ei aduerſatur, ſed pulcherrime conſentiunt vniuerſa. Vidi Bononiæ biferas ac triferas vites, quæ plerumque in media

hyeme virerent, folia fructuſq; ferrent. Harum folia, palmites teneriores, clauiculas & cortices, æſtate ac hyeme guſtaui, nec in ſapore diſcrimen vllum percipere quiui, etſi minus habere prædictas partes humoris hyeme, quam æſtate, manifeſte deprehendi. Potuit quidem hyemis efficere frigiditas, vt huius fructus ad maturitatem non peruenirent, attamen vt non ſuum vitis ſaporem ſeruaret, perficere eadem minime potuit. Cum iſtius rei cauſas tum perueſtigarem, radices eam protendiſſe intra ædium parietes in locum a pluuia, & niue tutum, non tamen a frigore liberum animaduerti. Ex iſto exemplo tum didici non quamlibet aëris mutationem, omnes omnium plantarum partes lædere poſſe.

Ratio ſit, quia non ſimile omnes temperamentum obtinent. Quin ne flores quidem & fructus eodem temperamento præditi ſunt. Prunus ſyluestris fructum gerit acerbum, adſtringentem, frigidum, cuius ſucco pro Acacia longo tempore vſi ſumus. Ex floribus eiuſdem ſirupum purgatorium conficere ſoleo. Quo ipſo monemur, non ex qualicunque fructuum quorumlibet cruditate & coctione, de totius plantæ virium immutatione pronunciandum eſſe. Quin etiam conſtat plurimarum temperiem ita eſſe a ſuorum fructuum temperatura diuerſam, vt quod alteri proſit, alteri plurimum obſit. Cauſa huius rei minime eſt obſcura. Tentauit etiam Theophraſtus eam exponere, vt in ſexto libro de plantarum cauſis videre poteris.

Ergo non bona eſt iſta ratiocinatio; vinum propter aëris aliquam intemperiem non ſimiliter hoc anno, vt alias maturuit, ergo vites aliæque omnes plantæ eodem modo vires ſuas congenitas amiſere, quas paulo meliori tempore habebant. Debent autem quæ diximus de noſtra eademque regione accipi, in qua mutationes tantæ raro incidunt, quæ omnibus obeſſe partibus queant, quod in Scythia frequenter contingere audio. Deinde ſi aduerſario tuo demus, etiam quamlibet aeris mutationem, pro ſua natura plantarum vires & qualitates cunctas intendere, augere, remittere, debilitare, immutare: non tamen hoc ſequitur, quod indè confici exiſtimat, Græcorum methodum nõ eſſe veram. Supra oſtenſum eſt, eandem illam methodum hoc ipſum præcipere vt obſeruemus, & quo pacto mutationes iſtæ cognoſcendæ ſint pariter docere. Proinde neque verum eſt quod concludit, neque ex poſitis conſequitur.

Alterum caput veſtræ diſputationis de gradibus medicamentorum fuit, de quo iam aliquid dicere incipio. Si ita ſentit hac de re tuus aduerſarius, vt loquitur, parum ſe diligenter de hiſce rebus cogitaſſe declarat. Tres partes ſiue menſuras in primo gradu calidi medicamenti ſimiliter calefacere poſſe, atq; vnam partem medicamenti in tertio gradu calefacientis, exiſtimare videtur. At res longe aliter habet, vt exemplo aquæ tepidæ feruentiſq; doceri apertiſſime poteſt. Sane ſi in feruentis aquæ menſuram manus imponere aliquis velit, is continuo ſe vri ſentiet adeo, vt perferre nequeat. Hanc in tertio ſi lubet gradu aut quarto calidam ponamus. Non enim refert verum dicamus, quatenus hæc res propoſito noſtro ſeruit. Si idem homo in menſuram aquæ tepidæ, hoc eſt, in primo aut ſecundo gradu calidæ, manum inſerat, nihil omnino lædetur.

Quod ſi aquæ huius copiã triplicauerit aut quocumq; numero multiplicarit, ſubſtantiam quidem aquæ calidæ augebit, qualitatem eius nõ intendet, efficacioremue reddet. Argumento certiſſimo eſt, quod quocumq; tandem numero multiplicata ea ſit (modo quæ additur non ſit calidior quam prior fuiſſet) non magis manum cum impoſueris calefaciet, quam calefaceret ante. Acceſſit quidem calor calori, ſed ſimilis in gradu, iſq; ſuo in ſubiecto proprio. Quod ſi poſſet aqua illa multiplicata in ſeipſam ita coire, vel ſic cogi & denſari, (manente eadem ſemper caloris copia vel quantitate, vt ſic dicam,) vt non ſuperaret menſuram vnam: aut calor, qui in ea ineſt, poſſet ſuum derelinquere ſubiectum, & coniungere ſe cum priore caliditate: certũ eſt, quod triplicatus calor idem efficeret, quod ille, qui in vna feruentis aquæ menſura ineſt, efficit. Horum quia neutrum fieri poteſt, ſed cuique ſubiecto ſuus relinquitur calor, & aquæ partes coire propius ſiue denſari amplius non valent; nõ augetur caliditas, dum aqua multiplicatur, ſi tactum conſulas.

Hoc ideo dico, ne quis me negare putet, multo vino corpus calidius reddi, cum eſt in ſanguinem conuerſum, quam pauco. Plures quidem corporis partes caleſecerint ac nutriuerint tres ſanguinis vnciæ, quam vna. At non calefacient amplius ſi gradum & intenſionem caloris ſpectemus, quam vnica vncia. Pari modo duabus aut tribus aquæ tepidæ partibus plures abluere poteris partes quam vnica. At non calefacient magis in gradu ſeu vehementius tres illæ partes, quam per ſe ſingulæ. Ita quoque multi vapores, plures capitis partes replent ac ſpiritus magis pluribusque in locis impediunt quam pauciores. Quamquam in ſpiritibus alia fortaſſe poſſit eſſe ratio. Nam poſſunt arctius coire plurimumq; denſari, atque ita ſub minori quantitate calidiores reddi. Sed hic plane alia eſt ratio.

Si quis granum piperis in ore mandere retinereque velit, percipiet is manifeſtam ex eo

calidita-

caliditatem. Si idem centuplum pondus florum camomillæ aut alterius cuiuſpiam rei ſimilis mandet, longo interuallo minorem caliditatem ſentiet. Ergo non ita res ſe habet, vt aucta quantitate & pondere medicamentorum neceſſe ſit, eorumdem qualitatem quoque intendi & efficaciorem fieri quam antea fuiſſet, quantumcumque illorum pondus auctum cogitetur.

Verum enimuero cogitet aliquis, ſi aucta medicamentorum quantitate non augetur eorundem qualitas, quæ cauſa igitur eſt, cur tam ſuperſtirioſe obſeruent Medici pondera in compoſitionibus? Non eſt difficile iſtius rei cauſam afferre. Quod diximus hactenus, locum habet in ſingulis, ſi ſingula per ſe ipſa & ſeorſum examinentur, non ſi aliis permiſceantur. Tunc etenim alia aliis vires ſuas nonnunquam communicant, ac alia aliorum facultates augent impediuntque, vt ex iiſdem, quibus vſi iam ſumus, exemplis cognoſci poteſt. Si feruenti aquæ ſimiliter calidam, aut tepidæ ſimiliter tepidam affundas, neutra calidior aut frigidior efficietur. At ſi feruenti permiſceas tepidam, tunc & hanc calidiorem, & illam frigidiorem reddi perſentiſces. In cauſa eſt, quod miſtæ inter ſeſe, altera alteri vim facultatemque ſuam communicat. Atque hæc ſatis ſunt ad intelligenda ea, quæ hîc propoſita habemus. Non enim huius, ſed alius eſt loci, iſtius rei cauſas accuratius exponere. Illud monere breuiter poſſum, quamuis de actu calidis exempla protulerim, nihil tamen a me peccatum eſſe. Siquidem par eſt ratio eorum quæ potentia talia ſunt, cum ſcilicet hauſta, & ab inſito calore ad actum perducta ſunt. Simile quid in illis etiam vſuuenit, quæ fermentantur inter ſe, atque hoc pacto ſuas qualitates mutuo ſibi contribuunt. Ex illis quæ hic & dicenda videbantur, & dicta ſunt, perſpicere vnuſquiſq; poteſt, nihil adhuc aduerſariũ produxiſſe in medium, quod methodum Græcorum infirmare poſſe cenſeri queat.

Tertium caput ex ſecundo natum eſt, nec illo amplius habet aut veritatis aut probabilitatis. Nemo etenim præter hunc affirmarit, ſolam vini caliditatem inebriare. Nam ſi vini caliditas abſque ſubſtantia eiuſdem hoc poſſet, poſſet omnis caliditas? At hoc falſum eſſe omnium ſæculorum pariter & hominum experientia teſtificatur. Etenim nullus vmquam propter calidam intemperiem nudam ebrius fuit. Nec a calidis medicamentis vllis, quæ vapores cerebro nullos immitterent, ebrius quiſquã factus eſt. Ego quidem non neſcio, odorem lupulorum, & alia plurima talia, ſimilia ebriorum accidentia facere ſolere. At ſolam caliditatem tale quid vmquam effeciſſe, nec vidi vmquam, nec legi vſpiam, nec audiui a quoquam.

Nemo facile arbitror dicet, odorem lupulorum abſque ſubſtantia in cerebrum recipi. Quod ſi quis ita ſentit, eundem confiteri, aut ſentire etiam oportet, caliditatem a lupulis in aërem, & inde in cerebrum tranſmigraſſe. At id multo abſurdius eſt, quam vt refutari debeat. Sed nec ita lupuli vllí aërem calefecerint, vt æſtatis tempore calefit a ſole, atq; abigne apud fabros alioſque tales artifices. Quin ne ſic quidem calefactus aër inebriat. Præterea febris nulla delirium per ſolam caliditatem parit, ſed cum biliosis aut aliis vaporibus calidis caput repletur. Raptum iſtum bilis aut ſanguinis ad caput eiuſdem grauitas, ſplendores in oculos incurrentes, rubedo, tenſio, vrina bile, quę ei permiſceri ipſumq; tingere ſolebat, catẽs, & alia huius generis infinita indicant. Sed neque ſudatoriorum calor, qui exanimare multos potuit, inebriare aliquem potuit. Si teſtimoniis rem comprobare neceſſe putetur, facile dirimet litem Ariſtoteles, qui 30. particula problema .1. oſtendit, vinum inebriare, atque ita alios reddere taciturnos & ineptos, alios hilares & alacres, alios audaces & actes, alios timidos, &c. quia ſpirituoſum ſit. Sic enim ſcribit: ὁ χυμὸς καὶ ἡ κρᾶσις ἡ τῆς μελαίνης χολῆς πνευματικὰ ἐστι, διὸ καὶ τὰ πνευματώδη πάθη καὶ τὰ ὑποχόνδρια, μελαγχολικὰ οἱ ἰατροί φασιν εἶναι. καὶ ὁ οἶνος δὲ πνευματώδης τὴν δύναμιν. διὸ δή ἐστι τῇ φύσει ὅμοια ὁ, τε οἶνος καὶ ἡ κρᾶσις. δηλοῖ δὲ ὅτι πνευματώδης ὁ οἶνός ἐστιν, ὁ ἀφρός· τὸ μὲν γὰρ ἔλαιον, θερμὸν ὄν, οὐ ποιεῖ ἀφρόν, ὁ δὲ οἶνος πολλόν, καὶ μᾶλλον ὁ μέλας τοῦ λευκοῦ, ὅτι θερμότερος καὶ σωματωδέστερος. Et quæ ſequuntur.

De quarto iam & poſtremo capite vt aliquid dicamus, res poſtulare videtur. De quo, quia præcipua fuiſſe videtur diſputationis illius veſtræ pars, plura nos quoque dicere conuenit. Dicam igitur primo quid vapor ſit; Deinde ſubſtantiam eſſe probabo. Poſtremo ad argumenta aduerſarii tui reſpondebo.

Vaporem appello corpus, quod Ariſtoteles ἀτμὶν appellauit (inter ἀτμὶν & θυμίασιν vel ἀναθυμίασιν diſcrimen notum eſt ex Ariſt. eiuſdemque omnibus interpretibus) humidam exhalationem. Huius definitionem non eſt vt curioſe inueſtigem, cum id a te recte factum ſit, Sed & res eſt omnibus nota.

Eſt igitur vapor nihil aliud, quam aqua attenuata a calore. Nec differt ab aqua ratione alia vlla, quam quod eadem illa tenuior eſt & calidior. Hæc autem caliditas, cum ei per accidens inſit, cum primum ab eo recedit, coit in aquam, hoc eſt, denſatur rurſus, vti ſenſus nos docent. Nam ſi ſubiicias aquæ pleno vaſi ignem, & aſcendenti ex ea vapori corpus frigidum

denſumq́; obiicias, ſtatim coire in aquam ipſum videbis. Et hoc ſane modo ἀτμίδα Ariſt. in Meteorologicis definit, eſſe ἔκκρισιν ὑπὸ χαυνότητος θερμοῦ εἰς ἀέρα καὶ πνεῦμα, ἐξ ὑγροῦ διαλυτικοῦ. Qui in balneis ſudãt, ii numquam non in parietibus frigidis & fornice, calidos vapores in aquam rurſus denſari perſpiciũt. Eleuati in aerem vapores, in rorem, pruinam, niuem, grandinem abeunt, prout ocyus aut tardius caliditatem, quam aſcititiam habent, amittũt, aut frigori maiori vel minori occurrunt. An iſta non certiſſime probant vaporem aliud nihil eſſe, quam aquam a calore attenuatam ſiue rarefactam? Quod ſi philoſophorum hic teſtimonio opus eſſe opinemur, faciunt illi nobiſcum omnes. Et Ariſtoteles quidem non aliud ſenſit, quod ex loco iam ante citato, & ex textu 50. libelli de ſenſu & ſenſilibus liquido apparet, quo in loco ita ſcribit: ἔστι δὲ μὲν ἀτμὶς ὑγρότης, ἡ δὲ καπνώδης ἀναθυμίασις ὥσπερ εἴρηται, κοινὴ ἀέρος καὶ γῆς. καὶ συνίσταται ἐκ μὲν ἐκείνης ὕδωρ, ἐκ δὲ ταύτης γῆς τι εἶδος. Non aliter aut locutus eſt aut ſenſit in primo Meteororum ſic ſcribens: ὁ περὶ τὴν γῆν (ἀὴρ) οὐ μόνον ἀήρ ἐστιν, ἀλλ᾽ οἷον ἀτμίς· διὸ πάλιν συνίσταται εἰς ὕδωρ. Neſcio an dici aliquid apertius poſſit.

Græci interpretes non aliter hac de re locuti repetiuntur. Vt enim alios taceam, Philoponus hæc verba Ariſtotelis recitata exponens, inter cætera, quæ ad hanc rem faciunt, hæc etiam ſcripſit: καὶ τὸ ὅλον τοῦτο ὑδατώδης ἀήρ, μέση γάρ ἐστι ἀέρος καὶ ὕδατος ἡ ἀτμίς, ὁδὸς οὖσα καὶ οἷον γένεσις ἐκ θατέρου εἰς θάτερον, ἐξ ἀέρος μὲν εἰς ὕδωρ παχυνομένου· τοῦτο δέ ἐστιν ἡ ἀτμίς, παχὺς ἀήρ· ἐξ ὕδατος δὲ πάλιν εἰς ἀέρα λεπτυνομένου· ἡ γὰρ ἀτμὶς ὕδατος μέν ἐστι λεπτοτέρα, ἀέρος δὲ παχυτέρα. Nec multo poſt, in eodem libro bis ſcribit idem author, perinde eſſe quod Ariſtoteles dixit circa terram, aërem eſſe ἀτμὶν, id eſt, vaporem, ac ſi dixiſſet, ὕδωρ εἶναι λεπτομερὲς καὶ διακεκριμένον.

Si hiſce atque aliis huius autoris teſtimoniis velim Alexandri aliorumque interpretum loca adiicere, longior ſim quam oportet. Sane Ariſtoteles in eodem libro manifeſte aſſerit, vaporem potentia eſſe velut aquam. Quæ cum exponit verba Philoponus, ita ſcribit: τὴν μὲν οὖν ἀτμίδα ὕδωρ εἶναι φησὶ δυνάμει· παχυνομένη γὰρ αὕτη, τὸ μὲν θερμὸν ἀποτίθεται, καὶ τὸ κοῦφον, προσλαμβάνει δὲ τ᾽ ἐναντία, τὸ ψυχρὸν καὶ τὸ ὑγρὸν, καὶ γίγνεται ὕδωρ. Ex iſtis manifeſtũ eſt, recte a me dictũ eſſe, vaporẽ aquam eſſe per calorẽ attenuatã, nec aliter ab aqua differre, quã quod calidus eſt, & rarefactus. Iſto calore per frigiditatẽ pulſo, rurſus coit, & grauitatẽ natiuã recipit, & quod ante fuerat, aqua denſa fit. Proinde recte Ariſtot. in libro de miſtorum affect. dixit, ab humidis corporibus, cum ſcilicet exſiccantur, aquam recedere ſeu euaporare. ἀπέρχεται δὲ ἀπὸ πάντων τῶν τοιούτων ξηραινομένων τὸ ὕδωρ. σημεῖον δ᾽ ὅτι τὸ ὕδωρ. ἡ γὰρ ἀτμὶς συνίσταται εἰς ὕδωρ, ἐάν τις βούληται συλλέγειν. Vapor, inquit, ab huiuſmodi corporibus dum exiccantur effluens aqua eſt. Cuius ſignum id fuerit, quod in aquam coit, ſi quis velit colligere. Quomodo ergo iudicauit colligendum vaporem, vt in aquam denſari eum conſtaret? Res minime eſt operoſa vel obſcura. Norunt coci cum ad operculum vaſis bullientis guttas ex vapore genitas adhærere conſpicantur. Norunt balneatores, vt ante diximus, cum occurſantem eum parietibus ſubfrigidis in aquam denſari ſentiunt. Norunt omnes mulierculæ propemodum, vt quæ ex herbis aquam per Elambicum, vt vocant, elicere conſueuerint. Præclare intelligunt, vi ignis vapores tolli, & eoſdem mox in aquam colligi, vbi capitellum minus calidum attigerunt. Ex quibus euidens eſt ſenſibus, vaporem nil niſi aquam eſſe a calore attenuatam.

Intelligitur ex iiſdem, quid Latini interpretes ſibi velint, cum, an aqua vapor ſit, quærunt in horum librorum expoſitione. Nec aquam dicunt eſſe, nec aërem vere, ſed medium quid aëre craſſius & denſius, aqua vero rarius & tenuius corpus. Verum hoc eſt, cum de ſimplici vapore loquuntur. Nam de eo qui halitum ſiccum admiſtum habet, paulo aliter dicendum eſt. Non enim ſimplex corpus tunc eſt, ſed aliquo modo mixtum.

His ita expoſitis, vaporem ſubſtantiam affirmare nihil dubitamus. Vtar autem ad id probandum vnico argumento. Non enim ſcio vter ſtultior ſit exiſtimandus, is ne qui abſurda dicit, an is, qui, quæ abſurda eſſe omnes vident, pluribus argumentis refellere ſtudet. Galenus certe non probat accuratiorem abſurdarum opinionum confutationem ἐλέγχειν ait, αὐτόδηλα μὴ αὐτόδηλα ἀξιοῦν, τῶν ἀτόπων ἐστί.

Si aqua eſt ſubſtantia, & vapor erit. Iam enim oſtenſum eſt ipſum aqua eſſe tenuiorem. Porro aquam ſubſtantiam eſſe, author ſcripti non negat cum elementa ſubſtantias atque corpora eſſe concedit. Erit itaque vapor quoque ſubſtantia. Ex vapore refrigerato & denſato, nulla alia intercedente mutatione, vel oculorum teſtimonio, fit aqua. Ex eodem magis attenuato gignitur aër. At iſta Elementa duo, ſubſtãtiæ ſunt. Ergo vapor quoq́; ſubſtãtia erit, aut ſubſtantia ex nõ ſubſtãtia fiet, quod ex eorũ eſt numero, quæ fieri nullo pacto queunt. Profecto Ariſt. in lib. paulo ante citato ſcribit, quod huc maxime quadrat, & quod verũ eſſe omniũ noſtr, imo cunctorũ hominũ oculi vident, corpora, ex quibus vapores vel ignis vi, vel ſolis opera effluunt, aridiora fieri, & interdũ in terrã diſſolui, aut certe tota in exhalationem verti. τὰ δὲ θυμιατὰ χρόνῳ εἰς ἀέρα ἐκκρίνεται, καὶ τὰ μὲν ἀφανιζόμενα ξηρά, τὰ δὲ γῆ γίνεται. Ex his intelligitur, corpora, ex quibus vapor effluit humidus atque etiam ſiccus, ſiue ab igne breui tempore, ſiue

pore, ſiue ab ambientis calore longiore tẽpore euocetur, minui, exiccari, & nonnunquam in puluerem redigi. Quocirca ſi, quod exhalauit, corpus non erat, imminutum corpus eſt, corpore tamen nullo abeunte. Nihil itaque impedit, quin eiuſmodi corpora prope ad nihilum redigantur, licet corporeum nihil ab ipſis reſoluatur. At hæc abſurdiſſima ſunt. Nec refert, quod exemplum attuli ſiccæ exhalationis, cum aqua calefacta tota in vapores reſolui cernatur.

Nihil iam reliquum eſſe video, quam vt obiter argumenta perpendam, quibus probaſſe ſe putat, vaporem accidens eſſe, non ſubſtantiam. Verba eius hæc ſunt: Certum eſt Galenum ſpiritus vaporibus tenuiores aſſerere, eiuſque ſectatores, quaſi corpora quædam cœleſtia, ſtatuere, adeoque idoneos ad animæ corporiſq; coniunctionem, vt nihil aliud eſſe calorem naturalem, ſcriptum reliquerint ſapientes. Adeo inquam, tenues: vt ſolo qualitatis nomine dignos arbitrati ſint. Quapropter neque exeunt ſpiritus, cum non expellantur, quin retineantur in ipſo ſanguine, cuius pars ſunt. His verbis iudicas eum voluiſſe ex loco Top. probare, vaporem accidens eſſe, vt ſententia atq; mens iſta ſit: Spiritus magis videntur eſſe ſubſtantia, & pars corporis, nec ſunt tamen: Ergo multo minus erunt vapores ſubſtantiæ.

Si hæc ratiocinatio eius fuiſſe dicenda eſt, non imperite modo collegit, verumetiam Scaligeri verba, ex quo hæc omnia, paucis male immutatis, transſcripſit, plane alio contorquet. Atque haud ſcio, an ſententiam iſtam ferre poſſint. Liquebit hoc magis, ſi cur & quomodo a Scaligero ſcripta ſint, breuiter commonſtrauero. Cardanus vapores cõtra Galenum ſpiritibus tenuiores dixerat, quia exirent ex corpore intus manentibus ſpiritibus, vt ratiocinatio talis fuerit: Vapores foras exeunt, ſpiritibus intus in corpore permanentibus: At quod exit tenuius eſt, eo, quod intus manet: Vapores ergo ſpiritibus ſunt tenuiores. Scaliger hic primo recte Galenum docuiſſe oſtendit, ſpiritus vaporibus multo tenuiores eſſe. Deinde ad argumentum Cardani reſpondet, non ideo non exire ſpiritus, quia craſſiores ſint, ſed quia nõ expellantur. Non expelli vero, quia familiares atq; cognati & pars ſanguinis ſint. Vapores contra exire, non quia ſua ſponte exeant, aut propter tenuitatem cohiberi nequeant, ſed quia a vi ſecretrice tanquam inutiles & peregrini ſeparentur, & tandem velut hoſtes expellantur. Sane Scaliger nullam in hiſce conſtituit verbis comparationem inter vapores atq; ſpiritus, vtri magis minuſq; ſubſtantiæ ſint; ſed Galeni ſentẽtiam defendit, & Cardani argumentationem inutilem eſſe declarat. Quod ſi aduerſarius tuus aliud hiſce probare voluit, ipſe quomodo ſuo inſtituto accommodet, viderit.

Spiritum magis videri ſubſtantiam, ſi vniuerſim accipi velit, perſpicue falſum eſt. Vapores etenim, vtpote corpulentiores, magis videntur eſſe ſubſtantiæ, quam ſpiritus, qui propter tenuitatem corporis, naturam pene corpoream exuiſſe videntur. Vnde factum eſt, vt radiis ſolaribus eos quidam comparauerint, & qualitatis nomine dignari ſint. Si vero per ſubſtantiam intelligat non quamlibet, ſed humani corporis, ſimiliter falſum eſt. Sunt enim ſpiritus corporis partes. Falſum igitur erit quod dicitur, eos non eſſe ſubſtantias, tametſi eſſe videantur. Quis enim neget corporis humani partes ſubſtantias eſſe? Quinimo contradiceret ſibi, atq; etiam veritati manifeſtæ. Mox enim Scaligeri verbis confitetur ſanguinis partes eſſe. Quare non modo ſententiam ipſius verba iſta confutant, ſed noſtram de vapore pulcherrime comprobant. Etenim ſanguinem ſubſtantiam eſſe, non opinor, negabit. At pars ſanguinis eſt ſpiritus: Ergo & ipſe ſubſtantia eſt. Pars namq; ſubſtãtiæ, omnino ſubſtantia eſt. Quod ſi ſpiritus eſt ſubſtantia, erit multo magis vapor ſubſtantia, ſiue ſit vera nuper propoſita ratiocinatio, ſiue non ſit vera. Quo etenim res quæq; eſt craſſior & σωματωδέστερος, tanto minus poteſt vel imperitiſſimo cuiq; non ſubſtantia videri.

Præterea generantur ſpiritus tum ex vapore ſanguinis, tum ex inſpirato aëre, vt Galeno viſum eſt. Ergo aut ſubſtantiam ex non ſubſtantia fieri concedet aduerſarius, aut vaporem ſubſtantiam eſſe confitebitur. Addi iam dictis illud etiam poteſt, ſi ſpiritus partes ſanguinis ſint, eiuſdem quoq; partes eſſe vapores, ex quibus illi quaſi nutriuntur, & propter quos illi partes ſanguinis dicuntur. Recte itaque ex Ariſtotelis ſententia vapores aqueos, aquam attenuatam vocauimus. Tot igitur cum ſint in iſta ratiocinatione difficultates, vix mihi perſuadeo, hoc eum voluiſſe. Principio cum legerem, ſuſpicabar ideo eum hæc propoſuiſſe, vt Scaligeri authoritate probaret vapores eſſe qualitates. At vero cum poſtmodum viderem nihil tale a Scaligero affirmatũ fuiſſe, mutare ſententiam coactus ſum. Dicit quidem Scaliger ſpiritus corpora eſſe, attamen ita tenuia, vt quidam eos qualitatis nomine dignari ſint. Quod cum dicit, non negat corpora eſſe, ſed tenuiſſima eſſe ait, & ad indicandam hanc tenuitatem aliquos ipſos qualitatis nomine appellauiſſe, comparatione facta ad craſſiora corpora. De vaporibus autem hæc intelligi non poſſunt.

Quid igitur voluit aliud? Ego me hercule non habeo quod reſpondeam, niſi fortaſſe probare voluerit, peregrinos eſſe vapores, & accidere corpori humano. Verũ id non erat tam

operoſa oratione opus. Nemo namque eſt, qui non vapores quos expellit natura, peregrinos atque etiam hoſtes concedat eſſe. Si familiares & cognati eſſent, non eos expelleret Natura, cum recte valet. Videtur mihi hoc voluiſſe oſtendere, vapores adeſſe ac abeſſe a corpore poſſe abſq; eiuſdem interitu. Id ſi conſtaret, conſectarium eſſe putauit, vt pro accidentibus, non ſubſtantiis, haberentur. Quomodo aliter propoſito aptem, non ſatis intelligo. Cogitaui etiam ipſum quia non per ſe mouerentur extra corpus, ſed expellerentur, probare voluiſſe eos non eſſe ſubſtantias. Verum quia argumentum hoc poſtea inducit, opinionem mutare coactus ſum. Vt vero nihil omittam, a capite examinare iterum omnia libet. Spiritus vaporibus ſunt tenuiores. Concedo & addo: Ergo magis videntur vapores ſubſtantiæ eſſe, quã ſpiritus. At dicat aliquis, nõ vidẽtur magis ſubſtãtię corporis humani partes eſſe: hoc nihil nobis incõmodat. Non.n.ꝗ nõ videtur corporis noſtri pars eſſe, ſtatim ne ſubſtãtia quidẽ eſſe iudicatur.

Quod additur ad animæ corporiſq; coniunctionem idoneos eſſe, ſi non huc pertinet, vt probet, non exire ſpiritus, quo pertineat ignorare me fateor. Siue huc, ſiue alio pertineant, parum certe probabunt. Mitto hic quod Scaligeri verba, non igitur exeunt, quia non expelluntur, ſed retinẽtur, &c. ita transſcripſit, vt ſuperſtitioſiores Grammatici nedũ Logici habeãt quod reprehẽdant. Nolo hic diſputare quomodo ſpiritus exeant, ac nõ exeant, quia præter rẽ foret. Quod hoſtes & peregrinos ait vapores eſſe cum Scaligero, recte dicitur ſi ſpiritib. comparentur. Quod a vi ſecretrice extra corpus expellantur, (nolo hic inter ſecretricem & expultricem diſtinguere, tametſi non ſit eadem vtriuſq; ratio) non a ſeipſis, parum refert. Nam ne excrementa quidem vlla aliter vacuantur, quæ tamen accidentia propterea nemo vocauerit.

Quæ poſtea adiecit verba (Manifeſtum hinc eſſe vaporem homini adeſſe & abeſſe præter ſubiecti interitum) cogitare me fecerunt de ante dictis omnibus diligentius. Non enim vnde manifeſtum hoc fieret, videre potui. Equidem de veritate propoſitionis, ſi de certis, non omnibus ſimpliciter vaporibus intelligenda ſit, nihil dubito. At quomodo ex præcedentibus liqueat, non perſpicio. An quia expelluntur vapores? Probabilitatem habet oratio. At expelluntur ſæpe etiam vtilia, quibus carere omnino corpus nequit. Quin propter eorum expulſionem ſæpe corrumpitur. Sed defendi hoc poteſt. Et præterea cauſa adeſt alia, quia peregrini ſunt & hoſtes. At non omnes ſunt tales, ſicuti neque omnis ſanguis peregrinus eſt, tametſi corruptus ſanguis iam ſit hoſtis factus.

Verum eſto, peregrini omnes ſunto, atq; ob eam cauſam adſint & abſint abſq; corporis interitu. Inde ne ſtatim accidentia eos eſſe non ſubſtantias conſectarium erit? Minime gentium. Nam & panis, vinum, poma, veſtes atque alia plurima adeſſe & abeſſe nobis poſſunt, quæ tamen accidentia ſimpliciter eſſe nemo ſanus dixerit. Si abſq; cibo corpus eſſe non poſſe dicatur, ne abſq; vaporibus quidem, addam. Poteſt tamen vt abſq; hoc vel illo certo vapore, ita abſque hoc vel illo certo cibo eſſe. Iſta accidentis deſcriptio intelligenda de illis eſt, quæ per ſe eſſe numquam & nuſquam poſſunt, ſed tantum in ſubiecto inſunt. Quæ alias rebus ita accidunt, vt earum nulla pars ſint, & per ſe tamen ſubſiſtere poſſunt, accidiſſe quidem ei rei, cui acceſſerunt, recte dicuntur, at non propterea per ſe conſiderata vere accidentia, hoc eſt, in genere qualitatum continentur.

Sequitur argumentum aliud. Vaporibus nõ ineſt per ſe motus & quies. At quibus hæc per ſe non inſunt, ne ſubſtantiæ quidem ſunt. Natura enim reliquis (ſcilicet nõ ſubſtantiis) inſerit motum per accidens; Ergo vapores non ſunt ſubſtantiæ. Tota ratiocinatio falſa eſt. Nam abſtractis ſubſtantiis, motus localis (de hoc enim motu argumentum intelligi debet) per ſe non ineſt & ſubſtantiæ nihilominus ſunt. Eſt igitur propoſitio non vera. Vapores quoque mouentur. Habent enim naturam quæ principium eſt motus & quietis. Cur paulo ante dixit, eos extra corpus expelli, ſi nõ mouentur? Si placet ei ideo negare illis motum, quia violenter interdum ab alio mouentur; nec aqua, nec terra, nec aliud quidquam per ſe moueri defendi recte poterit. Sane falſum eſt vapores non moueri eo modo quo naturalia corpora omnia ſunt obnoxia motui, ſeu apta moueri, vel pueris iudicibus. Mouetur etiam ſua ſponte ſurſum, eo ſcilicet modo quo leuia ſurſum contendunt. Iam demonſtrauimus vaporem corpus eſſe inter aquam & aërem medium. Quatenus enim calidus & aqua tenuior eſt, ad aëris naturam accedit propius. Quatenus vero craſſior eſt aëre, & amiſſo calore ſtatim in aquam rurſus coit, aquæ naturam adhuc obtinet. Quare cum vtriuſque naturæ particeps quodam modo ſit, pro ea portione vtriuſq; motu per ſe moueri eum neceſſe eſt.

Naturam reliquis motum inſeruiſſe cum ait per accidens, valde loquitur obſcure & improprie. Etenim quibus inſertus eſt motus, ea, motum cum habeant inſitum, ſiue natura & per ſe, ſiue per accidens inſitum habeant, mouentur: aut quæ in ſe motum habent, nõ mouentur. Et hoc æque abſurdum, ac ſi quid in ſe calorem habere affirmes, & calidum tamen eſſe neges. Recte tu refelliſti, quod vaporem atque exhalationem attrahi ab vno aſtrorum

calorę

calore poſſit. Aqua atq; terra cum attenuantur magis, quam Elementis iſtis conuenit, quodammodo tunc degenerare, atque aëris & ignis naturam aſſumere incipiunt. Quo etiam fit, vt quatenus ad eorum naturam accedunt, eatenus etiam eorumdem motibus moueantur. Ergo vt aër atque ignis pro ſua natura propter inſitam leuitatẽ ſurſum mouentur magis minuſque vt ipſis expedit: ita vapor & exhalatio ſupra aquam atque terram, quibus leuiora ſunt, ſua ſponte tamen quoque aſcendunt, cum nihil eſt quod vel trahat vel pellat ſurſum.

Cum meteωρα ſubſtantias eſſe negat, nulla mihi re minus quam rationibus confutandus videtur. Quinimo ipſe mox ſe ipſum plane ac neruoſe refutat, cum ait, ſubſtantia omnis per ſe exiſtit, alterius adminiculo non egens, & nec magis nec minus recipit. His addatur aſſumptum hoc. At meteωρα iſta, pluuia, ros, grando, lapides, nix, metalla (poſſunt enim & debent hæc etiam ſuo quodam modo, quatenus ſcilicet ex vaporibus & exhalationibus coaleſcunt, inter meteωρα numerari, quemadmodum Ariſtoteles ipſa etiam inter hæc percenſuit) per ſe ſubſiſtunt, & vt ſubſiſtant, nullius ope indigent, ac præterea nec magis nec minus recipiunt. An hinc non recte concludetur, commemorata omnia ſubſtantias eſſe? Non negabit, arbitror, ipſa per ſe ſubſiſtere, aut ſubiectum cui inhærent aliquod monſtrare cogetur. Id nec terra, nec aqua erit; ſeparantur enim ab iis, & in aërem aſcendunt, aut ex aëre in terram deſcendunt. Aer quoq; non magis quam terra vel aqua vt accidentibus ipſis ſubſternitur. Mutant enim crebro locum, & vna aëris parte relicta ad aliam migrant. At hoc nullum accidens facere dicet, niſi (quod paulo ante recte negare viſus eſt) concedere hic velit, accidentia per ſe moueri. Quid igitur reſpondebit? Magis minuſque ſuſcipere dicet? Sic ſane reſpondet. Si non ſcriptum ab eo legerem, nemo mihi vnquam perſuadere potuiſſet aliquem vel cogitare aliquid tale voluiſſe.

An erit præter hunc tuum aduerſarium qui credat aurum vnum, alio quouis auro, aut etiam ſeipſo, magis minuſq; aurum eſſe? Eſt quidem aurum auro purius, at magis minuſque aurum non eſt. Quod auri ſpeciem habet, quæ indiuiſibilis eſt, totam habet auri eſſentiam. Formæ, inquit Ariſtoteles, vt numeri ſunt, quibus ſiue addas aliquid ſiue detrahas, ſpeciem permutaſti. Nec eſt ratio vlla, cur alter de imperfecte mixtis aut loquamur aut ſentiamus. Non puto hominem inueniri tam rudem ac ſtupidum, qui non quamlibet pluuiam pro pluuia eodem modo agnoſcat. Copioſiorem vnam altera dicet, at magis pluuiam eſſe aliam alia nequaquam dicet. Sed pudet me iſtam pluribus rem confutare, vt ex animo loquar, præſertim cum Galeni ſentẽtia in mentem mihi venit, cuius etiam ſupra, aliis Galeni verbis memini: ὑβρίζειν γὰρ ἔοικεν ὅστις, ἐλέγχειν μετὰ ἀποδείξεως μηδεμιᾶς ἀποδείξεως ἄξια.

Itaque probationem audiamus. Imperfecte mixta, inquit, diſtincta ſunt a perfecte mixtis. Fateor, ergo alterius adminiculo egent. Hoc ad illud conſequi pernego. Quæſo ad quam rem aliorum operam deſiderãt? Vt imperfecta ſint? At ſunt iam talia. Vt exiſtant? Atqui iam id habent, vt aliud fiant? Hoc ſane velle videtur, cum adiicit, imperfectum ad perfectũ contendere. Quaſi vero vlla vnquam pluuia, vel aurum, vel argentum, ſua ſorte non contenta, homo vel bos vel leo eſſe expetiuerit. Materiam ſi appetere alias atque alias perfectiores formas dixiſſet: tolerari poterat, ſed ſuppetias cauſæ nullas attuliſſet. Verum iſta hoc loco ſinamus. Pluuiam quatenus eſt pluuia, nec magis nec minus pluuiam eſſe quauis pluuia dicimus. Poteſt, vt iam dicebam, maior aut minor, frigidior aut calidior, ſalubrior aut inſalubrior eſſe pluuia, magis aut minus eſſe pluuia non poteſt. Scio recte dici, aliquando magis pluere, aliquando vero minus. At vnam pluuiam ſe ipſa magis aut minus, aut alia quauis magis aut minus pluuiam eſſe nullus vnquam eruditus homo dixit. Aliud enim eſt pluere, quam pluuia. Cæterum dicuntur meteωρα imperfecta eſſe mixta, animalibus & plantis, non ſibi ipſis comparata. Si muſcam homine imperfectiorem dicimus, cui nulla in ſuo genere perfectio deeſt. Tam eſt aurum inter metalla perfectum. Pluuia inter impreſſiones aqueas, atque abſinthium, imo balſamum inter plantas, oues inter pecudes, gallus inter aues.

Fortaſſe cum Chymiſtis opinatur alia aliorum inter metalla materiam eſſe, nec ſuam vnumquodque propriam & perfectam obtinere formam, ſicut animalia atque plantæ habent. Hanc ſententiam hoc loco refellere nihil eſt opus. Vtrum enim ſtatuatur, cauſa præſens neque melior, neque deterior reddetur. Semper namque falſum erit, imperfecta aliorum opera indigere vt illud ſint, quod ſunt, tametſi alius ope egeant vt aliud fiant. Exempla declarabo: Ouum per ſe ſubſiſtit, nulliuſq; opera ad hoc ipſum conductitia indiget. Nec magis minuſq; recipit ouum, vt vel ſe ipſo vel aliis in ſuo genere magis aut minus ouum dici cenſeriq; valeat. Sed nec imperfectum eſſe, quatenus ouum eſt, atq; ouis comparatur, cogitari poteſt. Loquor de ouo, non de monſtro oui, aut nondum perfecto ouo. Si gallinæ compares, imperfectum eſſe certum eſt. Vt ad hanc perfectionem perueniat, hoc eſt, vt ex eo pullus generetur, ope aliena indiget. An idcirco ouum non per ſe ſubſiſtere dicemus? An ouo alio quouis magis aut minus ouũ eſſe propterea putabimus? Ouum ouo maius, perfectius, ſuauius, ſalubrius,

pulchrius, rotundius, candidius eſſe poteſt, magis aut minus ouum eſſe non poteſt. Illa ad quantitatem aut qualitatem oui referuntur, hoc ad intenſionem formæ, quæcumq; tandem ea & qualiſcumq; putetur eſſe pertinet. Eadem in cæteris omnibus eſt ratio.

Vapor certe per ſe exiſtit in aëre. Nec magis minuſq; vapor eſt alio quouis vapore. Atque ſibi ipſi aut ſuo generi comparatus omnino vapor eſt, & quidem perfectus vapor. Quod ſi ex eo denſato certa quadam ratione & loco nubem fieri cogites, eique compares, imperfectus certe erit, vt ouum pullo, qui ex ipſo generari poteſt, cōparatum, imperfectum quid eſſe diximus. At non magis propterea minuſq; vapor eſt, ſicut nec ouum magis minuſque ouum fuerit, quia cum pullo collatum imperfectum corpus vocari poteſt. Cum igitur ratiocinationis noſtræ propoſitionem aduerſarius nobis dederit, ac negare aſſumptū, ne ſi velit quidem recte poſſit, efficitur neceſſario vaporem ac meteora ſubſtantias eſſe.

Poſthæc de ſubiecto vaporis neſcio quid æque inſcite ſcribit. Aquam & terram eſſe cōcedit. Quod ſi in aqua & terra vapor ita ineſt, vt accidentia in ſubiectis ſuis, albedo ſcilicet in pariete: quomodo vapor ab aqua & terra eleuatur, & longiſſime ſupra terram atque adeo mōtes excelſos aſcendit? An albedo aut accidens aliquod viſum vnquam fuit, relicto ſuo ſubiecto, aliò migrare? Quæ hoc poſſunt, ea certe per ſe ſubſiſtere poſſunt, ideoq; ſubſtantiæ ſunt, atq; accidentia ſuſtinent. Accidentibus hoc eſt omnino a natura negatum. Ex quo iterum liquet, vaporem ſubſtantiam eſſe, contra aduerſarii aſſeuerationem.

In illis quæ mox ſequuntur verbis, aperire ſeſe incipit. Hactenus more præſtigiatorum, celare ſenſum ac mentem ſuam voluiſſe videri poſſit. Vt illi celeritate manuum, oculorum aciem perſtringunt, falluntque aſtantes, vt aliud agere putentur, quam reuera agunt: ita aduerſarius ſententiam ſuam, quam, ſi deprehenſa ſtatim foret, ridendam fortaſſe videbat, verbis tegere obſcuris voluiſſe merito exiſtimari poſſet, ſi iſtis verbis diſputationem concluſiſſet. Quia vero paulo poſt iterum probare videtur, quæ iam ante affirmauit, an hoc voluerit ambigo. Vapor, inquit, ne in ſublimi quidem erit ſubſtantia, ſed maſſa aut terrea aut aquea, quæ euaporatione eo peruenit ac nomen a loco & actione ſortitur. Quo fit, vt nomina qualitatis ſint non ſubſtantiæ. Horum verborum ſententia, ſi quid video, talis eſt: Terra & aqua rarefacta & in ſublime elata, ibi quoque terra eſt & aqua, & per conſequens ſubſtantia. Quia vero in alto eſt ſiue ſublimi aëris loco, & eo per euaporationē ſeu expirationem penetrauit, nomen vaporis ſortita eſt, ſicut ſi hominem, qui literas Romam perferre ſolitus ſit, tabellarium Romanum nominare velimus. Quod nomen quia non ſubſtantiam hominis, ſed officium atque locum ſignificat, recte dixerimus, tabellarium Romanum non eſſe hominem aut ſubſtantiam.

Hanc eſſe eius mentem atq; ſententiam, argumentum videtur docere. Ita enim argumentatur: Nomen vapor, terræ ſiue aquæ inditum eſt ab actione & loco. At quæ talia ſunt, qualitatis nomina ſunt, non ſubſtantiæ. Vapor igitur qualitatem ſignificat, non ſubſtantiam. Eodem illud quoque pertinere videtur quod ſequitur argumentum: Etiam perfecte mixta non augent numerum quinq; corporum, ſcilicet quatuor elementorum & cœli. At quę hoc non faciunt, non ſunt ſubſtantiæ. Ergo cum nec vapor nec aliud quiduis tale numerum quinque dictorum corporum augeant, nulla erit præter hæc quinq; enumerata corpora, ſubſtantia. Aſſumtum probat, dum nullum eſſe diſcrimen inter mixta & elementa ex quibus conflata ſunt, affirmat. Diſcrimen enim ſumi a forma tantum cenſet.

Hæc eſt egregia, ſcilicet hominis Philoſophia. Ego ita reſpondi hactenus, vt ille ſcripſit. Quomodo vera ſint quæ hoc in loco affirmat, videndum prorſus erit nobis, ſiue ſimulet ſiue diſſimulet ipſe. Quod in aërem ex aqua & terra attenuatis ſublatum eſt, & nos vaporem (nunc inter vaporem ἀτμίδα & exhalationem καπνώδη ſiue θυμίασιν vel ἀναθυμίασιν non pono diſcrimen) vocamus, id aduerſarius maſſam terream & aqueam vocat. At hæc duo ſubſtantiæ ſunt. Ergo quod vaporem nos vocamus ſubſtantia eſt. Ergo cauſa cecidit. Quod ſi nomen vaporis non hoc notare contendat, reſpondebimus nos de nomine non litigare, vbi de re ſit conſenſus. Deinde falſam eſſe huius nominis notationem, quam ipſe ſibi fingit. Nemo aliter vaporis nomine vſus reperitur, quam qualiter nos vſurpamus. Poteſt hoc ex ſupra dictis perfacile cognoſci. ἀτμὶς eſt ὕδωρ λεπτομερὲς aut παχὺς ἀήρ. Vapor igitur non eſt accidens, vel aqua rareſacta, vel aër certo modo quodam affectus. Iam ſi vapor hoc ſignificat, male facit aduerſarius, cum contra conſuetudinem omnium hominum, genuinam vocis notationem peruertere ſtudet.

Velim ſcire an halitus ſeu vapores, qui ab aqua ſub terra latente per fiſſuras ſeu rimas terræ aſcendunt, nec ſuperficiem tamen adhuc eiuſdem ſuperarunt, vapores appellādos cenſeat. Si ita nobiſcum exiſtimat, non ab aëre nomen ſortiuntur. Si tantum ab euaporando nomen iſtos accipere dicat, primum quidem vapores eſſe concedet illos etiam, qui aërem necdum attigerunt. Sic ergo non habebit vapor hoc nomen a ſublimi aëris loco, id quod affir-

mare

mare ſupra viſus eſt, ſed a ſola vaporatione. Deiode ſubſtantias eſſe cõfitebitur, cum qualitas nolla euaporare, hoc eſt, in vaporem diſſolui aut reſolui, abſque ſubiecta ſibi cui inhæret ſubſtantia, poſſit. Sane nomen hoc tantumdem in ſuo geoere ſignificat, quãtum duo hæc coniuncta nobis denotant, ſtatua ænea, vel, ſtatua lignea. Vt enim hæc figuram atq; formam artificialem vna cum materia notant, ſic vapor aquam ſigoificat certo quodam modo affectam, noo ipſam ſolum aquæ affectionem. Itaq; vaporem aſcendere in aerem dicimus, pluuiam, niuem, grandinem per ſeſe ſuperne deſcendere affirmamus. Quod ſi iſta per ſe mouentur ſurſum ac deorſum, quomodo quæſo qualitates nobis dumtaxat oomina eiuſcemodi repræſentant, oon res & ſubſtantias denotant?

Quod de quoq; corporibus poſtea adiicit, perinde eſt abſurdum. Propoſitiooem ſi quis neget, propterea quod iocorporeas ſubſtantias excludit, reſpondere poterit, ſe de corporibus hoc io loco diſputaſſe. De corporibus igitur dictam accipiamus, & quam vera ſit, quamque philoſophorum diſputationibus conſentiat apte, inſpiciamus. Nulla eſt, ioquit ſubſtanoa præter quioque corpora illa ſimplicia, quatuor ſcilicet elementa & cælum. Compoſita oamque omnia nihil ſunt aliud, nec ab his differunt, quatenus corpora ſunt, ſed formis res compoſitæ differunt ſolum. Hic tam multa occurrunt abſurda & falſa, vt mirum ſit, quomodo, oon quidem dicere, ſed publicare ſeu inuulgare ea auſus fuerit. Aut nõ intellexit quod dicit, id quod nequaquam credo; aut neminem lecturum putauit, qui intelligere poſſet, aut eruditorum omnium & philoſophorum cunctorum iudicia pro nihilo ducit. Aliter multo Ariſtoteles cum alibi frequenter, tum in libro Metaphyſ. κ. hac de re ſcripſit. Plures ſubſtantias ſtatim a principio libri enumerat, eaſq; ab omnibus citra controuerſiam pro ſubſtantiis habitas aſſeuerat. Quioimo ſenſibiles ſubſtantias eſſe affirmat. Verba eius inter alia etiam hæc ſunt: ὁμολογούμεναι μὲν αἱ φυσικαὶ (οὐσίαι) οἷον πῦρ, γῆ, ὕδωρ καὶ τ' ἄλλα τὰ ἁπλᾶ σώματα. ἔπειτα τὰ φυτὰ καὶ τὰ μόρια αὐτῶν· καὶ τὰ ζῷα, καὶ τὰ μόρια τῶν ζῴων καὶ τέλος ὁ οὐρανός, καὶ τὰ μόρια τοῦ οὐρανοῦ. In hiſce verbis Ariſtoteles recenſet ſubſtãtias omnibus notas atq; ſenſibiles ſiue αἰσθητάς, nec iotra tam anguſtos terminos concludit. Animantia & plantas & horum partes ſubſtantias eſſe affirmat omnibus confeſſas. Aduerſarius tuus ſubſtantias negat. Cum ipſo ne faciemus potius figmentum nobis narrante, an cum Ariſtotele & omnibus recte ſeoſentibus hominibus?

Parum prudenter cum hoc loco, tum in ſequentibus negat vllam eſſe ſubſtantiam, exceptis quinq; ſimplicibus corporibus. Et vt ita eſſet, nondum tamen confeciſſet, vapores non eſſe ſubſtantias. Sunt enim in numero quatuor elementorum compreheoſi, vt iam ſatis ſuperq; oſtendimus. Sed & recitata iam ex Ariſtotele verba non parum ſententiam noſtrã confirmant. Cur enim Ariſtoteles poſtquam tria elemeota recenſuiſſet, addidit, & cætera ſimplicia corpora? Si nullum eſſe aliud exiſtimaſſet præter terram, non dixiſſet & alia, ſed potius terræ meminiſſet, aut certe in ſingulari reliquum dixiſſet. Quia vero oon terræ ſolum, verumetiam aquæ & fortaſſe aëris quoque & ignis ſpecies nouerat alias, merito adiecit καὶ τὰ ἄλλα ἁπλᾶ σώματα. Atque hoc eſt quod ſupra ex eo citauimus, exhalationem in terræ quandam tranſire ſpeciem, καὶ συνίστασθαι ἐκ μὲν ἐκείνης, ὕδωρ· ἐκ δὲ ταύτης γῆς, λίθους. Ne cælũ obuci poſſet, ipſe cauit, cum vltimo loco cælum & partes cæli poſuit.

Fruſtra quoq; obiiciatur, vaporem ſiue halitũ quem Græci ἀτμίδα nominant, nõ ſimplex corpus eſſe, quia plerumq; exhalationem habeat ſociam. Quoniam ſimplicia corpora appellat, quæ ſenſuũ iudicio talia ſunt. Non enim alias, quam αἰσθητὰς οὐσίας, iſto in loco enumerare voluit. Ergo non modo falſa & ab omnibus philoſophis, imo hominibus, negata, pro veris male ſumit, verumetiam ſi ea illi vltro demus; tamen quod vult, non efficit.

Iam reliqua videamus. Quæri in philoſophorum ſcholis ſolet, an in compoſitis ſeu mixtis, elementa actu inſint an poteotia ſolum. Alii hoc, alii aliud ſentiunt. Vtrique ſuam opinionem argumentis acriter defendere nituntur. Aduerſarius quid ſentiat, plane hic oſtendit, cum mixta nihil aliud eſſe, quam elementa aſſerit. Verum quicquid hac de re ſentiendum putemus, hoc eſt apud omnes confeſſum, corpus hominis, exempli gratia, nec ignem eſſe, nec aquam, nec terram, nec aërem. Sed nec omnia hæc ſimul eſt, niſi omnia iſta certo modo affecta intelligas. Equidem res in mixtione longe aliter habet, quam in compoſitione aut aceruatione. Siquidem quæ miſcentur per mutuam actionem paſſionemque aliud quiddam fiunt, quam ante mixtionem vel ſingula, vel etiam omnia ſimul accepta, fuiſſent. Qui in Ariſtotelis lectiooe aliquantũ verſatus eſt, ignorare oõ poteſt, partes ex quibus per alterationem & mutationem totum aliquod gignitur, non prorſus idem eſſe cum toto, quod ex eo fabricauit natura.

Sed nec proxima cuiuſq; compoſiti materia eadem eſt. Alias nihil impediret, quo minus ex quolibet quodlibet generaretur. Quod ſi diſcrimẽ ideo nullum inter mixta & elementa ſtatuendum iudicetur, quia ex his illa tamquam ex materia, per multiplicem alterationem facta ſunt, ne elementa quidem inter ſeſe diſtingui debebunt. Nam & horum quoque vna

eademq́; eſt, vt Philoſophi docent, materia. Ita non iam erunt quinq; corpora, ſed vnicum tantum; vel ſi cælum & cæleſtia corpora excipere libet, duo duntaxat. Verum cum ignem aliud eſſe corpus ab aqua dicimus, non formam tantum, ſed cum ipſa materiam hoc modo affectam intelligimus. Simili modo corpus hominis a plantæ corpore aliud eſſe aſſeueramus, non ratione materiæ remotiſſimæ, ex qua vtrumq; conflauit natura, ſed ratione mixtionis, quæ alia in hoc ineſt, quam in illo, vel, vt dicam planius, ratione proximæ materiæ & formæ.

Hanc Ariſtoteles iubet adferri cum de materia alicuius rei quæritur. Si quæratur, inquit in libro nuper citato Metaphyſ. quæ ſit materialis cauſa humani corporis, reſpōdendum erit menſtruum ſanguinem eſſe. Paulo poſt concludens, ait, διὸ δὴ τὰ ἐγγύτατα αἴτια λεκτέον. τίς ἡ ὕλη; μὴ πῦρ ἢ γῆν ἀλλὰ τὴν ἴδιον. Vt igitur elementorum nomina, non materiæ ſolius ſunt notationes, ſed materiæ certo modo affectæ: ita plerumque compoſitorum nomina non mixtorum elementorum, ex quibus conſtant, ſed certo quodam modo affectorum ac mixtorum elementorum notæ ſunt atq; ſigna.

Panem cum dicimus ſanguinis materiam eſſe, aut aliud quippiam tale, nemo tam eſt iners, qui non intelligat, nos non de formis ſolum aut accidentibus horum corporum loqui, ſed multo magis de materia quæ formis eorum continetur. An alicui perſuadebit tuus aduerſarius, ſanguinē, qui ex pane & vino inter ſe mixtis ac mutatis, generatus eſt, nihil ab eiſdem differre? Ipſe ſane in materia nullum diſcrimen ait eſſe, ſed vna formarum diuerſitate res diſtingui. Si de remota materia loquitur, tolerari fortaſſe poſſit quod dicit. Verum ſic nihil probat. Si de proxima, facile erit eum erroris arguere. Nam ſi materia diuerſorum præciſe eadem eſt, modo forma abeſſe cogitetur, poterit in materiam quamlibet forma qualibet introduci. Poterit igitur ex quolibet quodlibet generari, modo prior forma de ſubiecta ſibi materia depulſa ſit. Quanta hinc ſequatur rerum omnium in Philoſophia confuſio, nolo hic iam verboſius exponere.

Reddenda præterea erit aduerſario ratio, cur non ex omnibus vini paniſq; partibus ſanguis fiat, ſi nulla in materia diſſimilitudo reperiatur. Inſunt enim tales nonnullæ, ſicut excrementa plane oſtendunt. Quæ, vt in pane & vino ſunt pauciores, ita in aliis quibuſdam multitudine euidenter ſuperant partes nutriendo corpori vtiles. Illud vel cæcis animis demonſtret magnam eſſe in materia vnius etiam corporis diſſimilitudinem, adeoq; diſcrepātiam talem, vt nequaquam ex quolibet res quælibet gigni queat. Si, quod huiuſce rei cauſa exiſtit, accidens eſſe aduerſarius contendat, parum in præſentia mea refert. Illud certe negare non audebit, inde fieri vt materia quælibet aptior ſit, & dicatur ad hanc, quam ad aliam formā quamlibet ſuſcipiendam.

Quare meritiſſimo præferenda erit imaginationi huic Ariſtotelis ſententia ita ſcribentis: περὶ δὲ τῆς ὑλικῆς οὐσίας δεῖ μὴ λανθάνειν, ὅτι εἰ καὶ ἐκ τοῦ αὐτοῦ πάντα πρώτου, ἢ τῶν αὐτῶν ὡς πρώτων, καὶ ἡ αὐτὴ ὕλη ὡς ἀρχὴ τοῖς γιγνομένοις, ὅμως ἔστι τις οἰκεία ἑκάστου, οἷον φλέγματος ἔστι πρώτη ὕλη τὰ γλυκέα ἢ λιπαρά. Ex hiſce liquet veritati & Philoſophiæ nec non experientiæ aduerſari, quod aduerſarius tuus ſcribit, corpus humanum terræ ac cæteris elementis ſimilimum, nec ab iiſdem diuerſum eſſe. Nulla enim in tota rerum natura terræ ſpecies reperitur, cum qua caro, nerui, venæ, &c. ſimilitudinē habeant, vti nec cū igne aere & aqua. Quinimo nec ex his coniunctis omnibus humanum corpus ante coaleſcere potuit, quam infinitis modis, iiſq; certis inter ſe mutarentur, miſcerentur, alterarentur.

Homo non eſt ſola anima, tametſi hominis præſtantiſſima pars ea ſit. Eſt enim homo ex anima & corpore partibus eſſentialibus compoſitum animal. Scio quid de homine eiuſq; corpore alicubi Plato ſcriptum reliquerit. Neque illud etiam neſcio, aduerſarium nihil inde præſidii ad figmentum ſuum defendendum ſperare poſſe. Inauditum mihi hactenus eſt, corpus accidens eſſe homini. Si homo nihil eſſet aliud quam anima, ferri fortaſſe poſſet, vt corpus homini accidere diceretur. At ferri tamen non poſſet, vt pro vero accidente haberetur. Non enim quicquid alicui accidit, nec pars eſt ſubſtantiæ ipſius, id ſtatim per ſe verum accidens eſſe exiſtimandum eſt. Veſtes, cibus, potus, homini hoc modo accidunt (pars enim ſubſtantiæ hominis nulla ſunt) non tamen per ſe ipſa ſubſiſtere illa non poſſunt, aut (quod accidentium ita eſt proprium, vt eorum eſſe nihil aliud ſit, quam ineſſe, ſi maximæ Philoſophantium parti credendum ſit) inſunt ſolum. Sane orationes hæ duæ non idem valent ſeu ſignificāt: Hoc huic accidit, & hoc per ſe, & in ſe conſideratum eſt accidēs, quatenus videlicet accidens opponitur ſubſtantiæ.

Quæ de origine huius nominis, Homo, profert, extra rem ſunt, propterea quod nihil probant. Tam eſt nobis facile ea contemnere, quam fuit ei comminiſci. Qui locum dat imaginationibus, is ſimilia poteſt plurima fingere, imo infinita. Si apud omnes homines ac gentes eodem nomine homo nominaretur, non præter rem fortaſſe foret, de origine eius diligentius cogitare. Quia vero ſingulæ gentes ſua quadam appellatione vtuntur, fruſtra ſuperſtitioſius de

ſius de talibus inquiramus. Sciri nequit, quo reſpicientes, qui primi impoſuerunt, ita animal hoc nominarunt. Quin nec docti an indocti fuerint conſtat. Itaq; per me facile cuiuis licebit ſua opinione hac in parte gaudere ac frui. De eo etiam, quod ſubiicit, compoſita nil aliud eſſe quam accidentia, cum tamen elementa, ex quibus compoſita ſunt, ſubſtantias iudicet, ſatis multa ſupra diximus.

Concludit tandem, perfecte mixta non eſſe per ſe ſubſtantias, multo minus imperfecte mixta, vti vapores & ſimilia. Digna certe ante doctis complexio. Nam vt ſuperiora falſa eſſe demonſtrauimus, ita concluſio ipſa ſeipſam non omnino rudibus declarat falſam eſſe. Mira ratio. Ea, ex quibus compoſita, vt ex partibus conſtruuntur, ſubſtantias eſſe fatetur, & nihilominus, quæ ex talibus ſubſtantiis coaluerunt, ſubſtantias eſſe negat. Ita ex ſubſtantiis fiũt non ſubſtantiæ. Eadem poterit via ac ratione, philoſophiæ principia ſecutus, ſi Diis placet, oſtendere, ex aliquo nihil, & ex nihilo aliquid fieri. Non poterit enim ratio probabilis vlla adferri, cur ſi illud fieri naturaliter poteſt, hæc non poſſint. Et ſi horum alterum poteſt Natura, poterit etiam vtrumque. Quippe eadem eſt vtriuſq; ratio. Vtrumque ab infinitæ potentiæ cauſa proficiſci tantum valet, non finitæ, qualis eſſe ponitur Natura.

Vaporem non eſſe qualitatem elementarem ſubalternatam (ænigmata hæc eſſe dicas, aut myſteria potius ſi præcedentia non perpenderis) ſed ſubſtantiam aqua tenuiorem, aëre autem craſſiorem, iam ante probatum eſt. Quæ de Andrea Mylio ſcribis, ea per iocum dicta fuiſſe viro illi ex tua reſponſione intelligo. Quare non eſt, vt ea vel explicentur, vel refellantur pluribus. Hæc habui quæ in tantis occupationibus in gratiam tui, ſcribere iſta de re inter lauandum placuit, partim vt veritati præberem rogatus teſtimonium, partim vt eundem me erga te hodie quoque eſſe perſpiceres, qui olim in Italia fui.

Vale. Heidelbergæ. Anno Domini, 1562.

FINIS.

EPISTOLA

THOMAE ERASTI MEDICI, DE QVIBVSDAM QVAESTIONIBVS AD CVRATIONEM PESTILENTIÆ PERTInentibus, ad virum eruditione, pietate, prudentia clariſſimum, D. CONRADVM GESNERVM Tigurinum, Medicum præſtantiſſimum ſcripta.

VIRO CLARISSIMO D. JOANNI CRATONI Vratiſlauienſi, Medico Cæſareo, &c. Thomas Eraſtus S. P. D.

PERGRATVM mihi fuit, D. Ioan. Crato doctiſſime, quod occaſionem mihi præbuiſti de iis rebus ad te ſcribendi, de quibus plurimorum audire iudicium vnice deſidero. Ante menſes plus minus quinq; petiuit a me Vir pietate, virtute, ac doctrina ornatiſſimus D. Conradus Geſnerus, vt de quibuſdam quæſtionibus ad peſtis curationem pertinentibus breuiter ipſi meam ſentētiam exponerem. Ego vero non ita breuiter ei reſpondi, ſed rationibus, quæ tum mihi occurrebāt, opinionem meam comprobaui. Statueram enim nō ſoli Geſnero, ſed aliis etiam amicis ac viris doctis, quorum mihi iudicium minime aſpernandum cenſerem, inprimis autem mihi ipſi ſcribere. Quippe de iiſdem illis quæſtionibus aliquoties ipſemet mecum iam diſputaueram. Nec alia mihi tunc ratio cōmodior apparebat me ipſum ex iſta hæſitatione explicandi, quam vt doctorum plurimorum ſuper ea re iudicia exquirerem. Sic enim inuenturus videbar, in quo tutò acquieſcerem. Proinde idem illud ſcriptum ad te nunc mitto, ſimulque enixiſſime rogo, vt quid in eo probes improbeſue candide, & aperte propter communem & publicam vtilitatem indicare ne graueris. Erit hoc mihi omnibus diuitiis charius ac gratius. D. Conradus Geſnerus reſpondit mihi quidem perhumaniter, vt ſolet, ſed breuiter, atq; ita reſpondit, vt longiorem ab eo reſponſionē adhuc exſpectem. Deſiderio meo plene ſatisfeciſſet, ſi per negotia ei tunc licuiſſet. Cæteri, quibus miſi, nihildum reſponderunt, exceptis generalibus. Et pro reſpōſione laudes fere reſcripſerunt, quas neque aliâs, multo minus hoc tempore ab ipſis expectabam.

Quamquam autem propoſitam mihi a te quæſtionem in hoc ſcripto ex profeſſo non tractaui, tamen obiter de ea nonnihil dixi. Neque difficile erit vnicuique ex dictis animi mei ſenſum in hac parte intelligere. Quocirca non libet ea hic repetere. De formarum natura & origine in tractatu de occultis medicamentorū poteſtatibus, earumq; differentiis & cauſis, quem medico Antuerpienſi amico meo ſcripſi, verboſe ſatis diſſerui. Atque peſtem plerumque (de ea loquor, quam aëris intemperies peperit) non ſine putredine interficere, in alio tractatu, quem de morbis vulgaribus ab aëris intemperie ſuſcitatis in defenſionem theſium quarundā cōſcripſi, compluribus argumentis oſtendi. Vtrumq; oportunitate data edere decreui. Ergo in præſentia hoc tantum dicam, peſtem, qualis hoc biennio fuit, & qualis plerumq; aëris vitio accidere conſueuit, non tam forma, quam maligna putredine occidere. Neq; enim ſic corrumpi aërem exiſtimo, vt ipſius forma, vitæ noſtræ tamquam contrariæ formæ adeo inimica fiat, vt inſtar viperei veneni interimat. Non neſcio ea ſcribi a quibuſdam, ex quibus concludere probabilter poſſis, talibus eum aliquando halitibus compleri. At hi paulo aliter in eodem collecti ſunt, quam qui ex intemperie orti ſunt. Sic ferme aërem corrumpi iudico, vt in corpus cacochymum, aut certe putredini obnoxios humores continens, receptus, leui momento putreſcat, & humores atque ſpiritus ſimiliter labefaciat. Nonnumquam in cordis ſubſtantiam ſe inſinuat, ipſiusq; natura labefactata hominem inopinato perimit. Porro gradus ſiue ſpecies reperiri plures putredinis, quarum aliæ aliis inimiciores ſint non nobis ſolummodo, verumetiam aliis animalibus, alibi quoque demonſtraui.

Quamobrem plus huic intentum debere medicum eſſe arbitror, quam formæ neſcio cui incognitæ, niſi putredinis iſtum gradum formam nominare aliquis velit. Hoc ſi ita eſt, nihil diſputo. Non enim vel res, vel curatio, ſed nomē ſolummodo ſic mutatur. Quoniam putredo, licet exitioſa, manet, atq; vni huic obſiſtendum erit. Equidem euicta putredine, concoctiſq; putridis humoribus recipiūt ægri ſanitatem, quamuis nihil ignotæ formæ oppoſuerint. Rurſus qui formæ opponunt omnia, nihil proficiunt; priuſquam putredinem extinguant.

Sane

Sane hac relicta fruſtra formam tollere ſtudebimus, & ſine fructu omnia fecerimus. Vt enim deleri forma, putredine manente, concedatur, tantum hæc nihilominus malignitatis retinebit, vt pereat. Certum namque eſt, putredinem quamlibet cauſæ putrefacientis qualitatem, ſi ea naturæ aduerſaria exiſtat, quodammodo retinere. Sicut vinum vaſis, in quod infuſum eſt; odorem ac ſaporem, ſi quo imbutum inſigniter fuerit, recipit, ſic fere putreſcens humor putrefacientis cauſæ qualitatẽ ſuſcipit. Et, vt ſemel dicam, abſque putredine, qui in hac peſte obiret, neminem fuiſſe audio. Vbi medicamentũ plurimi ſunt reſtituti, talibus prope ſolis vſi ſunt, quæ & prohibere humorem putredinem, & putrefactos iam exigere cum aliter, tum vero maxime per ſudorem poſſent. Nihil hactenus magis profuiſſe in iſta vicinia intelligere potui, ſucco Caleodulæ a primo ſtatim principio exhibito.

Cæterum ſi per formam aliquis aërem impurum, humorem ac ſpiritus corrumpẽtem intelligat, fateor eo exacto pauciores ſupereſſe hoſtes. Verumtamen non formam iſti veneni; ſed malignæ putredinis efficientem cauſam tolli præcipiunt. Eam nos quoq; tollendam eſſe minime dubitamus. At ea ſublata nihilominus permanet in corpore putredo eadem ſpecie; paremq; cum effectrice ſui cauſa malignitatem obtinens. Puto ſane illos, qui primi ſudorem elicientia pharmaca ſub initium morbi præſcripſerunt, hoc in animo habuiſſe, aërem venenatum extra corpus exturbare. Hoc enim remanente, recte iudicarunt, reliquã curationem fore difficiliorem. Etenim ratio omnis docet, cauſam prius effectricem tolli debere. Porro educi aër nullo poteſt modo commodius & aptius, quam per ſudorem, vt nemo non intelligit. Ego profecto vel hac vna ratione motus, talia medicamenta (modo non ſint calida valde, ſed aut temperata, aut frigida, & præterea ſicca) vt quæ ſæpiſſime ſenſibiliter profuiſſe viſa ſint, non prorſus exiſtimem negligenda. Quamuis enim putrefactos humores ſtatim a principio talibus vacuari minime credam, attamen aërem impurum & vitiatos ab eo ſpiritus ſeu vapores, ſeroſas atq; tenuiores ſanguinis partes educi hoc pacto ſuſpicor. Quod ſi tunc exhibeantur, cum in his putrida qualitas ſolis, aut certe præcipue adhuc continetur, percurabitur fere his æger. Cum craſſiores iam comprehendit atq; adeo occupauit humores, prodeſſe etiam tunc poſſunt, ſi vires conſteot, tempeſtiue, quando, & quibus oportet, exhibita: At minus multo iuuant, quam pleriq; putant.

Ex prædictis haud eſt difficile videre, in ea me eſſe ſententia, putredini præcipue eſſe obſtandum, atque formam iſtam veneni nihil aliud eſſe, quam putredinis gradum quendam, id quod etiam Galeno aliisque præſtantiſſimis viris viſum eſt. Addam epilogi vice deſcriptionem aceti, quod D. Geſnerus plurimum profuiſſe illis, qui vſurparunt, ſcribit. Aſcripſi libentius, quia ita eſt compoſita, vt ſudorem moueat, nec calefaciat tamen, quod mihi ſane plurimum probatur. Vtile certe ſuſpicor eſſe, quamuis periculum ipſius non fecerim. Vale in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Amen. Die 7. Februarii, Anno. 1565.

CONRADVS GESNERVS.

Acetum deſtillari iuſſi cum Solano, Semperuiuo, Verbena, nucibus immaturis, &c. Hic liquor refrigerat & gratus eſt ſumentibus, per ſe, vel cum ſirupo aliquo roborante, ita vt ſubito refocillet ægrotos. Nuper cum virgo quædam tertio demum die conſilium a nobis peteret, acetum hoc dedimus, vnde cum melius circa cor habere cœpiſſet, ſudorificam poſtea potionem dedimus. Sudauit. Conualuit. Multis etiam aliis hoc acetum profuit. Huius vncia vna, aut ſeſqui mixta theriacæ, recentiori præſertim non adeo calefacit, & egregie mouet ſudorem.

EXCELLENTI ERVDITIONE ET PIETATE VIRO D. CONRADO GESNERO MEDICO TIGVRINO S. D.

THOMAS ERASTVS Medicus.

NOn eſt, cur ſingulare aliquod a me remedium expectes, vir doctiſſime, ad peſtiferas febres, quas apud nos quoque graſſari incœpiſſe vehementer & ex animo doleo. Sed eſt hæc calamitas nunc toti Germaniæ communis. Vix vllus locus, quocunque te vertas, a lue iſta vacuus reperitur. Et quo nondum peruenit, eo arrepere ſenſim deprehenditur. Vſus ſum anno ſuperiore medicamento D. Lucæ Gbyni, præceptoris olim mei, quod tibi deſcriptum mitto. Quo eum fructu, neſcio. Dicam ingenue, haud parum me conſecutum putem, ſi nemini obfuiſſet. Perpauci ex ea multitudine, quæ occubuit, vſi vel hoc, vel aliis ſunt remediis. Et qui vſi ſunt, pleriq; omnes, vbi iam minus conſtare vires incœpiſſent, manum medicam implorarunt.

Sum in præſentia magis dubius, quam vnquam fuerim. In cauſa eſt, quod nullam vnquam peſtem aliam vidi, vt Medicus. Nam cum anno 1542. ſi non fallit memoria, Baſileæ me corripuiſſet, parum mihi tunc iſta curæ erant, vt qui animum ad hæc ſtudia nondum appuliſſem, imo ne cogitarem quidem hiſce operam nauare. Proinde quæ ante annum me putabam ſcire, hoc anno me ignorare libenter fateor. Etſi enim hic non remanſi, ſed cum Illuſtriſſ. Principis cõſilio Moſbachium profectus ſum: ea tamen audiui, & per alios obſeruaui, quæ me non immerito dubium reddiderunt. Quæ ideo commemoro, vt intelligas, me non ita promte & breuiter ad quæſtiones a te mihi propoſitas reſpondere poſſe. Cogitaui hiſce aliquot diebus, quantum per negotia licuit, diligenter, & quid cogitarim, ad te perſcribam. Deinde vero, vt non mireris, quod nullum tibi medicamentum, tanquam pręſens ac certum peſtis remedium, laudo ac prædico. Ambigo certe, an decantata illa a multis remedia tanta efficacitate huic malo reſiſtant, quanta reſiſtere dicuntur.

Ergo de venæ ſectione, de qua primo loco, quid ſentiam, cognoſcere cupis, ante omnia dicam, deinde ſimiliter de aliis. Accipi omnia debent de febre peſtilente ſeu peſte, quatenus ſola eſt, vel cum bubonibus, anthracibus & maculis: non quatenus vel pleuræ inflammationem, vel alium quempiam morbum ſimilem ſecũ habet, cuius ratione ſanguis videatur mittendus eſſe. Georgius Agricola, vir excellenter doctus, ſcribit in libro ſuo de peſte: *Veteres Græcos in curatione febris peſtilentis, quam aliâs peſtem & peſtilentiam nos, λοιμὸν illi vocare ſolent, nec purgationis, nec venæ ſectionis meminiſſe. Sunt qui Raſim, experientiſſimum inter Arabes Medicum, vtrunq; hoc remedium ſimiliter ſilentio inuolniſſe affirment.* Quod ſi eſt ita, non peſſime fortaſſe quæritur, an in peſte vena ſecanda ſit. Quamuis enim recte inuentis poſteriores haud pauca recte addiderunt: vix tamen mihi perſuadeo, ſummos viros hoc remedium, quo tam familiariter in omni febre putrida curanda vſi ſunt, quoque vt præcipuo ſemper auxilio magnopere confiſi ſunt, tacite præterituros fuiſſe, ſi vtile & ſalutare cognouiſſent. Niſi forte iccirco nihil de eo prodidiſſe credantur, quia neminem de hac re dubitaturum iudicarent, vt qui has etiam inter putridas connumerarint, ideoq; ſimilibus eas medicamentis curari voluerint.

Quinetiam Galenus in 1. cap. libri de cibis boni & mali ſucci palam videtur probare, aut ſaltem non damnare venæ ſectionem in peſte, dummodo virium imbecillitas abſit. Laudat ergo medicos, quod in ea peſte, quę tum graſſabatur, & ex vitioſorum alimentorum vſurpatione orta fuerat, ſanguinem non miſerint. Etenim non poſſunt conſtare vires, vbi tanta prauorum ſuccorum multitudo in corpore aceruata eſt. Cum vero in humoribus inſigne vitium nullum cernitur, ac nihilominus propter aeris labem ſeu corruptionem, a quacunque tandem cauſa ea profecta credatur, plurimos peſtis inuadit ac iugulat, minus fortaſſe imbecilles ſunt per initia morbi ægrotorum vires. Quæritur ergo, quid in tali peſte faciendum cenſuerint veteres, cum præſertim in principio libri ſecundi de Natura humana neque Hippocrates, neque Galenus venæ ſectionem aut purgationem inter peſtis remedia percenſuerint.

Puto ſane, quia nihil certi apud hos iſta de re inueniretur, in tam diuerſas abiiſſe iuniores medicos ſententias. Nam fuiſſe aliquos legimus, qui ſemper a principio venam tundi voluerunt. Rationem ſententiæ ſuæ hanc attuliſſe ſcribuntur, quia humores in corde, vel propinquis cordi partibus putreſcerent, quo in loco raro alii a ſanguine humores reperirentur.

Addi

Addi hoc etiam poteſt, quod hæc febris maxime omnes ſimul humores, non vnum tantum, vt aliæ putridæ, inquinare ſiue putrefacere nata eſt.

Alii quidam, nulli ſanguinem mitti facile concedunt, cui non ad animi deliquium vſq; detrahatur. Extremis, aiunt, morbis extrema remedia conuenire. Huic tam copioſæ vacuationi vt plurimum corporis refrigerationem, ſudorem, & alui profluuium ſuccedere, & ſic venenum ex corpore, ſiue in corde, ſiue in proximis ei venis contineatur, ſimul totum educi. Nec alia ratione facilius ac melius ægris conſuli, propterea quod humores in corde, vel propinquis ei partibus putreſcentes extrahi non poſſint per minorem vacuationem.

Fuerunt deinde alii quidam, & hodie quoque non prorſus nulli reperiuntur, qui numquam in his febribus venam ſecant. Non poteſt, inquiunt, cauſa mali, quæ in partibus ſeu venis cordi proximis continetur, per ſectam venam educi. Quapropter euacuantur boni ſucci vna cum ſpiritibus, ac mali interim in corpore relinquuntur. Vnde eſt neceſſe, ægros, naturali calore imminuto, viribuſq; labefactatis, interire. Quinetiam experientia ſe didiciſſe aiunt, omnes propemodum, quibus in peſte aliquando vena fuit aperta, occubuiſſe, plures multo ex illis, qui ſanguinem non miſiſſent, ſanitati reſtitutos fuiſſe. Permiſceri quoque bonum ſanguinem in illa agitatione cum putreſcentibus humoribus, & ſic venenatam qualitatem longius porrigi. Etenim humores, qui forte quieti in vno aliquo loco permanſuri, naturæque viribus facilius ceſſuri videri poterant, proximum ſanguinem contaminare, longe lateque ſeſe diffundere, & certo cum periculo ægrotantis ad cor propius nonnumquam pertrahi. Inprimis vero deterrere nos a venæ ſectione debere inſignem virium imbecillitatem, qua præſente ani futura, omnes præclari medici ſanguinem mittere prohibuerint. In his autem febribus, aut mox ab initio vires maxime imbecilles eſſe, aut paulo poſt ſubito collapſuras, quæ in præſenna conſtare adhuc iudicantur. Iubere etiam Galenum in Comment. 2. Aphoriſ. 29. Vt in exitialibus morbis nihil moueamus, ſed vt finem tantum prædicamus.

Patrocinari his illud etiam putatur, quod Galenus in Comment. 3. lib. Epid. 3. declaratione 58. particulæ, ſcribit, omnes in peſte illa magna, & fere ſolos ſuperſtites fuiſſe, qui ſeipſos ad comedendum coëgiſſent. Ex hoc loco omnes medici poſtea conſuluiſſe videntur, vt ægri viriliter edant. In cauſa eſt, quod peſtifera febris vna maxime ſpiritus corrumpit, diſiicit, perdit. Quos quia nouos & bonos ex probo & idoneo alimento generari ſubinde oportet, cum alimētum aurapta materia in corpore nulla ſupereſt, corrupto ſcilicet circa cordis regionem ſanguine, neceſſarium eſt, vt ex ingeſto cibo talis procreetur. Conſtat namque hanc febrem vel ſolam, vel certe omnium maxime ex corrupto ſanguine venarum & cordis naſci. Quoniam ergo æger ob hanc quoque cauſam cogendus eſt ad ſumendum cibum, parum ſane fuerit rationi conſentaneum, ſpiritibus pabulum, id eſt, ſanguinem nondum infectum per venæ ſectionem ſubtrahere. Vbi namque de ſufficiendo bono ſanguine laborandum eſt, haud recte is qui adeſſe potuit, detrahitur. Suſpicor Raſim, cuius non immerito ſumma eſt inter Arabes authoritas, in hac eadem opinione fuiſſe, iiſdemq; rationibus permotum, nec venæ ſectionem, nec purgationem in harum febrium curatione imperaſſe.

Perfacile, qui ſic ſentiunt, ad Galeni locum, qui in lib. 11 Methodi cap. 15. habetur, ſaluberrimam eſſe in omni putrida febri ſanguinis miſſionem, reſponderint. Etenim Galenum non de hiſce, ſed aliis putridis locutum dicent, aut ſaltem conſiderandum reſpondebūt, quod ab eo adiectum eſt, *Siquidem nihil vetet.* Vetare autem virium imbecillitatem, quarum ante omnia ſit ratio habenda. Quoniam facillime in his febribus morbo ſuccumbant, & nonnunquam ſubito reſoluātur. Proinde præſtare, vt ſanguis, proprium videlicet partium nutrimentum, & conuenientiſſima ſpirituum materia non euacuetur, ſed hoc potius agatur, vt apta & idonea, pro eorum generatione materia largiter & copioſe ſuppetat.

Poſtremo ſunt adhuc alii, quorum & ego ſententiam, veluti rebus maxime conſonam, modis omnibus approbo, qui ſanguinē ſolis illis, qui eo abundant tunc cum nihil impedit, detrahi iubent, præſertim vero, ſi per ſanitatem aſſueti ſint venæ ſectioni, aut conſuetus ſanguinis fluxus ex naribus, vtero, aut alia quadam parte cohibitus fuerit. Cæterum plurima in his febribus accidunt, quæ ſanguinis miſſionem prohibere poſſunt, qualia ſunt, nauſea, fluxus ventris, animi deliquium, & huius generis alia. At illis, qui non ſanguine, ſed humoribus aliis venas habent plenas, quos κακοχύμυς medici appellare ſolent (quorum fere ſemper peſtis tempore longe maximus eſt numerus) purgationes, conſideratis ſimiliter circumſtantiis, præcipiunt. Huic ſententiæ præſtantiſſimi omnes Medici, antiqui & recentiores, Græci & Latini cum pleriſq; Arabibus, aſſenſerunt. Nititur ea rationibus firmis, & rei naturæ conſentaneis, vt poſtea intelligetur. Nunc ante dictarum opinionum firmamenta breuiter examinare libet.

Primi omnibus mihi modis peccare videntur. Non enim intelligere poſſum, quid prohibeat, quo minus etiam cacochymi, qui parum boni & puri, multum autem habent vitioſi

ſanguinis in toto corpore, peſte quouis tempore corripiantur. Quinimo hi plerumque præ cæteris tunc periclitantur & numero cæteros facile multumq; ſuperant. At quis ſanæ mentis medicus, hos potius detracto per ſectam venam ſanguine, quam per pharmacum vacuare tentet? Haud recte ab illis dicitur, in peſte tantum in corde, aut vicinis cordi venis, contẽtum ſanguinem putredine affici. Sæpiſſime alibi corrumpitur primum, indeque ad cor arrepit labes. Fit hoc alias ſenſim, alias breui admodum tempore, cum videlicet ſubito & inopinato metu percellitur animus. Sic quibuſdam terror peſtis, putridos ſpiritus ad cor attraxit, qui abſente illo metu, & perturbatione hinc orta, tardius illò peruaſuri fuerant.

Quod ſi certo ſemper ſcire poſſemus, in qua parte, & quando ſanguis corrumpi exitiali iſta putredine incœpiſſet, atque ex eo poſſet loco vel totus, vel pars aliqua corrupti iam ſanguinis, priuſquam ad cor penetraſſet, elici: non dubium eſt, quin ſanguinis miſſione tunc plerumque æger percurari, aut certe plurimum iuuari poſſet. At vero nos vt plurimum non ante peſtis ſemina in aliquo eſſe nouimus, quam ſebrem adeſſe ſentiat. Sentit autem eandem citius, cum per terrorem ſpiritus ad cor reuocantur, & cum bonis vna vitioſi eodem adducuntur. Accidit aliquando vt qui peſtiferæ ſebris ſeminaria in ſe haberet aliqua, funeri obuius fieret, atque ex metu peſtis, non multo poſt in eam ſebrem incideret. Exempla plurimorum recitari poſſent, ſi res poſtularet, qui omnes ſerius ſebrem perſenſiſſent, ſi non per metum ſiue terrorem putridi ſpiritus ad cor ipſis attracti fuiſſent. Inſcite, meo quidem iudicio, creditur a nonnullis, terrorem peſtis aut imaginationem peſtem in corpore bene ſano, & a putredinis malignæ fomentis libero, procreare poſſe. Sed hac de re alibi a nobis eſt diſputatum pluribus: neq; hîc percenſere argumenta neceſſe eſt, quibus ita ſentientes confutari poſſunt.

Non eſt verum, quod præterea aiebant, ſanguinem circa cor collectum meliorem ac puriorem eſſe eo, qui in cæteris partium corporis venis continetur. Nõ enim video, cur non æque poſſit impurus eſſe in finitimis cordi venis, atq; in remotioribus. Poſtremo perperam exiſtimare videntur, ideo ſemper nos ſecare venam, vt corruptum educamus ſanguinem. Optandum quidem hoc foret, ſi fieri ſemper poſſet. At frequenter admodum fieri, non poteſt. Quin aliquando per eum locum educimus, ad quem ſimiliter corruptum ſanguinem, ſi alio in loco putruerit, confluere nequaquam velimus.

Qui ad animi deliquium vſque detrahere iubent, ii compendioſam quidem minimeque difficilem viam ad ſanitatem monſtrant. Vtinã æque facile docere poſſent, tam eſſe eam ſecuram, quam eſt breuis. Quis nos certos reddet, per largam iſtam ſanguinis detractionem, putridum omne, quod forte relinquitur in venis, per ſudorem atque aluum, abſque pernicie ægroti, vacuandum? Si vel minima aliqua particula remaneat in venis, an non ea proſtratis iam viribus ſanguinem vniuerſum inficiet, atq; ſic ægrum perdet? Non fuit hæc mens Hippocratis, cum extremis morbis extrema remedia congruere dixit. Plus præſidii apud Galenum in 14. Metho. cap. 10. quo in loco copioſam iſtam ſanguinis miſſionem in peſtifero carbunculo approbaſſe cenſeri quibuſdam poteſt, habituri videbantur. Veruntamen hic quoq; generalis regula locum habet, ſi vires patiantur, atque aliud nihil prohibeat. At prohibent vires mox collapſuræ in tam pernicioſo morbo, vt cætera taceam. Illud potius ex citatis Galeni verbis colligatur, licere ex ipſius ſententia nonnunquã febre laborantibus peſtifera venam ſecare, quamuis ad animi vſq; defectum detrahere non liceat.

Maioribus viribus opus habemus contra illos, qui nunquam recte mitti ſanguinem in peſtiferis hiſce morbis opinantur. Nam & autoritatibus ſubnixa, & rationibus fulcita eorum videtur opinio. Et, quod me præcipue mouet, experientia inprimis nituntur, qui ſic ſentiũt, eamque ſuæ opinionis faciunt patronam. Profecto niſi fuiſſem nimis ſæpe expertus, falſo experientiam plerumq; prætendi, in hac mihi ſententia putauiſſem acquieſcendum eſſe. Cæterum refellitur hæc quoque cogitatio ſeu imaginatio non contemnendis ac leuibus argumentis. Plurimum quidem oppugnat eam Galeni, & præſtantiſſimorum omnium medicorum autoritas. Deinde docet aperta ratio, argumenta, quibus ea nititur, inutilia eſſe.

Quod ad Galenum attinet, duos iam locos protuli: vnum ex 1. cap. libri de boni maliq; cibi ſuccis. Alterum ex 14. Meth. Medend. cap. 10. Vtrobiq; oſtendit Galenus, ſanguinis miſſionem ſe probare, ſiquidem vires non lædat. Qui attente Commentarios in lib. Epidem. Hippocra. conſcriptos perlegere volet, plura inueniet teſtimonia, ſi teſtimoniis Galeni contentus eſſe poſſit. Oribaſius in libro de Cucurb. & ſcarificat. cap. 20. (impreſſa ſunt hæc cum
» Latinis Galeni operibus apud Iuntas Venetiis) ſic ſcribit: Et ſane dum peſtilentia vehemens
» Aſiam deprehendiſſet, multoſq; perdidiſſet, meq; etiam morbus attigiſſet, ſecunda morbi die
» remiſſione febris facta, crus ſcarificaui, duaſq; fere ſanguinis libras detraxi, hacq; de cauſa pe-
» riculum vitaui. Pleriq; etiam alii hoc præſidio vſi, ſuperſtites euaſere. Erant enim plenitudinis
» ſigna. Illiq; præcipue ſaluabantur, qui ſanguinem copioſum exhauriebant.

Paulus Ægineta lib. 2. cap. 36. & Aëtius in ſermone 1. Tetrabibli. 2. cap. 94. ex Rufo hæc

verba

verba habent: *Quibus ſanguis abundat plus æquo, vena ſecta detrahito.* Eadem fere Oribaſius ex eodem Rufo transſcripſit in Synopſeos ſuæ librum 6. cap. 25. Citaui Rufi verba eo libentius, quod veteres Græcos non abhorruiſſe a ſanguinis miſſione in peſtiferis febribus manifeſte probant. Anteceſſit enim ætate Galenum Rufus, cuius teſtimonio hi nituntur. Parum probabile eſt, quod hîc a quibuſdam dicitur, Rufum non de Curatione, ſed de præſeruatione loqui. Si hoc ſit verum, conſectarium eſt prorſus, Oribaſium, Æginetam, & Aetium ſimiliter intelligendos, vt qui verbis Rufi vtantur, & ex ipſo ſua transſcripſerint. At vero verba, quæ in vtroq; leguntur, & mox poſt illa, quæ citauimus, ſequuntur, planiſſime demonſtrant, Rufum de curatione agere, quicquid tandem Raſis ſuper hac re diſputauerit, aut quomodocunque ipſe intellexerit. De Auicenna & Auerroë (cæteros Arabes non legi, quare nihil de ipſis affirmo) res eſt nota. Proinde non poterunt hi ſe tueri autoritate antiquorum, qui ferme cuncti nobis fauent.

Non loquor in præſentia de febre peſtilente priuatim ſic dicta, quæ ſcilicet abſq; peſte in quibuſdam naſcitur. In hac ſanguinem aut numquam mittendum eſſe, aut certe quam rariſſime, præclare ſcio. Oritur enim hæc ex inſigni cacochymia, abſque, externa cauſa tali, qualis in peſte intelligitur, humoribus ad veneni quandam naturam permutatis. Quocirca non niſi in paucis reperiũtur (niſi fames præceſſerit, aut alia quæpiam ſimilis cauſa generalis) nec adeo ſunt contagioſæ, vti eæ ſunt, quas aëris vitium, communiſue cauſa excitauit in vera peſte. Vires in talibus plerumque conſtare non poſſe, nemo ſanus neſcit. Ideo Galenus in lib. de cibis boni ac mali ſucci Medicos laudat, qui paucis ſanguinem miſerũt. Aliquibus miſſum fuiſſe ex lib. de atra bile ſatis oſtenditur.

Meminit huius diſcriminis (ſcilicet peſtis, & febris peſtilentialis, quæ extra peſtem aliquos priuatim inuadit) Galenus in duobus locis: quorum alter extat in tertio de præſagio ex pulſibus cap. 4. vbi ſe ita ex inſigniorum Medicorum ſententia diſcernere aſſerit. Alter in Comment. 3. ſup. lib. 3. Epid. in textus 57. expoſitione habetur, quem, quia ad rem propoſitam conducit plurimum, adſcribere placuit. ἡ δὲ σύντηξις τὰ κενώματα, καὶ τοῦτ' ἔοικεν ἀχώριστον εἶναι σύμπτωμα τῶν καλουμένων λοιμωδῶν πυρετῶν, ἰδίως καταλαμβάνοντος τοὺς ἀνθρώπους, καὶ χωρὶς λοιμοῦ. Quod ſi ergo eſt proprium huius febris ſymptoma colliquatio, non temere certe venæ ſectio fuerit vſurpanda in huius curatione.

Neq; plus eos iuuant rationes, quas adducunt, quam iuuare anthoritates oſtenſum eſt. Noſtram certe ſententiam non oppugnant. Quoniam tunc ſolummodo venam tundimus, cum & vires conſtant, & ſanguis redundat, naturæque oneri magis eſt quam vſui, & præterea æger venæ ſectioni aſſueuit. Nec temere tamẽ poſt elapſum primum diem aperimus venam, quod ſuſpectam habeamus tunc vitium conſtantiam. Quis ſanguinem, qui naturæ in pugna contra exitialem putredinem occupatæ & diſtentæ impedimento eſt, non ſublatum detractumque volet? Certe eo detracto, alacrior & robuſtior efficitur, atque vni malignæ putredini totis reſiſtit viribus, onere altero leuata. Sic dum ſuccumbere eam a duobus oppugnatam hoſtibus neceſſe erat, ſæpenumero contra & præter omnium expectationem victrix euadit, venenumque profligat. Proinde multitudinis, ſiue ad vaſa, ſiue ad vires æſtimetur, partem auferimus, quo reliquos humores facilius regat, nec putreſcere eos ſinat, quod euenire tunc eſt neceſſarium, cum omnibus regendis propter copiam non ſufficit.

Deinde, quamuis obſtructio & exitialis putredo per ſanguinis miſſionem non ſemper tollantur, inducimus tamen per eam corpori frigiditatem, exiccationemque, quibus putredo non omnino nihil cohibetur & hebetatur. Rareſit per eandem corpus, & commodius perſpirant ſucci pernicioſi, iidemque facilius vincuntur, concoquuntur, ac reſoluuntur. Quibus rebus cum in harum febrium percuratione vnice indigeamus, optima ſane ratione abundantem ſanguinem emittimus. Cauendum nihilominus ſedulo dicimus, ne alimentum ſpiritibus, quos perpetuo nouos procreari ex incorrupto ſanguine oportet, vlla ex parte adimatur. Quamobrem non incommodat huiuſcemodi ſanguinis miſſio, nec vires proſternit, ſed maxime prodeſt, & vt vires minus lædantur a periculoſo morbo, efficit. Minus enim ab vno, quam a duobus ſimul hoſtibus, omnino oſtenduntur.

Galenus præcipit quidem, vt deploratos ſinamus: at nullo in loco iuſſit peſte affectis nullam afferre medicinam. Omnia ipſius monumenta contrarium pêrſpicue probant. In 9. de Simpl. Medic. facult. non Armeniam modo terram, ſed alia quoque plurima ægris remedia adhibita fuiſſe commemorat, quamuis præter nominatam nuper terram nihil aliud conferre videretur. Idem ex 14. Method. vbi peſtilentiæ eiuſdẽ grauis ac diuturnæ meminit, intelligi poteſt, quemadmodum ex 1. cap. lib. de cibis boni & mali ſucci, atque ex libro de atra bile etiam cognoſcere licet. Conſtat quin que non omnibus in peſte quaſlibet fruſtra medicinas afferri. Quapropter non de peſte laborãtibus abſolute, ſed de illis loqui cenſendus eſt, qui deplorate iam ægrotant, quoſque perituros conſtat, ſiue peſte laborent, ſiue alio quouis morbo lethali premantur.

Cæterum quando pernicioſi humoris pars ad glandulas depoſita eſt, modo fieri a nobis poſſit, eam ſemper eligimus venam, per quam ſanguis nō ad cor adducatur, ſed ab eodem longius ad affectam partem deriuetur, ſicq; minore periculo æger laboret. Admoueri etiam tumori bus cucurbitulas, vel alia medicamenta ſimilem poteſtatem obtinentia, recte iubent medici diligentiores, ne expulſus humor in venas regredi retrahiue per venarum ſuctum poſſit. Quamquam non multum periculi hic eſſe videam, in plenis præſertim corporibus, niſi præter & ſupra modum venæ inaniantur, id quod maxime caueri oportet. Cum circa inguina tumores exoriuntur, poplitum, ſiue crurum. ſiue pedum venas ſecamus, aut certe cucurbitulas cum ſcarificatione, vt ex Oribaſio dictum eſt, cruribus affigimus. Quod cum facimus, non ad cor putredinem adducimus, ſed ab eo potius ad inguina abſtrahimus.

Plus fortaſſe periculi eſt in maculis, vel exanthematis, quas a peſte Peſtichias vocandas Maſſa putat. Etenim licet aliud nihil eſſe videantur, quam pars putreſcentis humoris tenuior, ſeu potius vapor quidam ab eodem exhalans, non tamen reuocari eam materiam in venas vtile fuerit. Certum eſt, eas naturam ſanguinis, cuius ſunt expirationes quædam, adhuc retinere. Quippe pro natura ſanguinis putreſcentis & putredinis modo variant in ſubſtantia & colore. Quoniam ergo conſtat, ſanguinem ex venis excluſum, magis ſemper corrumpi, verendum certe eſt, ne iſti vel humores, vel halitus ad venas retracti, contentum in ipſis ſanguinem peſſime afficiant. Arbitror non inutiliter ſanguinem, qui ad cutem hoc modo peruaſit, vel cucurbitularum appoſitione, vel fricatione ac inunctione medicamentorum facultatem rarefaciendi, diſcutiendi, ac leuiter ex profundo ad ſuperficiem attrahendi poſſidentium, vacuari, prout vires magis minuſue conſtant. Veruntamen raro hæ in peſte maculæ primo ſtatim die apparent, quo elapſo, non frequenter ſectioni venæ locus datur. Hæc enim conſtantibus adhuc viribus, hoc eſt, mox ab initio febris adhibenda eſt. Quocirca non admodum impediunt iſta exanthemata venæ ſectionem.

Hæc, & huius generis complura alia, non modo ſecandam interdum venam probant, verumetiam rationes contrariam ſententiam defendentium friuolas eſſe monſtrant. Quanquam ingenue fateor, me, ſi in alterutram partem peccandum foret, cum illis peccare malle, qui non mitti volunt, quam cum illis, qui tunc mittere audent, cum neceſſitas nulla flagitat. Puto namq; non frequenter opus eſſe venæ ſectione in correptis iam peſte. Aut enim non redundat ſanguis, aut tardius adhibetur remedium, aut reliquæ circumſtantiæ non ſinunt. Plus hic audaciam, quam timiditatem nocere arbitror (licet neutra medicum deceat) niſi ab initio ſtatim ſecetur, & is, cui ſecatur, ſanguinis miſſioni ſeipſum antea aſſueſecerit. Equidem vna fere conſuetudo præſtare videtur, vt noſtris hominibus venæ ſectio in hoc morbo minus nocere videatur. In hac peſte prorſus multi ex ruſticis vicinorum pagorum nullo alio remedio periculum effugerunt.

Porro, vbi non ſanguis ſed alii humores praui redundant, purganti leniter pharmaco, a quo inutiles humores citra corporis agitationem educantur, vti ſolemus. Quamuis enim propter alui profluuium, imo colliquationem, quæ nonnunquam peſte affectis accidit, minus tutum aliqui iudicent hoc remedium, non difficile tamē erit prudenti medico recte ipſo vti. Non eſt verum, quod quidam ſenſiſſe vidētur, colliquationem proprium & inſeparabile eſſe peſtilentis febris, de qua nunc loquimur, ſymptoma. Non huius, ſed illius, quæ priuatim ita dicitur, ac citra peſtem quoſdam apprehendit, proprium ſymptoma Galenus dixit. Quanquam minime negem, idem frequenter peſte laborātibus accidere, ſicut in hac præſenti permultis contigit. Attamen multo plures huiuſmodi nihil perpeſſi ſunt. In cauſa eſt, vt ego quidem iudico, quod non omnes ſimiliter corpora prauis ſuccis referta habuerunt, ac multi non peſſime affecti propter cōtagium correpti ſunt, quibus cacochymia nihil mali intuliſſet. Vbi ſuſpicio eſt, in corpore cacochymiam eſſe, quæ irritari a medicamento purgante facile poſſe credatur, cauendum certe fuerit, ne præparati ad fluxionem humores agitentur.

Nunc de ſudoris prouocatione aliquid dicam, de qua magis ſum dubius. Non eſſe eum ab initio morbi, vt hic pleriq; omnes faciunt, calidis valde medicamentis eliciendum, multa demonſtrare videntur. Si de medicorum, non antiquorum modo, ſed recentium quoq; ſententia quæſtio decidenda ſit, lis iam dirempta eſt. Conſtat enim ex antiquis illis præcellentibus medicis, nullum hoc aut feciſſe, aut conſuluiſſe.

Ex recentioribus (non de imperitis, qui potius Empiricorum more, quam ratione artem exercent, ſed de eruditis & doctis hic loquor) nulli etiam, exceptis perpaucis, iiſque noſtratibus fere, aliquid tale imperaſſe inueniuntur. Oribaſius, Paulus, & Aetius ex Rufo vacuationem per vrinas, & totam corporis molem, ſi res flagitet, præcipiunt quidem, at non ſtatim a morbi inuaſione Venam prius ſecant, aut medicamento aluum ſubducunt. Deinde vero ſignis aliquibus coctionis apparentibus, quantumuis obſcuris, vrinas cient, ſudoreſq; prouocant, vt reliquiās putredinis hoc pacto educant. Vix mihi perſuadeo, ipſos in hac febre, in

qua

qua præcordia magno æſtu tenentur, & in qua leuis error certiſſimum affert exitium, præcalidis illis medicamentis, quæ nunc plurimi in frequentiſſimo vſu habent, violenter ſudorem prouocauiſſe, aut prouocare alios voluiſſe. Etenim frigidis, exiccantibus, abſtergentibus, incidentibus, paſſim vti nos iubent.

Auicenna, qui ex Græcis omnia ſua transſcripſit, ne quidem Ruſi medicamentum putauit in curatione vſurpandum, ſed in præſeruatione tantum concedit. Quin & in 4. lib. Canonis. Fen. 1. Tract. 4. cap. 5. odores etiam calidos improbat. Galen. in 9. de Simpl. facult. cum de Armenia terra diſſerit, non audebat eam, quanquam nihil poſſideret caliditatis, in vino, niſi valde diluto & aqueo, febricitantibus exhibere. Quomodo ergo vehementi febre conflictatis calidiſſima medicamenta, vt iis per vim ſudorem euocaret, præſcripſiſſe credi poterit? Equidem in genuinis ipſius operibus nihil tale inueniri poſſe arbitror. Quæ de Theriaca ad Piſonem & Pamphilianum leguntur, poſtea conſiderabimus.

De recentioribus medicis non eſt res ignota & obſcura. In Italia per annos vndecim totos, præceptores meos, viros ſummos & experientiſſimos, diligenter & ſæpe de cura huius febris interrogare ſolitus fui, quod vehementer certi aliquid cognoſcere cuperem: at nihil aliud expiſcari potui, quam vtendum poſt vacuationem frigidis, & exiccantibus medicaminibus abſque inſigni adſtrictione, illis præſertim, quæ a poteſtate occulta venenis reſiſterent. Habendam rationem virium, corroborandum cor modis omnibus, & extinguendam eſſe putredinem. Legi poſtmodum multorum de hac re commentarios. Apud nullum, quod ſciam & meminerim in præſentia, ſudorem a principio morbi calidis euocandum eſſe medicinis legi. Vnus D. Lucas Ghynus huiuſmodi quippiam, vt mox dicam, laudabat. Noſtrates medici nihil habent vſitatius, imo ſi hæc negligantur, nõ recte curari ægros ſibi certo perſuaſerunt. Hoc inde adeo euenire opinor, quod venenum ſe depellere, manente nihilominus putredine, male crediderunt.

Quod ſi rationibus res eſt explicanda, non poteſt non abſurdum videri, ægrum ab initio ſtatim morbi, pannis contectum, calidiſq; medicamẽtis hauſtis ad ſudorem cogere. Non enim negari poteſt, violentos ſudores non modo grauibus morbis oppreſſos, verumetiam ſanos mirifice debilitare. Galenus in 2. ad Glauconem cap. 14 etiam robuſtos, cum ægrotant; ex ſudore copioſiore in animi deliquium incidere ſcribit. Hic autem ad duas, tres, atq; adeo plures horas ægrum iubent ſudare, acutiſſimo & periculoſiſſimo laborantem morbo. Certum eſt in ſudore tam longo & præterea coacto, plurimos omnino ſpiritus reſolui. Relinquitur ergo ſudorem coactum, & virtute calidorum medicaminum prouocatum non ſine magno periculo in pernicioſo iſto morbo, qui ſæpe corpus repente exoluit, ac vires omnes proſternit, imperari.

Galenus alicubi vere ait, ſudores in crudis morbis nec prodeſſe, nec boni ſigni rationem habere. Et quidem de illis ſudoribus id dicit, qui vi morbi, nullo ad eam rem epoto pharmaco eueniunt. Minus, puto, boni eſſe poſſunt, quos medicamentum calidum in exitiali & crudo morbo violenter exprimit. In tempeſtate 3. Com. 2. in 1. Epid. declarat. textus 75. pernicioſum aſſerit in ardentibus febribus per initia ſudare. Neque de aliis ardentibus loquitur, quam peſtiferis, quas corruptus aër procreare potuit. Vidi ego aliquando idiotas putrida febre affectos cogere, vti pannis bene contecti pluſculum ſudarẽt, eoſq; hoc pacto in magnum vitæ periculum adducere, vbi prius nullum erat. Ac certum eſt inde hoc accidiſſe, quod ſpiritus fuiſſent reſoluti, cauſa autem morbi vacuari non quiuiſſet. Si in non periculoſis hoc febribus vſu venit, ad quas perferendas corporis vires longo tempore ſufficiunt: quid in exitioſa hac & maligna fieri oportet, quæ paucarum ſæpe horarum ſpacio vires omnes ſubito labefacit? Nullus adeo eſt demens & rudis, qui non a ſudoribus iſtis ægros vehementer frangi ac debilitari intelligat, tunc etiam, cum aut nullis, aut frigidis medicamentis elicitur. Multo, arbitror, magis nocere eos oportet, cum in lethali febre calidis medicamentis violenter euocantur.

Præterea norunt omnes, per ſudorem tenuia ſolum & aquoſa excrementa in corporis habitu collecta, cum ſpiritibus vacuari, dum adhuc crudus eſt morbus. Sane Galenus hoc in locis propemodum infinitis, ratione ſimul cum experientia atteſtantibus, docuit. Hac de cauſa videri poteſt in 3. Apho. 15. aſſeruiſſe, euacuationem per balnea factam paruam eſſe, ſolamque ferme cutem expurgare, per carnes & ſolidas partes diſperſa excrementa nequaquam educere, ob eam videlicet cauſam, quod craſſiora exiſtant, quam ſudorum materia. Ergo calida iſta medicamina, dum ſanguinem agitant, inflant, & quaſi fermentant, ſiue intumeſcere faciunt, ſpirituſq; impellunt & exigunt, quid, quæſo, aliud efficiunt, quam putredinem augẽt? Si in ſeroſa tantum, & tenuioribus ſanguinis partibus venenata ſemper conſiſteret putredo; ſicut aliquando eam conſiſtere non nego, non male fortaſſe ſudorifica ab initio omnibus offerremus. Iam cum in craſſa ſubſtantia ſanguinis, non in ſero ſolo impreſſa eſt, ſine fructu per

ſudores educere eam tentauerimus forſan, priuſquam eſt extenuata. Multo namque craſſior eſt ſanguis, & longius, qui in venis cordi propinquis continetur, a cute diſtat, quam vt per eam diſſipari poſſit.

Tam etiam ſubita & improuiſa eſt in hac febre virium diſſolutio & extinctio, vt plerunque inopinato concidant, & ſic derepente moriatur æger. Certe hoc omnibus fere in peſte morientibus accidit, vt tunc moriantur, cum adhuc mediocriter habere putantur, propter repentinum virtutis vitalis caſum, & ſpirituum celerem reſolutionem. Vix euadunt, qui non conueniente cibo & potu, etiam præter voluntatem ſumpto, materiam eorundem generationi præparant, vt ſupra declarauimus. Niſi ita faciant, haud ſuppetit ſatis multa & idonea pro ipſorum inſtauratione. Proinde non recte coguntur tūc ægri ſudare, cum ſanguis bonus non eſt a malo ſecretus, & ex æquo bonum & malum vna cum ſpiritibus vacuari neceſſe eſt, imo cum plus ſpirituum, quam praui humoris, diſperdi oportet. Sane ſpiritus per ſudores affatim & copioſe vacuari, ſatis indicant proſtratæ afflictæq; poſt largum ſudorem vires. Craſſi & inquinati ſanguinis nihil, aut particulam exiguam educi, probant accidentia, quæ fere omnia fiunt poſt ſudorem deteriora. Neq; poſſunt corrupta tantum per ſudorem vacuari, propterea, quod vtilia ab inutilibus nondum ſecreta ſunt, vt illa quidem retineat natura, hæc autem expellat. His coniungitur altera illa difficultas, quod videlicet non ſua ſponte, ſed coacta ſudores iſtos exprimit.

Clarius intelliget rem, qui nihil ex venis per ſudorē expurgari didicit, niſi quod in corporis habitum effuſum, ibidemq;, ſi craſſiuſculum exiſtat, extenuatum ſit. Argumēto ſunt cum aliæ putridæ febres, tum vero maxime ardentes. In his enim febris cauſa nō ante rigorem, hoc eſt ante putridæ bilis ex venis effuſionē, eiuſdemq; per carnoſas partes diſperſionem, vnde rigor naſcitur, per ſudorem vacuantur. Neq; ſtatim poſt rigorem, ſed poſt horas aliquod demum conſequitur ſudor vtilis & ſalutaris. Quippe attenuari effuſam bilem a largo calore, qui mox rigori ſuccedit, prius oportet, inque vaporem conuerti. Aliter per ſudorem eiici nequit, vt in regio morbo laborantibus manifeſte apparet. Non enim poteſt in his bilis flaua, quantumuis tenuis, per cutem totam penetrare, niſi temporis aliquo ſpacio ibi hæſerit, & magis extenuata fuerit.

Adde quod in peſte haud multi per ſudores iudicantur. Qui euadunt omnes fere per decubitum humoris craſſi vel ad glandulas, vel ad alia loca, liberantur, aut per copioſam ſanguinis alicunde fluentis vacuationem periculum effugiunt. Dicere non poſſum, an huc vſq; in præſenti peſte quiſquam ſit ſanitati aliter apud nos per iudicium ſiue criſin reſtitutus. Certe vix dici poteſt, quomodo inchoante nuper morbo tam craſſus humor, per ſudorem ex venis euocari queat. Quippe bilis flaua, quæ ſanguine multo eſt tenuior, non ante poteſt euocari per cutem, vt diximus, quam ſit amplius extenuata. Quo pacto igitur credimus, craſſum ſanguinem per vim ex venis expulſum, mox per cutis meatus elici? Nihil dubito, quin tenuiores aliquæ partes ac ſeroſi ſucci hoc modo euacuentur. At quomodo per horum excretionem mox ab inſultu febris tentatam, labes, quæ in craſſo ſanguine impreſſa hæret, tollatur, id eſt, quod nondum ſatis perſpicio. Non enim in his febribus, vt nunc ſunt, vnus aliquis humor tantum, ſicut in aliis quibuſdam putridis vſu venit, putreſcit, ſed ſanguinis maſſa corrumpitur.

Præceptum eſt artis Medicæ, vt qua natura ſe exonerare tentat (modo per conuenientem regionem, non per nobilem aliquam partem id tentet) hac vacuemus. Cæterum pars maxima laborantium abunde teſtabitur Naturam in hac peſte vt plurimum conatam fuiſſe, & hodie quoque conari, corruptum ſanguinem a corde ad glandulas propellere, interdum quidem inchoante febre, nonnunquam horis aliquot ante eius inſultum, ſæpe aliquanto poſt tempore. Equidem ſicut natura in febribus intermittentibus putreſcentem humorem ex venis in carnoſas & ſenſibiles corporis partes a principio excernere ſolet, ita in hiſce, cū robuſta eſt, mox ad glandulas venenatum humorem deponere ſtudet. Quomodo ergo nō male facit, qui, quæ natura per patentes meatus vix ad glandulas detrudere, ſicut cœpit, poteſt, per anguſtos cutis meatus, contra naturæ inclinationem & conſilium, per vim educere conatur? Adiuuanda potius foret, vt quemadmodum cœpit, totum ad ea loca propelleret.

At conuenit, inquiunt, pernicioſum humorem quamprimum, nulla occaſione alia expectata, a corde auertere, & ex corpore educere. Hoc niſi fiat, magno in periculo ægrū verſari. Laudo voluntatem ac ſtudium: at valde vereor, vt natura poſſit craſſum humorem in corporis habitum effundere, & deinde per cutem euacuare. Si id potuiſſet præſtare, non ſtuduiſſet ſe ad glandes exonerare. Regio namque amplior, commodior & familiarior cutis eſt. Atqui deponere ad glandes incœpit. Cur ergo hanc ipſius actionem, præſertim vero cum non ſit inſueta Naturæ regio, turbamus diuerſa euacuatione? Hoc conſequimur, vt deinceps venenum per neutrum locum expellere poſſit. Non ad glandulas, quoniam ab hoc propoſito auocatur. Neque ad cutem, quia craſſior eſt materia, quam vt hac expellatur. Indicio eſſe

queant

queant exanthemata, quæ culicum pulicúmue morſibus ſimilia in cute efflorefcunt, ex halitu ſeu vapore nata, qui dė putridis humoribus expirat. Hunc conſtat ſanguine putrido, a quo eleuatur, multo eſſe tenuiorem. Qui cum per cutem penetrare nequeat, quomodo, quæſo, craſſus humor, ex quo exhalat, penetrare poſſe creditur? Cōgruit hoc etiam cum illis, quæ de febrium ardentium materia ſiue cauſa ſupra diximus.

Hic ſi quis iam diſputet, ſudoris prouocationem huic vacuationi, qua natura humorem ad glandulas a corde protrudere ſtudet, non aduerſari, propterea quod vtraq; a centro ad circumferentiam tendat: non magnopere cum eo de hac re contenderim. Nota res eſt cunctis, nec poteſt non ignarus artis noſtræ diſcrimen vtriuſq; vacuationis, & quantum altera alteri impedimento eſſe queat, neſcire. Similiter etiam illis reſpondere me hoc loco nō eſt neceſſe, qui expulſionem humoris venenati ad glandulas ſymptomaticam, non criticam, eſſe aiunt, atque ideo alteram illam hac non impediri. Hoc volo, non me videre, quomodo humor craſſus, qui vix per apertam & amplam venarum cauitatem poteſt ad glanduloſa corpora propelli, per inſenſiles totius corporis & venarum meatus poſſit ad cutem diſpergi, & per eandem deinceps eum ſudore vacuari. Profecto ſi verum eſt, quod Fallopius de ſucco Galegæ epoto affirmat, eum putreſcentem materiam ad glandulas trudere, nullum poterit hoc remedio certius, aptius, præſentius, efficacius tunc offerri, cum eodem natura venenū tranſmittere cœpit. Sunt qui Calendulæ ſiue Calthæ ſuccum, trium plus minus vnciarum pondere ſtatim ab initio hauſtum, idem præſtare aſſeuerant. Eundem præterea excrementa circa vteros muliebres hærentia per eoſdem feliciſſime expurgare aiunt. Proinde laudanda magis ſunt hæc remedia, quam quæ tantum ſudorem ciere ſolent.

Quod ſi autem verum non eſt, hoc ſaltem affirmare auſim, minus ea nocere calidis medicamentis, quæ alii vſurpant. At certum eſt, talia ſtatim a principio quibuſdam exhibita prodeſſe plurimum poſſe. Quippe aliquando non ſola illa ſanguinis pars inquinata eſt, quæ ad glandulas tranſmittitur, aut in vicinis locis continebatur. Quocirca cum aut in pluribus partibus vitium contraxit, aut non eſt totus ad glandulas tranſmiſſus, vtiliter per ſudorem vacuabitur, ſiquidem nihil aliud impediat. Attamen hîc non calidis, ſed vel temperatis, vel frigidis vtendum fuerit, qualis eſt aqua ex corticibus nucum viridibus deſtillata, quam aliqui mirifice in hoc malo commendant. Ratio ſimilis fere eſt in ſucco Veronicæ maris, quam herbulam conſtat non adeo calidam eſſe, vt vitari, præſertim ab initio, debeat. Tribuunt autem ei inſignem poteſtatem venenum a corde depellendi, & ne ad ipſum atrepat, arcendi. Huius generis etiam ſunt ſucci vel decocta radicum Tormentillæ & Serpentariæ. Carent enim perceptibili guſtui caliditate, licet ſtrenue exiccent. De aceto, limonum & citriorum ſucco fruſtra dixero, cum vſum & vim eorum in peſte nemo ignoret.

Porro illud etiam non poſſum animo ſatis comprehendere, quomodo calidus & putreſcens ſanguis, vi medicamenti ex venis expulſus, & per ſenſiles corporis partes cum impetu diſperſus, nullum rigorem efficiat. Conſtat enim in his ſudoribus rigorem non excitari. Deinde manifeſtum etiam eſt, ſudores hic epotum pharmacum multo citius ſequi, quam in ardentibus febribus poſt rigores iidem conſequantur. Quin plerumque corpus totum largo ſudore manat, priuſquam ex ventriculo pharmacum exiiſſe, inq; venas diſtributum credi queat.

Non puto Mithridatium, Theriacam, electuárium de ouo, pulueres, & quæ his ſimilia ad ſudorem prouocādum paſſim exhibentur, tam breui tempore in ventriculo hærere, quam cito ſudorem mouent. Non enim poſſunt nullo, vel tam breui temporis ſpatio diſſolui, attenuati, in actum deduci, & tādem in venas digeri, atque in his craſſos humores hactenus extenuare, vt in ſudorem vertantur. Quod ſi etiam in hepate nonnihil morati concedantur, plus habebit propoſita cauſa perſpicuitatis. Profecto iſta mihi ſuſpicionem faciunt, nihil aliud per ſudores iſtos vacuari, quam ſpiritus, & flatulenta aquoſaq; excrementa in corporis ambitu inhærentia. Conſentire huic ſententiæ omnia fere videntur, quæ vel ægris vel ſanis accidere conſueuerunt.

Haud alia eſt ratio, aut non multum diuerſa in illis qui a principio morborum ſpōte ſua ſudant. Conſtat eos non leuari eo ſudore, ſed ſæpenumero plurimum debilitari. Sequitur is aut materiæ copiam, aut virium imbecillitatem, aut morbi violentiam, hoc eſt, naturæ coactæ, non liberæ, actionem. Non enim antequam bonum a malo ſepararit, vacuare tentat. Et quæ crudo adhuc morbo exiſtente vacuat, non libere, ſed coacte vacuat. Hunc naturæ motum non temere ac ſemper imitari medici debēt. Idem fere de exanthematis ſupra dictis ſentiendum puto. Tantum abeſt, vt horum apparitio in hac peſte aliquem iuuerit adhuc, vt pletique omnes non multo poſt eorum apparitionem extincti ferantur. Vidētur a vapore quodam tenui & putrido ad cutem ſe diffundente naſci, manente intus craſſiore ſubſtantia. Et tunc fere primum apparent, cum magna ex parte ſanguis eſt corruptus, & hactenus attenua-

tus, vt pars in vaporem ſoluta exhálet. Hos vacuari quidem velim, at non medicamento calido ſudores ciente, ac reliquum ſanguinem amplius conturbante. Valde probabile eſt, non in ſola cute hunc vaporem conſiſtere, ſed in reliquis etiam viſceribus colligi. Quippe ſi in cutem ſolam effunderetur malignus vapor, mitior aliquanto fieret morbus. Vtrobique eas naſci poſſe ex Galeni teſtimoniis, quæ in lib. de atra bile, cap. 5. & lib. Method. Therapeu. 5. ca. 12. habentur, perſpicuum eſt.

Ex his, arbitror, patet, ſudores ſtatim ab inuaſione febris huius per vim adeo calidorum medicamentorum euocatos, nō tam vtiles eſſe, quam aliqui putant. Siquidem ſpiritus vacuantur, vires deficiuntur, ſanguis inflatur, agitatur, turbatur, magiſq; febris acuitur, quod ſubtile eſt in ſanguine excernitur, ſicq; craſſior intus relicta materia citius & facilius interficit. Idcirco magis videtur factum & conſilium eorum approbandum, qui ab his medicinis calidis abſtinent, ſiue ſudent ægri ab initio, ſiue nō ſudent. Certum namque eſt, ſudorem ſponte ſub initium morbi prodeuntem, diaphoreticum & ſymptomaticum, non laudabilem & criticum eſſe.

Quod ſi omnino vtile putetur ab initio in hoc malo ſudorem prouocare, frigidis potentia medicamentis, qualia ſupra iam quædam commemoraui, & præterea tenuibus (quo facilius penetrent) atq; ſiccandi vim, incidendi, abſtergendiq; poſſidentibus mox ab inſultu, aut etiam ante inſultum febris prouocandum eum (non quidem in omnibus, ſed in quibuſdam) iudicem potius, quam calidis illis & inflammantibus medicinis. Forſan etiam tertio vel quarto die, conſtantibus adhuc viribus non inutiliter, aut minore ſaltem cum periculo, non valde calidis medicamentis prolici poſſet. Tunc enim humor magis attenuatus, facilius naturæ ceſſerit expellenti. Ioan. Manardus in 5. lib. ſuarum epiſtolarum, epiſt. 3. ſic facere iubet. Mihi quidem magis hæc ratio arridet, quam aliorum, licet hîc quoque non omnia plana videantur eſſe, vt ex ſupra recitatis intelligere vnuſquiſq; poterit. Magis etiam probo, vt mox ab inuaſione, aut ante eam, eiuſcemodi exhibeantur, dū putredo vel in aere inſpirato ſolum, vel in ſetoſis tenuioribusq; ſanguinis partibus adhuc inhæret, atque craſſiores nondum occupauit, aut leuiter tantum comprehendit. Illud affirmare vt verum nihil vereor, ad præſeruandum corpus a peſte, & expellendum aërem noxium, quem quis forte hauſerit vel apud ægrotos, vel alia occaſione, antequam ſcilicet ſanguinem putrefecerit, febremque excitarit, nihil poſſe ſudorificis iſtis medicinis ex Theriaca, Mithridato, & ſimilibus aliis concinnatis vtilius excogitari, & certius adhiberi. Tunc enim qualitas venenata in aërea & halituoſa adhuc ſubſtantia inhærens, non multo labore per ſudorem vacuatur. Forte in primo ſtatim febris înſultu, aut paulo ante hunc exhibita, cum craſſiorem ſanguinis ſubſtantiam nondum alte comprehendit putredo, nonnihil etiam hæc calida proſint. Cum vero iam inualuit febris, atq; æſtus in præcordiis percipitur, non prodeſſe, ſed potius obeſſe cenſeo. Videntur certe talia a tam multis ideo probata vſurpataq; fuiſſe, quod aliquos iuuiſſe obſeruatum ſit. Ac fieri poteſt, vt hi vel paulum anteuerterint febrem, vel vna cum inuaſione ipſius biberint, & ſic periculum euitarint. Quod quia alii non aduerterunt, male vti iiſdem non in tempore cœperūt, nempe cum altius iam putredo infixa eſt, ac febris hominem iam detinet.

Parum curo, quod quidam de ſua experientia iactitant, ſcribuntque. Scio enim quam vana ſint eiuſcemodi. Viri graues & eruditi, qui merito prædicare de ſe talia poſſent, non plura afferunt, quam ratio dictat vera eſſe. Eſto, vitarint mortem aliqui ex illis, qui ſudorem proliciente medicamento valde calido ſunt vſi. An hinc ſtatim recte concludetur, vtilia eſſe & congruentia hæc medicamenta? Non arbitror. Variis caſibus quoſdam a magnis morbis liberatos legimus. Nullus tamen medicus, ægros ſuæ fidei concreditos ita curare tentet, vt illi ſanati ſunt, ſi modo non ſit amens. Per accidens innumeri euadunt cum ex hoc, tum ex aliis morbis. Si alios eodem modo percurare velimus, homicidæ rectius, quam medici appellemur. Galenus in opere, quod de facult. ſimpl. medic. ſcripſit, fuſe docet, quomodo experientia medicaminum vires demonſtret, ac quomodo quod per accidens euenit, diſtinguendum ſit ab eo, quod per ſe fit, indicat. Sicut remedium nullum ſemper iuuat: ita nullum ex æquo ſemper cunctos perdit. Aliqui ſemper, quamuis per accidens id contingat, euadunt.

Non admodum dubito, quin aliqui peſte apprehendantur, qui ſanguinem prorſus aquoſum habent ac tenuem. Sane cum ſanguinem mittimus certis hominibus, aliquando eum ita aquoſum cernimus, vt fibræ in eo nullæ appareant, ſed in aqua rubra ſolummodo telæ araneorum ſimile quippiam immutare videatur. Frequenter hoc in aliorum, & ſemel in meo ipſius ſanguine conſpicatus ſum. Accidit hoc fere poſt diuturnas pluuias, cumq; multum bibimus, & pauco ſolido cibo veſcimur, præſertim vero ſi per hyemem fiat, & ea exacta ſanguis mittatur. Potuit ergo ſudorificum pharmacum tali exhibitum aliquando profuiſſe, non quia illo tempore congrueret morbo per ſe, ſed quia accidiſſet illi homini tunc habere ſanguinem aptum, qui in vaporem permutaretur, & per ſudorem vacuaretur. Habent aliqui

forte

forte tam patentes meatus, vt craſſiuſculus quoque ſanguis per eos penetrare valeat. Sunt quidam a natura ita facti, vt ab omnibus fere morbis eos ſudor liberet. Si ergo in hominem aliquis incidat, qui vel omnia hæc, vel aliqua ex his habeat, ei certe pharmacum tale profuerit, aliis prope omnibus noxium exiſtens. Vnde multo plures ab eo lædi, quam iuuari omnino eſt neceſſarium, ſi promiſcue cuilibet offeratur.

Qui hoc pacto ſanitati reſtitutos enumerant, ſimiles mihi illis videntur eſſe, qui anathemata in templis numerant, ac ex numero coniiciunt, cunctos id eſſe conſecutos, quod a tutelari eius templi numine, ethnicorum more comprecati ſunt. Vt enim omnes iſti, qui anathemata poſuerunt, caſu quodam compotes voti facti ſint, atque id precibus ſuis ſe impetrauiſſe credant, nõ tamen aut recte hoc factum oſtenditur, aut ideo periculum effugiſſe putandi ſunt, aut ſaucti homines, quorum opem implorarunt, ob eam cauſam opem tuliſſe credi debẽt, vt qui auxilium a ſe petitum forte ne reſciuerunt quidem. Si quis numerare omnes illos poſſet, qui ſimiliter auxilium ab homine mortuo & ſancto expetiuerunt, neq; tamen impetrauerunt, multo plures hîc, quam ibi, eſſet reperturus. Sic ſi audaces iſti Empirici pereenſere nomina eorum, quibus nocuerunt, tam expedite poſſent ac vellent, quam paucos quoſdam, quos ſua potius fortuna, quam horum medicorum (ſi tam honeſto nomine ſunt digni) peritia, ex periculo eripuit, in ore ſemper habent, ac identidem numerant: procul dubio pro reſtituto vno perditos & occiſos decem aut viginti numerare nobis cogerentur. Notum eſt Diagoræ dictum in cauſa ſimili. In peſte facilior eſt excuſatio, quam in aliis morbis complutibus. Nam qui pereunt, ſæuitia morbi interiiſſe putantur. Qui aduerſantibus morbo, medico, & medicina, vix euaſerunt, a medicis ſeruati ſtulte aliquando creduntur. Quocirca non tam quid aliquando in hoc morbo fiat, quam quid rationi & rerum naturæ cõſentaneum ſit, diligenter conſiderandum exiſtimo.

Inepta magis eſt illorum iactantia, ne dicam fatua, qui certis remediis ſe omnes, pauciſſimis omnino exceptis, percuraſſe, aut percurare poſſe dictitant. De peſte laborantibus loquor, quos, ſi medicinis non vtantur talibus, mori ſit neceſſe. Ea eſt peſtiferorum morborum natura, vnde nomen ſortiti ſunt, vt ſemper plures e medio tollant, quam viuere ſinant, quantumuis aptis remediis occurratur malo. Plerumq; enim naturam vna cum remedio ſuperãt, vt ægrum occumbere omnino oporteat. Equidem nullum eſt remedium, quod mitiſſimum etiam morbum in omnibus & ſemper extinguat. Quomodo ergo iſti omnes ſe curauiſſe a peſte oppreſſos affirmare impudenter audent? Niſi forte in paucos quoſdam, eoſque per ſeſe conualituros inciderunt, & nihil operæprecium agendo morbum ſe pernicioſum expugnaſſe inſcite credunt. Quanto rectius ac verius Galenus, qui terram Armeniam ita profuiſſe ſcripſit, vt omnes, qui curabiles eſſent, euaſiſſe dicat, non autẽ omnes, qui eam ſumpſiſſent, perſanatos affirmet. Facilius tolerari poterant, ſi præſeruatos omnes dixiſſent, qui talia vſurpauiſſent, quam peſte iam prehenſos percuratos fuiſſe.

Obſeruatione dignum hoc quoque eſt, quod non omnes peſtes vnius eiuſdemque naturæ ſunt ac moris. Vt cætera hic prætermittam deq; ſubiecto tantum aliquid dicam, certum eſt ipſum aliquando virus in ſeroſo præcipue humore inſitum eſſe, aliquãdo in craſſiore ſanguinis ſubſtantia inhærere. Prioris generis eſt ea, quam ſudorem Anglicum plurimi nominant. Argumento eſt, quod fere is ſudor in humidis regionibus humida corpora poſt diuturnam aëris humidã intemperiem vexauiſſe fertur. Legi qui affirmaret, vernaculum eſſe morbum maritimarum quarundam regionum ad Occidentem ſitarum. Non mihi adhuc legere contigit, qui exacte hunc ſudorem deſcriberet. Nec vidi aut audiui, aliquem, qui eo laboraſſet. Multi ſe ex eo laboraſſe aiunt quidem: at cum de morbi natura, moribus, inuaſione, liberatione, ſymptomatis, a me interrogati fuiſſent, hoc tantum reſponderunt, niſi octonis, vel ſenis, vel quinis diebus copioſe, propemodum ad animi deliquium vſque, ſudent, peſſime ſecum agi. Hos non ſit mirum ſudorifico pharmaco peſtis tempore percurari. Videntur enim in talibus venę omnes plenæ aquoſi ſanguinis eſſe, qui facile pe ſudorem quouis tempore eliciatur. Ratio non diſſimilis eſſe videtur eorum, qui vero illo peſtifero ſudore Anglico corripiuntur.

Explicata hoc modo illa ſimul videatur quæſtio, qua nonnulli quærunt, vtrum præcedere alterum debeat, ſanguinis miſſio, an potius antidotus per ſudorem venenum vacuans. Quod ſi monſtratum ſit, recte ſudorifica, etiam calida, peſte comprehenſis offerri, ſic forte agendum fuerit. Quando corruptus ſuccus vniuerſus adhuc intra venas cohibetur, tunc ſanguinem ab initio mitti oportere puto, ſiquidem ſanguinis miſſione ægrotus indigeat: qua tamen indigere videntur, cum propter aëris intemperiem peſtis nata eſt. Mox quæ cor corroborant, vireſq; reficiunt, ac veneno reſiſtere, idemque expellere poſſunt ex ſententia illorum, qui ſic ſentiunt, offerenda erunt. Etenim parte vitioſi humoris vacuata, facilius natura, ab antidoto adiuta, reliquum diſſipabit. Qui primo loco per ſudorem vacuare ſtudet, nec educere

venenum totum poteſt, ac ſanguinem poſtea mittit, is putrida excrementa, quæ ad cutem extruſerat, ad venas retrahit. Certe in magno verſatur æger periculo, ne, quod paulo ante cum labore natura expulerat ex venis, ab iiſdem recipiatur. Deinde ſi venæ multo ſanguine repletæ diſtentæque ſint, & is medicina calida ſudorem proliciente inflētur amplius, tunc aut non bene continebunt ſanguinem venæ, aut putredo certe augebitur. Quoniam in iſta commotione & agitatione ſanguinis, ſpiritus & putridi vapores facilius & penitius permiſcebuntur, ſanguinemq; vndiq; inficient. Taceo quod debilitatæ a ſudore vires poſtmodum difficilius iuſtam venæ ſectionem admittent. Proinde multitudine præſente, auferenda ea prius eſt, deinde antidotus offerēda, præſertim vero calida. Nam frigida minus afferet periculi etiam ante detractam multitudinem exhibita. Cæterum nuper dixi, calidas antidotos non videri mihi temere offerendas, niſi in ipſo mox principio proponantur.

Quod ſi vel tumor, vel carbunculus apparuiſſet, curationem a venæ ſectione ſimiliter auſpicarer. Minore quippe tunc labore prohibere poſſumus, ne venenum retrocedat, inque venas ſe iterum inſinuet. Verumtamē ſi ab initio natura per ſudorem feliciter vacuare incœperit, quod in præſenti febre perquam rariſſime accidere puto: tunc ab initio antidoto ſudorem mouente, ſiue calida, ſiue frigida ſit, adiuuandam eſſe arbitror, quo reliquum aptius expellat. Sed tunc, vacuato ſcilicet humore noxio vniuerſo, non magna ſit futura ſanguinis miſſionis neceſſitas. Præſeruationis gratia magis, quam curationis adhiberetur. Quanquam hic etiam nonnihil periculi video. Sed hæc extra rem dicta ſunt. Quoniam dubito adhuc an vel omnibus vel pleriſq; ægrotis ſudorificum medicamentum præſcribi, ſeu imperari vtiliter ac recte poſſit. Calida quidem perpaucis, & in primo tantum principio febris exhibenda iudico. Frigida etſi minus obeſſe poſſunt, quocumque febris tempore, conſtantibus adhuc viribus, offerantur, ab initio tamen vſui magis fore videntur.

In cæteris antidotis, quæ ad frangendam ac retundendam malignam putredinem, ad corroborandum cor, & ad confirmandas vires adhibentur, facilis eſt nodus. Nihil enim prohibet huiuſmodi quouis tempore exhibere, modo citra nauſeam faſtidiumque ſumātur. Si ventriculum perturbatura vomitumq; motura videantur, paulo longius, vel ante, vel poſt venæ ſectionem offerenda forent. Haud enim obſcurum eſt, quam multis venæ ſectio ventriculum recte affectum conturbet. Si abſque faſtidio ſumi poſſint, atque paulo ante apertionem venæ hauſta ſint, non tantum roborabunt, ſed præterea ne ventriculus a ſanguinis miſſione aliquid pro more perpetiatur, perficiēt. Non ſufficit autem ſemel hæc remedia obtuliſſe, ſi magnopere iuuari illis ægros velimus, ſed ſæpius, iuſto interpoſito ſpatio, repetenda erunt. Certe ſi primum talibus ſit cor confirmatum, alacrius a ſe poſt ſectam venam vitioſum ſanguinem alio depellet, vbi alterando eundem minore cum periculo natura ſubiectæ partis tandem ſuperet.

Tota hæc quæſtio, ſicut alii multi errores in peſtilentiæ curatione occurrentes, ex hoc fonte manauit, quod aliud venenum eſſe creditum eſt a pernicioſa putredine, aut quod venenoſam qualitatem ex ſanguine deleri poſſe cenſuerunt aliqui, remanente nihilominus putredine. Qui norunt iſta re non differre hactenus, vt alterum ſine altero ex corpore exturbari queat, ſine multo ſudore hinc ſe extricauerint, atque ad alias etiam quæſtiones plures expedite, recte, ac ſolide reſponderint. Profecto in aliis febribus, in quibus vnus aliquis humor, non tota ſanguinis maſſa putredinē concepit, nullus temere putreſcentē humorem, ante ipſius vel coctionem, vel ex venis eiectionem, per ſudorē exigere tentet, nec ſanguinis miſſionem tunc quiſquā ſudorē cōſequi debere opinetur. Quomodo ergo hic, vbi vniuerſi h[illegible]es ſimul (nō in omnibus corporis partibus, aut nō ſimiliter in omnib.) afficiuntur, de talib. diſputaremus, ſi nō perſuaſum haberemus, diſiūgi iſta ſeparariq; poſſe? Sed de his alibi plura diximꝰ.

Vnicum reſtare adhuc videtur, vt quid de Theriacæ, & Mithridati antidoti exhibitione ſentiam (Euphorbii mentionem, & ſimilium aliorum, nullam hîc facio, quoniam a paucis probata fuiſſe peritis video) breuiter commonſtrem. Cum febris adeſt notabilis, raro exhibenda huius generis calida medicamenta cenſeo. Ratio eſt, quia febris hæc, vt tangentibus mitis & lenis appareat, interiora plerumque valde vrget vritq;. Deinde, quod in hac peſte noſtra obſeruatum eſt, multos poſt horum ſumtionem de caliditate & inflammatione præcordiorum & pectoris conqueſtos fuiſſe. Poſtremo, quod præſtantiſſimos medicos non vti animaduerto. Germani noſtri propemodum ſoli aliquid hîc audent, propter regionis frigiditatem, vt ſuſpicor. An aliarum nationum ad ſeptentrionem medici eadem vſurpent, neſcio. Arbitror tamen, quia in ſudore Anglico profuiſſe talia compererunt quidam, ipſos mox in alia quauis peſte vtilia exiſtimauiſſe. At ita res non habet, vt ſupra indicaui. Præſens namque peſtis in craſſa parte, non in tenui & aquoſa ſanguinis ſubſtantia inhæret.

Huc pertinet, quod ex veteribus neminē talibus vſum fuiſſe legimus, præter authores ibid. e Theriaca ad Piſonem & Pamphilianum. Quamuis enim Paulus Ægineta & Aetius,

Theriacam

Theriacam ex Galeno in profliganda peſte vtilem eſſe ſcribant (putarunt hos duos libros a Galeno fuiſſe conſcriptos) neuter tamen in curatione adhibuiſſe deprehenditur. Nam Paulus poſt traditam deſcriptamq́; eurationem, tantummodo addit, Galenum ipſam commendaſſe, ſcilicet in prædictis libris. Aëtius vero in loco ſupra citato, vbi febris peſtilentis curationem docet, Theriacæ, & ſimilium medicaminum calidorum mentionem non facit, ſed in 1. Serm. 4. Tetrab. cap. 96. tale quid ex Galeno refert.

Sane non eadem eſt ratio veneni hauſti & peſtis. Nam ibi ſi educatur venenum, plerunque conualuit æger. Quod vt non ſit in omni veneno verum, in plurimis tamen verum eſt, illis præſertim, quæ ab occulta virtute homines necant. Hic putredinem tollere oportet, nec, qui ægrotat, ſtatim conualuit, aëre, qui eam intulit, vel exacto, vel conſumto, vel permutato. Non ſatis etiam perſpicio, an probe ratiocinentur, qui certa quædam medicamenta peſtilenti febri vtilia concludunt, propterea quod venenis aliis aduerſentur. Non enim quæ vni veneno reſiſtunt, omnibus reſiſtunt, vt omnes norunt, niſi forte generali qualitate, vt exiccando, exempli gratia, reſiſtant. Venenum, quod ab aëre humoribus infertur, tunc fere venenum fit, cum per putredinem tale factum eſt. Raro aër actu venenatus ita eſt, vt inſtar virulentarum beſtiarum occidere ſua venenoſitate homines poſſit. Similiter enim omnes occideret, quemadmodum hæc facere ſcimus.

Ergo cum non omnes interficiat aër in peſte, ſed illos tantum, qui vel humores, vel ſpiritus, vel cordis ſubſtantiam aptam habent ad putreſcendum, non niſi per putredinem plerumque mortem affert. Equidem multi cum infectis cohabitant, ſpiritum eundem inquinatum, aut certe eundem aërem per inſpirationem, quem alii, qui in eodem loco verſantur, attrahunt, & ſæpe largius ac longiore tempore citra offenſionem attrahunt, aliis per eundem illum hauſtum periclitantibus. Cur non illi ſimiliter pereunt? Quia nihil potuit hauſtus ab ipſis aër putreſacere in corporibus illorum. Quoniam ergo per putrefactionem nocet, hæc tollenda erit. Quod ſi calidis medicamentis exaſperatur potius, quam leniatur: acuitur magis, quam hebetetur: augetur citius quam extinguatur: haud erit vſus eorum vtilis & ſalutaris. Non enim ſatis eſt aërem malignæ putredinis effectorem ſuſtuliſſe, quod in aliis ſone necantibus venenis præcipuum eſt, ſed ipſam quoque putredinem, ſiue effectum auferre oportet, ſiquidem tutus eſſe æger debeat. Ipſamet putredo venenata eſt, etiamſi aliud nullum inſit virus. Nec tolli ergo venenum poterit, manente putredine, multo minus aucta eadem auſererit. Illa ergo remedia præcipue peſti aduerſantur, quæ venenis reſiſtunt, ſimulque refrigerant & ſiccant, hoc eſt, putredinem extinguunt arcentq́;, ne videlicet vno modo iuuent, altero autem lædant.

Ad Galenum quod attinet, ſic ſentio, nunquam ipſum tam calida medicamenta febrientibus in peſte exhibuiſſe, aut exhibenda cenſuiſſe. Etenim ne Armeniam quidem terram, nullius caloris participem, in vino tenui non diluto offerre auſus fuit, quamuis vinum hîc maxime tum vtile, tum neceſſarium eſſe cognoſceret. Sic enim facilius & ocius terra arida & craſſa diſtribuitur, atque ad cor vſque pertranſit. Poſteriores Medici cum aceto & aqua roſacea, quæ mirifice cor recreat, ob eaſdem cauſas, puto, miſcuerunt. Nihil certe dubito, quin aut ſecum ipſe Galenus toto, quod aiunt, cælo pugnet, aut non ſint ab eo conſcripti illi libri. Non enim excidiſſe ipſi puto, quæ in vtroque ſcripta ſunt. Neque perſuadere mihi poſſum, ipſum poſt tot labores, & tot opera a ſe conſcripta, hoc ipſum ſero tandem, ſcilicet in extrema ætate ſua, addidiciſſe.

Ridiculum eſt cogitare, eum virum, qui in tam graui & diuturna peſtilentia tanto iudicio & ſtudio cuncta ſolertiſſime explorauerat, hæc tandem ita nude ſcripſiſſe. Tam ſæpe peſtis illius longæ meminit, ac ſymptomata curationeſq́; ægrotorum recenſet; Theriacam aut inutiliter, aut vtiliter exhibitam nuſquam dicit. In 9. Simpl. ſcribit, ſolam Armeniam terram quibuſdam profuiſſe. Haud puto Galenum in alia peſte, quam in longa illa, de qua in tam multis locis mentionem fecit, Romæ fuiſſe. Quid quod ad Pamphilianum ſcribitur, autore Æliano Meccio Theriacam Romanos vſurpare primum in peſte Romæ ſæuiente incœpiſſe? Vt ſemel dicam: Galeni non puto eos libros eſſe legitimum partum. Vt ita ſentirem, primum effecit Epiſtola de hac re Iulii Alexandrini, quæ inter Andreæ Matthioli Epiſtolas extat (quam te legiſſe non dubito) deinde vero etiam alia. In quorum cenſu & illud fortaſſe ponatur, quod autor ad Piſonem cap. 15. ſuccum abſinthii ait atram bilem contemperare, & quaſi edulcorare. Vt enim hîc fingere interpretationem, qua vtcunque excuſetur ac leniatur ſententia, non videatur difficile, non tamen id Galenus quoque mox ſenſerit. Equidem in legitimis operibus eius nihil ſimile vidiſſe me recordor, vt interim taceam, eum pro more Galeni minime indicare, quo tempore morbi Theriaca fuerit vſus in illa quartanariorum curatione.

Haud me mouet multum, quod Paulus, Aëtius, Auicenna, Galeni eſſe putarunt, & ex

his tamquam legitimis Galeni operibus, teſtimonia citarunt. Oribaſius, qui hos omnes longo tempore anteceſſit, ac ſub Iuliano claruit, nullam, quantum ipſe memini, mentionem eorum facit, quod certe efficit, vt credam, vel ſuſpicer ſaltem, ipſum non vidiſſe eos, aut nõ pro Galeni operibus agnouiſſe. Profectò ſi tantam Theriacæ laudem atque efficaciam ſciuiſſet a Galeno adſcriptam fuiſſe, vix præteriturus fuerat, cum de peſtis curatione diſſereret. Si ſciuit, nec vti voluit, non probauit. Cum enim de curatione peſtis eadem ex Rufo in Synopſin ſuam transſcripſerit, quæ poſt eum Paulus & Aëtius inde in ſuos libros transtulerunt, vix ſilentio Galenum præteriuiſſet, ſiquidem eos vidiſſet, aut pro legitimis Galeni libris agnouiſſet. Non parum probabile eſt, poſt Iuliani demum tempora conſcriptos ambos fuiſſe. Hoc certum eſt, non congruere hanc ſententiam cum ea, quæ in cæteris Galeni ſcriptis extat. Proinde nec Paulo, nec Aëtio, nec Oribaſio, vt iam monuimus, nec Auicennæ perſuadere potuit, quiſquis tandem author eſſe putetur, vt Theriaca in harum febrium curatione vterentur. Tametſi enim Auicenna in lib. de vitandis incommodis in regimine ſiue rectione ſanitatis euenientibus, exhibitionem ipſius approbare videatur: in Canone tamen ſuo, vbi ex profeſſo, & cum ratione tractat omnia, longe aliter ſentit, vti ex ſupra dictis perſpici poteſt.

Actuarius antidotum Hippocrati attributam deſcribit, eaque ipſum in peſte Athenis graſſante vſum narrat, & corona ob eam rem ab Athenienſibus donatum ait, quæ ipſa quoq; admodum calida exiſtit. Quod ſi in præſeruatione vſus putetur, non valde miror. Si, quod ſentio, dicendum mihi eſt, fabulam eſſe arbitror, quod de ea ſcribit, ſcilicet Hippocratem eſſe authorem, & in peſte Athenis ſæuiente curanda hac vſum fuiſſe. Mirum namque foret, ſi præter Actuarium, ſcriptorem recentem, nullus Græcorum aut Arabum de prædicta antidoto aliquid reſciuiſſet. Qui compoſuit, Hippocratis nomen ei præfixiſſe videtur, quo commendabiliorem redderet. Idem in libris factitatum olim fuiſſe Galenus monet. Quid igitur miri ſit, ſi Galeno ſupra dicti libri, vt alii permulti, falſo adſcripti iam olim fuerint.

Recentiores medici, Auicennam ſecuti Theriacam numquam, vel ſaltem in quantitate exigua, non ad mouendum ſudorem, vt hodie faciunt multi, ſed ad hebetandam & extinguendam malignam putredinem, poſt venæ ſectionem, admiſtis frigidis & exiccantibus ſuccis, aliquando imperarunt. Quin ipſe author libri ad Pamphilianum, non exhibet, vt malam ſanguinis qualitatem per ſudorem huius vi vacuet, ſed vt eam ex inimica amicã efficiat. Verba ipſius hęc ſunt: Χρηστὸν γὰρ ἀποφαίνει τὸ αἷμα αὐτοῖς, οὐ τὴν φερομένην ἐν αὐτῷ φαυλότητα ἀποκρίνουσα, ἀλλ' ἐξομοιοῦσα τὴν ἀτοπίαν, καὶ κρατοῦσα τῆς παρὰ φύσιν ποιότητος.

Quamdiu in Italia ipſe fui, a nullo, præterquam a D. Luca Ghyno præceptore meo, viro optimo, erudito & exercitato commendari calefacientia iſta animaduerti. Is mihi, quamuis ſe numquam vſum diceret, medicamen ex Theriaca & Mithridatico compoſitum mirifice prædicabat, ex narratione celebris viri, qui in peſte quadam Neapolitana omnes periculo exemiſſet, qui ante 24. horam ebibiſſent. Fuerat autem is, qui tam multis dediſſe ferebatur, non medicus, ſed mercator. Quod ideo addere placuit, vt minus mireris, ſi eo fuerit auſus vti homo artis medicæ imperitus. Multos an paucos eo ſanauerit, neſcio. Qui ei dederat, quiq; vſurparat, idem laudauit etiam, cum forte laudatorem alium non reperiret.

Verum enimuero, dicat aliquis, eſto, non ſcripſerit iam ſæpe nominatos libros Galenus: a docto nihilominus viro, vel duobus, ſi placet, conſcripti ſunt, quorum autoritas non eſt aſpernanda. Quod ſi ergo tanto cum fructu iſti theriacam exhiberi viderint, non prorſus abſurdum cenſeri debere, ſi & nos ea recte, & cum ſucceſſu vſuros quiſpiam affirmet, credat, ſperet. Profecto hæc ratio, & præterea Pauli, Aëtii, Auicennæ, ac recentiorum quorumdam medicorum autoritas & exemplum, me quoque permouerunt, cum minus diligenter cauſam examinarem, vt putarim non inutiliter exhiberi, præſertim quoties natura per ſudorem tentaret ſe alleuiare. Principio prodeſſe ſcribebatur mihi (Mosbachium, vt dixi, ſeceſſeram, vt præſens obſeruare non poſſem) quod facile tunc credidi. At reuerſus cum diligentius omnia inueſtigarem, rem non ita, vt ſperaueram, inueni, tametſi recens eſſet noſtra theriaca, & vix annum exceſſiſſet, qualis frigidior eſſe a multis creditur. Quo factum eſt, vt accuratius ſingula deinde perpenderim, & nonnihil dubitare incœperim. Neque me nuper dicta ratio nunc ita ſicut prius mouet. Et cur nõ moueat, ſupra ſatis expoſitum eſt. Author ad Pamphilianum audita recenſet. is ad Piſonem comperta ſibi narrare ſe ſcribit. Ego non quid vnuſquiſq; affirmet, cum non conſentit ratio, ſed quid verum ſit, ex ipſa re propoſita inueſtigandum eſſe, tum hic, tum alibi iudico.

In præſeruatione valde vtilem eſſe vtranque antidotum, certum eſt. Hic enim cum experientia conſentit ratio, & accedit ſummus præſtantiſſimorum medicorum omnium conſenſus, nec quicquam vſum eorum impedit, ſicut cum præſens eſt febris. Theriacam tutum reddere ab aeris noxa, ipſe quoque Andromachus dixit. Galenus in 1. cap. vtriuſque libri de antidotis, theriacam in vna tantum re, in morſu ſcilicet viperarum, Mithridato præfert, in cæ-

cæteris

teris omnibus hanc illi non cedere, imo præſtantiorem in pleriſque venenis aliis eſſe affirmat. Autor libri ad Piſonem inſtar ignis purgatorii cuiuſdam ſcribit theriacam corporum noſtrorum vitia expurgare, putredinem futuram arcere, præſentem amouere, videlicet exiccando & abſumendo redundantes humores, attenuando craſſos, calefaciendo frigidos, concoquendo crudos, & diſſipando malos & noxios. Quæ cum perficiat caliditate in ſanis non conſpicua & moleſta, aut certe non noxia, merito commendatur hic vſus ipſius, ſi iuxta medicorum præcepta ſumatur. An autem febre correptis ad ciendum ſudores exhibendam, vel alterutram, vel vtranq; antidotum arbitreris, valde ex te ſcire deſidero.

Scripſi de iſtis capitibus tam verboſe, non vt te docerem, cui omnia notiſſima multo ante fuiſſe certo ſcio, ſed vt meipſum exercerem, &, ſi interrogarer, haberem quod reſponderem. Cogitaui namq; ſæpe de hiiſce, at ſcribendi occaſionem tu iam dediſti. Scripſi ergo vt mihimet commentarium ſeruarem. Et hæc prima cauſa eſt.

Altera eſt, quod vehementer cupio tuam atque aliorum doctorum de omnibus ſigillatim ſententiam cognoſcere, quo vel ſic tandem inueniam, in quo animus tuto acquieſcere poſſit. Non me vnquam puduit, & ne nunc quidem pudet, etiam publice, quotieſcunque res poſtulat, errorem agnitum confiteri. At pudet in eodem perſiſtere, nec meliora docentibus aſſentiri. Quapropter libere ſententiam te, vbi a veritate deflectere eam videris, reprehendere iubeo, in ſingulis etiam particulis. Etenim ſi in vllo morbo periculum affert error, in hoc affert, vtpote per ſe periculoſiſſimo. Quocirca minus hic etiam quam alibi, vbi leuo peccatum ſine pernicie aut incommodo ægri committitur, errare velim. Cupio ob eam rem ex te, & aliis doctis veritatem cognoſcere, vbi ea me adhuc latet. Spero etiam diligentiam eruditorum in hac re explicanda minime infructuoſam cenſeri poſſe, in noſtra præſertim Germania, vbi Empiricorum more plurimi, methodo perpauci morbos curare ſtudent. Ipſa certe rerum, de quibus agitur, natura atque ratio vberiorem & longiorem explicationem deſiderare mihi viſa eſt. In Christo feliciſs. vale. Heidelbergæ 17. Septemb.
Anno 1564.

FINIS.

ANATOME LIBRORVM QVINQVE COMITIS MONTANI VINCENTINI.

Spudastes, Erastus.

VIDISTI ne librum de morbis anno ſuperiore editum a Comite Montano Vincentino? Er. Vidi,& nuper admodum mediocri attentione perlegi. Sp. Cur tam ſero legiſti? fortaſſe vt inutilem,& lectu indignum contempſiſti? Er. Nequaquam. Quî enim contemnere potui, aut faſtidire, cum quid in eo contineretur, nondum certo ſcirem? Ocium & tempus defuit. Cum enim ſub tempus nundinarum Paſchalium e Francia Orientali domum proficiſcerer, Francofurtum negotii cuiuſdam cauſa deflexi. Hîc cum proſtare librum forte fortuna vidiſſem, nouitate inſcriptionis ſeu nominis motus, chartas eius aliquot inſpexi, ſtatimq; animaduerti Argenterium, Fernelium, Fuchſium, reprehendi. Acceſſit Petrus Longus Bibliopola Venetus, amicus meus, & me quoque in eo perſtringi monet. Itaque emi, domumque reuerſus conglutinatori compingendum dedi. Mox ab illuſtriſſimo Principe Hennenbergenſi ad thermas Emſenſes vocatas die 15. Iunii demum æger redii. Antequam ex eo morbo ſane quam graui me ſatis recollegiſſem, in Franciam iterum abire coactus ſum. Poſt reditum conuaſare ſupellectilem oportuit, vt huc cũ familia commigrarem. Quæ deinde poſtquam huc veni, occupationes me impediuerint, facile cogitare potes. Maluiſſem certe temporius legere & expendere. Sed quid de eo tu iudicas? Sp. Non tantum mihi vel doctrinæ arrogo, vel autoritatis vſurpo, vt ferre ſententiã hac de re debeam. Er. Si eum perlegiſti, facile dices, quid tibi videatur, quicquid tandem in ipſa re ſit: non enim cenſoriam a te ſententiam nunc poſtulo. Sp. Author mihi vir doctus videtur, & in Galeni lectione multum ſane, diuque verſatus; licet non videatur mihi iudiciũ ſemper adhibuiſſe, quale Galenus poſtulat. Methodo interim elegante omnia tractauit ac diſpoſuit, nec ſæpe limites tranſiliuit. Ego certe ex eius lectione libri fructum mihi percepiſſe videor. Hoc fere ſolum diſplicuit, quod in reprehenſionibus aliorum nimis eſt agreſtis, & vehemens præter naturam Italorum: Solent enim modeſte & grauiter errores refellere, nec eorum authores a quibus numquam laceſſiti fuerunt, aſpere & barbare excipere. Er. Non procul abes a meo ſenſu. Poterat hic vir, niſi me fallit animus, doctrinæ laude clarus eſſe, & gloria hinc parta pacifice frui, ſi conſilium quod aliis dedit, capere ipſe ſciuiſſet: Scribit enim in fine tertiæ præfationis nec defuiſſe, nec defuturam ſcribendi materiam excitatis ingeniis, ſiquidem ea, quæ Galenus vel non attigit, vel morte præuentus non abſoluit, perficere, aut quæ obſcure, deprauateque tradiderit explanare: denique repugnantem ſibi conciliare velint. Si, inquam, in his ingenium exercere, itaque celebre ſibi nomen parare maluiſſet, quam vanam gloriolam ex aliorum inſectatione, contemptuq; aucupari, voti ſui compos fieri potuiſſet. Dum enim alios confutare ſtudet, ea plerumque dicit, quæ fortaſſe numquam dixiſſet, ſi argumentum ſcribendi non litigioſum elegiſſet. Nunc in magno videtur periculo hærere, ne quam doctrinæ opinionem, ac laudem expetere videtur, maledicendi libidine rurſus extinguat apud intelligentes, & bonos. Quid enim hoc eſt, quod impotenter nimis viros præclare doctos deque re literaria optime mereri ſtudentes, propter vnum, alterumque errorem (quorum ipſos reos agit quidem, at nondum rite peragit) e numero doctorum expungit, inertes, amentes, ſtupidos, barbos, ἀναισθήτους pronunciat; a lectione librorum, quos conſcripſerunt, verbis, quia factis non poteſt, abſterret. Quinetiam vitæ longiorem vſuram inuidiſſe eis videtur, quos odiſſe cœpit. Quid enim habuiſſe animi, ac optauiſſe eum putas, cũ ad finẽ primæ præfationis dolere ſe oſtendit, quod nulla lege ſic ipſi liceat in illos animaduertere, qui aduerſus Galeni placita ſcribere, ac diſputare audẽt, quomodo inquiſitoribus conceſſum eſt cum omnibus agere, quos hæreticos eſſe iudicant? Ignes certe, gladios, ac reſtes videtur ſpirare oratio, dum ſibi multam irrogare Galeni reprehenſoribus, ſcripta eorum flammis abſumere, ſanctionibus quibuſuis prohibere, ne quis talia ſcribat, conceſſum non eſſe conqueritur. Sp. Videtur in ipſo ſtatim limine repugnantia ſcribere. Hic enim cupit lege cautum, ne cui contra probatos authores ſcribere liceat, cum ad finem tertiæ præfationis omnibus facultatem concedat, Galenum ſibi repugnantem conciliandi, deprauatum corrigendi, & quæ forte deſint addendi. In eadem Galenum hominem fuiſſe, labi potuiſſe, adeoque in anatomicis non ſemel tantum aberraſſe affirmat: vt taceam quę in progreſſu operis in hanc ſententiam ſcribit. Er. Gaudeat ſuo ſenſu Montanus. Ne ſperet interim ſe nobis perſuaſurum, vt maior apud nos futura ſit Galeni, quam veritatis autoritas. Libenter ei principem inter Medicos locũ tribuimus, ducem, & præceptorem agnoſcimus,

parem

parem ei neminem fuiſſe confitemur: at ſequi eum veritate poſthabita, vbi firme probari poteſt diſſentanea rebus ſcripſiſſe, nondum decreuimus. Ita namque veritatis ſumus amantes; vt ne tum eam deſerturi ſimus, cum Montanus inquiſitoris inſtar cruces & gladios intentare nobis cœperit. Sed Deo gratia eſt, quod, liceat in cenſoriam ſellam nullo Senatuſconſulto, nulloque plebiſcito, nullo denique vel Imperatoris, vel Principum aliorum reſcripto (quod quidem ego reſciſcere potuerim) euectus ipſe ſemetipſum collocarit, poteſtatem tamen carceris & gladii arripere nō potuit. Quæ res fortaſſe in cauſa fuit, quod tot claros viros, quia aliter multare non potuit, conuiciis obruere, & deformare non eſt veritus. Sed dum alios fœdare ſtuduit, ſe ipſum potiſſime dehoneſtauit. Odiſſe errores debemus, non homines, a quibus præſertim læſi nunquam fuimus. S P. Quid ſi cauſam ſe iuſtam habuiſſe vehementiæ iſtius reſpondeat? E R. Quam tandem adſert aliam ab ea, quam attulit? peruerſas, inquit, opiniones, & exitioſa mortalibus dogmata inuexerunt. Verum poterat, ac debebat demōſtrationibus potius, quam cōuitiis, & barbara iſta vehementia prauas opiniones confutare, quod Ariſtotelem, graueſque alios ſcriptores feciſſe videmus. Sane rectius feciſſet, ſi Cenſoriam illam dignitatem (quam inconſulte, vt opinor, & nimis præcipitanter ſibi arrogauit) cum modeſtia & ſuauitate condiuiſſet. S P. Argenterius fortaſſe eum exacuit, ac inflammauit, dum ne Galeno quidem pepercit. E R. Negare non volo, quin Argenterius immodice Galenum carpere ſtuduerit, & ſumma diligentia omnes occaſiones taxandi captauerit, adeoque plurima, quæ apte interpretando excuſare poterat, meliora facere non voluerit; tamen a crudis illis conuiciis abſtinuit. Et vt Argenterius petulantius egiſſet, quid hoc ad Fuchſium, Alexandrinum, Valeriolam, Vegam, alios, attinet? An alienam hi culpam præſtabunt? Deinde teſtabuntur ſcripta mea, nullum aſperius verbum in ipſis inueniri, niſi cum aliquo diſputauerim, a quo prior laceſſitus fuerim. S P. An non Paracelſum ſæpe durius tractauiſti? E R. Non inficior. At homo ille, ſiue mores, & vitam eius ſpectes, ſiue ad doctrinam reſpicias, monſtrum, & ſæua peſtis fuit. Maledicentia quoque in eo tanta fuit, quanta fortaſſe in nullo mortalium deprehenſa eſt. Si centum libros eius perlegas, & conuitia, quæ in immeritos euomit homo ſpurcus, ſeiungas, non reſtabunt libri decem, in quibus aliquid doceat. Itali qui, quantam carnificinam ibi cum ſuis diſcipulis in Germania exercuerit, & nunc etiam per eoſdem exerceat, neſciunt, deſiderabunt in me forte modeſtiam. Germani, & qui norunt, quibus ille ſuos libros maledictis, conuiciis, calumniis & mendaciis inferſerit, quantamq; lanienam inuexerit, me nimis molliter cum eo egiſſe dicent. Ab eo tempore, quo Medicina exerceri cœpit, tot maledictis onerata non fuit, quot in eam monſtrum illud exſpuit. Nec ego contra eius fanaticos, & monſtroſos errores vnquam calamum ſtrinxiſſem, ſi non crudelem illam medicationem, frequenteſque hominum interſectiones inſpicere coactus fuiſſem. Hæc ſi viri illi doctiſſimi, atque optimi aliqui intelligunt, non tantum me excuſatum habebunt, verum etiam ſtudium, & conſilium meum valde collaudabunt. Sed & Montanus cenſor, ſi iſta ſciuit, ac nihilominus ſcripſit, me pro defendenda cauſa continente monſtra in arte Medica peperiſſe non minus prodigioſa, quam in Paracelſo inuenerim, peſſime & molliſſime dicam, facit. Quippe Paracelſicorum immanem audaciam imprudens non parum confirmauit, & ob id ſceleſtum illorum participem ſe, reumq; fecit, ſi iſtorum gnarus, talia ſcripſit. Ego vero certo ſcio, & ſi opus erit, inſolubilibus argumentis demonſtrabo, ſummā hac in re iniuriam mihi fieri. Quid dico mihi? Grauius multo in alios quoſuis, qui in illorum carnificum manus incidunt peccat: nec tam in me, quam in illos, quam in Rempublicam, quam in Deum ipſum iniurioſus eſt, dum peſtes illas audaciores reddit. S P. Cum hoc apud me conſidero, non habeo aliud, quo eum excuſem, quam quod res noſtras ignotas ei eſſe puto. E R. Ego quoque ita ſentio. Sed age quid putas eum ad inconſideratam iſtam acerbitatem incitauiſſe? S P. Galeni amor ſi non accendit in eo zelum hunc, quæ res, quæ cauſa, quæue occaſio eum impulerit, neſcio. E R. Si abſque maledicentia non potuiſſet declarare ſuam erga ſcripta Galeni opinionem, in tuam ſententiam me facile protraheres. Iam cum modeſte, & grauiter idem eum facere potuiſſe, nec tamē voluiſſe, cogito: aliud eum inflammaſſe nolens etiam credere cogor.

S P. Quid hoc eſt. E R. Arbitror ipſum eodem morbo illo laborare, quo Argenterium affectum ſuſpicatur lib. 1. c. 13. Quippe metuere videtur, ne gloria, cuius eſt ſitientiſſimus, conſequi non poſſit, niſi contra illuſtres ſcribat. Vt ſic putem, facit hoc primum quod adeo ſollicite conquirit ex omnibus angulis quod accuſet, vt aliqua prorſus leuicula, & ad propoſitam diſſertationem vix pertinentia producat. Audi quæſo bellam excuſationem. Nolim hoc, inquit, annotatum inter Fuchſii errores, ſed potius eſſe documentum hominum, vt ſciant ſe eſſe homines. Poterat autem totum hunc locum, in quo Fuchſius forte ſui oblitus eſt, præterire, cum ad rei propoſitæ diſquiſitionē nihil conferret. Deinde quod mihi (nolo enim nunc de aliis loqui) affingit, quæ nec cogitaui vmquam. Etenim lib. 1. cap. 12. audet (neſcio quo pudore, aut qua potius negligentia) aſſeuerare, me alicubi voluiſſe probare, morbum non eſſe

ſe relationem, quia ſit alteratio: quæ manifeſta eſt calumnia. Lib. 2. cap. itidem 12. ait me librum de optima ſecta omnibus alijs Galeni libris anteponere: quod ipſum etiam in mentem nullo tempore venit. Lib. etiam 4. cap. 28. ſcribit me morbos inſtrumẽtarios negare morbos eſſe, & qualitates, quod æque vanum eſt. Denique lib. 5. cap. 25. affirmat, me opinari ſolutionem continui in partibus ſimilaribus diuiſionem, ſeu diſſectionem eſſe temperamenti, quia ſcilicet alicubi affirmauerim vnitatem duplicem eſſe, τῆς συμφυΐας ſcilicet καὶ τῆς συνεχείας. Nihil in eo loco aliud docui, quam quod paſſim Galenus docet, videlicet duas eſſe doloris cauſas, continui ſolutionem, & intemperiem violentam ſubitoue factam. Quod autem ſolutio vnitatis, quæ in continuitate, ſeu συνεχείᾳ partium ſimilarium conſiſtit, temperationis earũ ſit diſſectio. (Quĩ.n. temperatio, quæ per ſe nec oritur nec interit, in duas partes inſtar corporis diſtrahatur?) tã abfuit procul ab omnib. meis cogitationib. quã poteſt lõge abeſſe, quod lõgiſſime abeſt. Quod ſi eadẽ æquitate alios tractat, qua erga me ſubinde vtitur: facile intelligẽt, qui iudicio, & eruditione præſtãt, quantũ huic cenſori fidei ſit tribuendũ. Confirmat hoc quoq; ſuſpicione, quod in prima præfatione cõparat Inquiſitori Epiſcopo, quaſi a neſcio quo Doctorũ cõcilio ſic ei demandata fuerit cenſura in eos, qui Galeno contradicere audent, vt a Pontifice Romano demandatur poteſtas certis quibuſdã in omnes illos inquirendi, qui eius autoritati obluctari audent, ſiue quos hæreticos eſſe dicunt. Quid quod Herculi monſtrorum domitori ἀνάλογον ſeipſum facit lib. 1. cap. 19? Quid aliud de ſe ipſo iudicare, ac ſentire qui talia publice iactat, cenſeri poteſt, quam doctrina, & iudicio ſe tanto alijs eſſe doctiorem, quanto Hercules fortitudine alijs præſtantior fuit? Sed videndum ei etiam atque etiam cenſeo, ne, dum vult videri, & appellari monſtrorum domitor, ab omnibus doctis vocetur monſtrorum genitor. Si cogites primum eius fœtum eſſe (ipſomet teſte) in quo tantum ſibi arrogat; omnino ſuſpicari cogeris, eum inſano quodam, laudis & gloriæ ſtudio æſtuare. Poſtremo auget opinionem maxime, quod lapſus nullius momenti nequaquam excuſat & tegit, ſed eos quãtum poteſt, exaggerat, amplificat, atq; ex muſca, vt dicitur, elephantũ facit. Si veritatis, ac publicæ vtilitatis amore motus, nulloque gloriæ œſtro percitus errata refellere voluiſſet, argumentorum pondere cum philoſophica grauitate ac modeſtia coniuncta facere tentauiſſet. Nunc cũ montana & ruſtica deſpicientia eorum autbores inſectatur, indignoſq; vociferatur, quorum ſcripta legantur, valde veriſimile eſt ipſum exiſtimaſſe tanto ſe candidiorem appariturum, quanto alios nigriores oſtentaſſet, hoc eſt tantum ſibi ſplendoris, & claritatis acceſſurum, quantum aliis detraxiſſet. SPVD. Dic mihi, oro te plurimum, nullum ne ipſe errorem in hoc opere commiſit? ERASTVS. Imo multis & craſſis ſcatet. SPVDA. Si ita habet res, imprudenter ſane egit, quod non apud ſe cogitauerit hominem ſe eſſe, errareque poſſe: nec eſt veritus, ne qua ipſe in alios aſperitate vſus, eadem ab aliis rurſus excipiatur. ER. Nõ debemus vitia aliorum imitari, ſed virtutes ſequi, nec videre quid alii metuerint, ſed quid nos deceat. Ignoſcendum ei eſt, ſi dum primum partum edidit, iuſto moroſior fuit: Solent enim iuuenculæ mulieres idem facere, priuſquam ſe accommodare didicerint. Fœtus certe primo aſpectu perelegans eſt, venuſta ſatis membrorum ſymmetria ornatus, tametſi tectæ partes maculis, puſtulis & vlcerib. mire deformatæ cernantur ab iis, qui nudatas intentis oculis diligentius explorantur. In cauſa illud eſſe potuit, quod permature eum edidit. SP. Audio virũ eſſe matura ætate, vt nihil ab eo præcipitanter actum videri debeat, & multis iam annis priuſquã eniteretur hunc ipſum fœtũ, parturiiſſe. ER. Vt, vt iſta ſint, nos nõ decet aliorũ turpitudinẽ detegere, ſed multo magis pulchritudinẽ cõmendare. Quoniam igitur Montanus in hoc opere cum malis multis coniunxit non vlla bona, æquiſſimis animis ei cenſoriam dignitatem, quam ſibi nemine imperante, vel cogente, offerẽte, arrogauit, (quamquam vt cum gloria, & honore ſuo longo tempore conſeruet vnice cupimus) permittimus, dummodo eam modeſtia, vt par eſt, philoſophica temperet: nec ei inuidebimus auguſtum, ſublimemque thronum, ſiquidem nos alios patiatur in ſubſelliis ſuorum pedum ſedentes libere pronuntiare, & ſentire de rebus ab ipſo iudicatis. Hanc ſi nobis poteſtatem denegabit, pro cenſore non facile agnoſcemus Hæc habui, quæ iam tibi reſponderem. SP. Quid igitur? nihil ne reſpondebis ei? Quæ ſcripſi, publici boni cauſa ſcripſi, nec aliud in votis habui, quam vt publice prodeſſent. Gloriam ex eis nullam quæſiui. Quid enim ea mihi, aut quando proſit? Vt multi boni & docti ſtudium, conciliumque meum probent, quid ex eo capiam commodi? Ætatis partem optimam vixi, & diutius vixi, quam olim ſperarim. Si quid reliquum eſt vitæ quod in vnius Dei voluntate poſitum eſt, (ego enim cauſam habeo nullam, cur longiorem vitam expetam, qui ſatis longo tempore ſpectator huius fa ulæ mundanæ fui, & meliorem iam olim vitam expectaui) hoc in pace tranſigere cupio. Quamobrem decretum apud me fuit, me contradicentibus nõ debere quicquam reſpondere. niſi Paracelſi aliquis pernicioſa dogmata conaretur defendere. Ad reliqua, quod attinet, ſemper putaui numquam defuturos, qui mea defenſuri eſſent, quatenus rebus conſentanea, & vera nouiſſent. Quæ talia non ſunt, non modo non

do non

do non ſcripta fuiſſe opto, ſed confutari maxime, vniceq; cupio. Quis enim omnibus ſatisfaciat, & ſine errore omni de rebus obſcuris ſcribat? Qui ſapiunt, ita omnia legunt, vt quod verum eſt, probent, quod falſum eſt, damnent, ac negligant ſeu vitent. Hunc ego animum in legendis aliorum ſcriptis habui, nec in quemquam verbum aliquod grauius cogitaui, qui citra contumeliam aliorum, quod ipſi viſum fuiſſet, ſcripſiſſe videretur. Satis eſſe putaui ſtudioſos monere, & deinde ſuo cuiuſque iudicio permittere, & quod vnuſquiſque elegiſſet, ſequeretur. S P. At Montanus ſuſpectas reddit omnes tuas aduerſus Paracelſum editas diſputationes, dum ſcribit haud pauciora in eis monſtra inueniri, quam in illo tu deprehenderis. E R. Falleris plurimum. Quippe dum in illis monſtroſa dogmata ineſſe concedit, non omnia damnat, licet in continentis cauſæ aſſertione, de qua præcipue videtur loqui, me a ſcopo errare pronunciet quidem, at non probet. S P. Saltem nobis tui, veritatiſque ſtudioſis hac in re gratificare, vt rectius iudicare contraria ſcripta diſcamus, minuſque ſeduci nos ſpecioſis rationibus in poſterum patiamur. Adde, quod ipſa tot illuſtrium virorum, quos autor hic immerito nimis, & indigne, ac duriter tractat nomina, hoc abs te petunt, vt eorum exiſtimationem aliqua ex parte aſſeras. Etenim plerique iam vita functi ſunt, Rondeletius, Fuchſius, Argenterius, Valeriola. Iulius Alexandrinus ea videtur iam eſſe ætate, vt ſi maxime velit, non poſſit hoc certamen ſubire. Chriſtophorus a Vega longius abeſt, quam vt mature accipere hunc librum poſſit, cum conſtet eum difficulter a noſtris haberi adhuc potuiſſe. Tu igitur merito tui ipſius, atque aliorum patrocinium ſuſcipere teneris, vt quid in tota re verum ſit, aut non, iuuentus perſpiciat, ac in poſterum meliora deterioribus relictis amplecti diſcat. Putat Montanus in naturam peccare omnes, qui non probent Galeni omnia: quæ mihi nimis dura videtur ſeruitus. Equidem inter legendum hoc animaduerti, eum aliquando vix, interdum nullo modo, nonnunquam maiore errore admiſſo ſeſe explicare voluiſſe ex diuerſis Galeni ſententiis. Taceo, quod eum errauiſſe in Anatomicis fatetur, quia fronte nulla negare potuit. Et quid hoc eſt? An Deus ita dedit vni Galeno omnia, vt nec errare inſtar aliorum hominum potuerit, & nihil reliquerit poſteris vel quærendum, vel corrigendum? Sed ecce iam me recolligo neſcio quo impetu abreptum. Putaui enim de principio vix quicquam in hoc libro reprehendi potuiſſe. Cum audiui quæ in te damnarit iniuſte, alia quoque in mentem venerunt, quæ me vt dicerem, quæ modo dixi, impulerunt. Summa eſt, te oro vt poſtquam dubitare cœpi, mihi & per me aliis rem totam exponas plenius. E R. Dicam ingenue: propoſitum mihi ab initio fuit, nihil ei reſpondere, vt qui iudicarem doctos omnes, qui noſtra cum Montanis contuliſſent, facile viſuros, quid diſtent æra lupinis. Sed vnum hoc præcipue me permouit, vt an inhibere hominis a nobis laceſſiti inſolentiam oporteret, mecum deliberauerim, quod tanta audacia me tot monſtrorum autorem publice proclamare auſus eſt, cum ne vnius quidem vel minimi in toto hoc opere ſuo potuerit conuincere. Acceſſit deinde alterum, quod ex diuerſis regionibus ac locis viri doctrinæ laude celeberrimi literis miſſis me cohortantur, vt maledicendi nimium luxuriantem libidinem pro viribus comprimam, ne longius ſerpat. Me tamen maledicta eius non commouerunt, vt qui pluris non æſtimem, quam ſibilum anſeris. Quod facio, præcipue ob id facio, vt Paracelſi ſectatores intelligant, quam non potuerit vllius nos erroris conuincere, quanquam multos ipſe in hoc libro ſuo ſparſerit, ac ſeminarit, atque ita criſtas erigere deſinant. Morem ergo ubi geram. At aliorum patrocinium nequaquam ſuſcipiam, propterea quod eorum libros, quod ſancte affirmare poſſum, partim nunquam, partim olim, partim non ita, vt oportet, legi. Alexandrini nihil vnquam inſpexi, Fuchſii pauca vidi, Argenterii multo pauciora, Valeriolæ plura, ſed obiter tantum percurri, nec eorum, quæ legi, nunc memini. Fernelii libros de abditis rerum cauſis attente examinaui olim: & poſt annos aliquot etiam Medica quædam expendi. Chriſtophori a Vega librum habeo quidem, & in eo quædam legi, ſed perlegendi ocium & occaſio conceſſa nondum fuit. Quæ ideo hic refero, vt cur eorum defenſionem mihi nolim imponi intelligas, & ſimul non recte Montanum facere videas, dum me huius, vel illius argumentis perſuaſum hoc vel illud aſſeuerauiſſe pronunciat. Poteſt fieri, vt a præceptoribus meis Bononiæ talia audierim. Sed nec quia hi dicerent, nec quia ex aliis ipſi hauſiſſent, fidem eis adhibui, priuſquam apud me diu ruminauiſſem, rebuſque conſentanea inueniſſem. Non enim ſtatim credere ſolitus fui, quicquid a præceptoribus aut aliis affirmari audiui. Qui, qua felicitate mea oppugnet, viderit, de aliorum erratis rectius iudicabit. Etſi enim Fernelium multa perperam innouaſſe non inficior, tum Argenterium cupide nimis Galenum taxaniſſe, factiq; ſui plerumque cauſam nullam iuſtam habuiſſe non nego: tamen cum quomodo me tractarit Criticus noſter, conſidero, facile huc propendeo, vt iniuriam eis factã in nonnullis locis ſuſpicer. Scio etiam, quæ inſte alias reprehendi poterant, non tamen ab eo confutata eſſe. S P. Si conſtitutum eſt ea duntaxat perſequi, quæ in te nominatim, vt falſa damnat, patere me perſonam eius induere, quo melius rem omnem intelligam. Quia etiam facile in noſtra iſta collocutione

euenier, vt vnius difficultatis explanatio ſecum trahat (vel in animo meo ingeneret) dubium aliud, quod fortaſſe extra illa ſit, de quibus tibi diſſerendum duxiſti, peto vt illud etiam explicare non graueris. Er. Placet. In Ariſtotelis Galenique doctrina certius nihil eſt, quam morbum eſſe ad aliquid: Quomodo ergo tu hoc argumentis quibuſdam tibi oppugnandum putauiſti? Sed omiſſis tribus poſterioribus argumẽtis (quatuor enim adſers) primum magno vitio laborat. Quippe Ariſtoteles 7. Phyſic. 3. demonſtrat hoc argumento ſanitatem ac morbum non eſſe alterationes, quia ſint ad aliquid, tu vero probare vis morbum non eſſe Relationem, quia ſit alteratio. An non maniſeſte hoc cum ſententia, menteq; Ariſtotelis, ipſaque adeo veritate pugnat? Qui enim poſſit alteratio terminus alterationis cenſeri, cum neceſſarium ſit alterationem non amplius eſſe, cum primum terminata eſt, atque alteratione adhuc durante terminus eius exiſtere nullo modo poteſt. Er. Propone argumentum, vt recte omnia declarentur. Spvdastes. Relatio de ſententia Ariſtotelis V. Phyſic. non eſt principium, nec terminus motus. Morbus eſt principium & terminus motus. Calor enim, qui paulatim auctus eſt euſque, vt actiones læderet, habuit initium motus, ac finem. Erastvs. Iam verba mea viciſſim audi, & an hoc dixerim, quod Cenſor Montanus ſomniauit, obſerua. Sane Ariſtoteles relationem recte, ac vere negat vel principium, vel terminum motus eſſe. At omnis morbus eſt motus principium, ſiue cauſa, atque etiam motus terminus. Cum enim alteratio diſpoſitionẽ permanentem attigerit talem, quæ actiones offendat, morbus dicitur eſſe. In hoc argumento duo ſunt media (quæ breuitatis cauſa coniunxi) cauſa motus, & terminus motus. Quare duo ẽt ſunt argumenta, quorum prius eſt: Nulla relatio eſt cauſa, vel principium motus. Omnis morbus eſt cauſa motus. Alterũ tale eſt: Nulla relatio eſt motus terminus, ſeu finis. Omnis morbus eſt motionis finis. Minor primi ſyllogiſmi eſt per ſe nota & conceſſa, ex morbi definitione. Definitur enim quod ſit διάθεσις actionem primo lædens. Quare cauſa eſt motus, nempe actionis læſæ. Nulla igitur eguit probatione. At alterius ſyllogiſmi minor, quia non æque manifeſta videtur, probata eſt a me his verbis: cum enim alteratio diſpoſitionem, &c. Diſpoſitio permanens ab alteratione inducta eſt motus terminus. Morbus eſt diſpoſitio ab alteratione inducta. Malui ponere nomen alterationis, quam motionis, quod generalius eſt, vt Galeni verbis potius quã meis vterer. Vbi nam, oro te, in verbis meis reperitur, quod Montanus falſo mihi adſcribit Morbum eſſe alterationem? Quis non nouit contradictoria affirmari ab eo, qui morbum alterationis finem eſſe ait, & alterationem eſſe pariter aſſerit? Simul nullo pacto ſunt, vel eſſe poſſunt motus, & finis motus: ſed altero exiſtente, alterum non exiſtere prorſus eſt neceſſarium. Quid in tota illa epiſtola magis vrſi, quam morbum eſſe rem permanentem, & non motum? Credidi cælum potius ruiturum, quam aliquem inuentum iri, qui me in illis epiſtolis aſſeueraret docuiſſe, morbum alterationem eſſe. At repertus eſt Comes Montanus publicus Cenſor, qui publico ſcripto id aſſerere auſus eſt. Quam recte, ipſe viderit. Sp. Non ſic intellexit, ſed putauit te nomen principii vſurpauiſſe pro principio vel initio temporis ac generationis, vt hic ſenſus ſit: Morbus eſt initium alterationis & eiuſdem quoque terminus. Tu autem principii nomine vteris pro cauſa. Er. Cum in tota illa epiſtola hoc potiſſimum egerim, vt morbum demonſtrem a motu toto genere differre, non ſine cauſa miror, quod huius me criminis reum facere tentarit Montanus. Rerum duo eſſe genera ex Galeno docui, quorum altero res exiſtentes, & factæ continentur, altero motiones, & alterationes, & omnino quæcumque non ſunt, nec eſſe poſſunt, niſi quamdiu fiunt, comprehendantur. Ac morbum nõ in hoc, ſed in illo genere collocatum demonſtraui. Argumentis etiam multis & indiſſolubilibus oſtẽdi morbum fientem nullum eſſe, ſi abſolute & proprie ſumatur verbum fieri. Quomodo ergo ſuſpicari Montanus potuit me principium ibi accepiſſe pro initio motus? An initium motionis non eſt motus? Deinde cum non poſuerim ſolum nomen principii, ſed ei addiderim nomen cauſæ (ſic enim ſcripſi: Morbus eſt motus principium, ſiue cauſa) omnino vidiſſet, ſi videre voluiſſet, me per principium, & cauſam idem intelligi voluiſſe. An non hoc eſt quærere quod accuſes, vbi tamen nihil eſt accuſatione dignum? An iuſta eſt Cenſoria hæc virgula, & non potius incurua & contorta? Sp. Eſto ſane, errauerit in hac parte: an propterea non recte damnat, quod hic morbos relationes eſſe negas? & in fine epiſtolæ de curatione, morbum & ſanitatem ſtatuis cum Ariſtotele ad aliud eſſe? vt Montanus ait lib. 2. cap. 12. Er. Videamus contradictionem. In loco a te citato hæc leguntur. Ariſtoteles morbum & ſanitatem ad aliud referri ait libr. 7. phyſic. 3. Quænam eſt hæc diſſenſio cum morbos relationes non eſſe aio, & cum morbos referri aſſero? Oculatiores eſtis, tu & Montanus Cenſor, quam ego ſim, ſi diſſenſionem hîc aliquam videtis. Sp. An non pugnantia ſunt, morbum referri, & non referri? Er. Imo vero vtrumq; recte dicitur, cum ad diuerſa reſpicimus. Sed vbi hæc a me dicta inueniſtis? Ego enim recordari non poſſum. Sp. In locis citatis vtrumq; reperitur. Er. Si tibi negauero, vnde probabis? An tu pugnare cenſes, referri, & non eſſe relationem? Video Montanum, aut fal-

ſa & ſinuoſa vſum eſſe regula, aut negligenter adhibuiſſe. Relatio eſt accidens, ſeu qualitas illa vna participata a duobus abſolutis, propter quam inter ſe referuntur. Vt ſi albedo vna ad aliam aldedinem referatur propter ſimilitudinem; relatio erit ſimilitudo albedini vtrique accidens, ſiue inter eas interueniens, eaſque inter ſe connectens, & deuinciens. Relata vero ſunt vtraq; albedo quatenus ſimilitudine participant. Ipſa autem ſimilitudo, quæ eſt relatio, non refertur ad aliud, ſed eſt id quo albedines inter ſe referuntur. Si enim referretur alia relatione, neceſſario referretur, & illa rurſus alia, ſicq; in infinitum res abiret. Ex his facile perſpicis recte me affirmare, Morbum, qui eſt qualitas abſoluta, diſpoſitio ſcilicet, non eſſe relationem ſicut nec hæc vel illa, relatio eſt, antequam ſimilis ei alia albedo oriatur. Et quemadmodum albedini accidit, vt alii ſimilis fiat, ita morbo accidit, vt referatur. Aliud ergo longe dicit, qui morbum non eſſe relationem dicit, hoc eſt, qui accidens illud eſſe negat, quo referri poteſt, & qui morbum referri ſeu relatum eſſe ait: cum non ſint idem relatum, & relatio. Si eadem eſſent, cum relatũ omne ad aliud referatur, etiam relationem referri ad aliud oportet neceſſario, quod fieri non poſſe oſtendi. Quæ quia Montanus non animaduertit, facile putauit me pugnantia ſcribere. Mirari interim licet morbos non eſſe relationes, & referri tamen fateatur, vitio mihi vertat, quod laudi ſibi ducit. Si tibi libet conſiderare verba Montani hæc (leguntur lib. 1. c. 17.) Plenitudo, quatenus eſt morbi cauſa, relatio eſt; quatenus vero humorum redundantia, qualitas eſt, quæ diſpoſitio dicitur, facile perſpicies quam eleganter, ac proprie de hiſce rebus loquatur, vt alia taceam. Profecto mihi ſi propoſuiſſem ita in ipſius ſcripta inquirere, vt ipſi noſtra cenſere libuit, quam multa, quamq; vere pleriſq; in locis, & in his verbis poſſem oſtẽdere negligenter, & incaute ab eo affirmata eſſe? Verũ aliô nũc propero. In præſentia ſufficiat, clare aperteq; demõſtrauiſſe Montanum iniuriã mihi facere, cum me ait ſcripſiſſe morbos alterationes eſſe. Nec melior eſt altera accuſatio dũ me mihi contraria de Relatione morborum tradidiſse, ait. S P. Cum de hac re diligenter cogito, quomodo eum excuſem apud me ipſum non reperio. Quippe vix eſt credibile eum non vidiſſe in quo ſignificato nomen principii poſueris, præſertim cum nomẽ cauſæ adieceris. Deinde qui potuit opinari te in illis epiſtolis morbos alterationes facere, cum nihil ſtudioſius probes, quam eos in genere ſubſiſtentium, ſactorum, ἁπλῶν ὄντων, vt Gal. in Meth. loquitur, contineri? Valde probabile eſt eum ſibi perſuaſiſſe ex crebra reprehenſione ſe vberiorem fructum meſſurum gloriæ, & ob id anxie conquiſiuiſſe, conſulteq; mox arripuiſſe quicquid occurrit, quod accuſari poſſe videretur. Huc pertinere illud quoque videtur, quod alicubi ſcribit, inſtituti ſui eſſe, Fernelii antoritatem quacumq; ratione poſſit, infringere. E R. Si aliqua eſſet mea apud doctos exiſtimatio, non admodum affirmare dubitarem, tale quippiam ei in animum veniſſe. Sed parum noſtra refert, quo conſilio nos inuadat, dummodo veritas declaretur, & intelligatur. Quare ad ſecundum caput cenſuræ ſuæ accedamus. S P. Alterum accuſationis caput eſt in lib. 2. cap. 11. Hic enim ait te vna cum D. Chriſtopboro a Vega manus dediſſe argumento ab Argenterio adducto, idem illud laudare, nouaq; ratione a definitione morbi petita confirmare, hoc modo: Quod eſt diſpoſitio, ſiue nõ habet τάξιν, vel ſecũdum locũ, vel ſecundũ poteſtatẽ, vel ſecundũ formã, morbus non eſt. Sed qualitas in intemperie alias exuperans, nõ eſt diſpoſitio, ſiue nõ babet θέσιν, vel loci, vel potentiæ, vel formæ, ſiquidẽ per ſe conſideretur. Talis igitur qualitas morbus non eſt, cum omnis morbus talis ſit diſpoſitio. Sunt ergo tales qualitates, non motbi, ſed morborum cauſæ. E R. Hoc ne ſcelus illud grande eſt, quod totidem arte Medica peperit monſtra, quot nobis Paracelſus genuit, ac enutriuit? S P. Imo vero non eſt vnicus in hoc argumento tuo error, ſed plores. E R. Quinam? Recenſe nobis. S P. Negas caliditatem, frigiditatem, &c. ſuperantem alias qualitates in vitioſa temperie morbos eſse, quia non ſint diſpoſitiones: & cauſas interim motborum eſse concedis, ac ſi cauſæ diſpoſitiones non eſsent. At Galenus tam vocat cauſas diſpoſitiones quam ipſos morbos. Deinde aduerſaris Ariſtoteli, qui caliditatem & frigiditatem pro exemplis diſpoſitionum ponit. Poſtremo non ſolum a ratione, verum etiam a ſenſibus alienum te declaras, cum caliditatem & frigiditatem diſpoſitiones eſſe negas, quia poſitionem non habeãt. Quid enim eſt, quod magis poſſit vocari diſpoſitio, quam qualitates primæ? aut quid eſt, quod magis præ ſe ferat ordinem & diſpoſitionem partium? Equidem in primo libro determinatum eſt, diſpoſitionem eſſe ordinem, & diſtributionem poſitionum, quæ ab agente in patiente ponuntur. Vnde aſſerendum eſt qualitates iſtas multo magis poſitionem habere, quam tuas proportiones. Illæ namque ſunt res poſitiuæ, cum bæ potius ſint imaginariæ. E R. Putaui te mihi portentoſos, & prioribus ſeculis non vnquam auditos errores, imo crimina ſtupenda in Pbiloſophiam & Medicinam commiſſa obiecturum, cum me non mente ſolum, verum etiam ſenſibus ſpoliares. Verum nihil præter portenta inanium verborum, & rerum monſtra audiui. Errorem meum nullum, Montani grauiſſimos recitauiſti, quos paulo poſt demonſtrabo. Altius nunc repetere me quædam oportet. Quod antequam aggredior, illud primum obiter monebo

falli Montanum, cum me, vt ita ſentirem, Argenterii argumentis compulſum audacter nimis affirmat. Nam quo tempore illa ſcripſi, nihil Argenterii videram, excepto libello de conſultationibus apud ægros. Vega quoque tunc nondum ſcripſerat, vt opinor. Quid prohibet plures de re eadem cogitantes eadem ſentire, dum natura eadem manet? Deinde conſiderare te velim, quam curioſe & ſollicite Criticus noſter quæſierit, quod carperet. Nam circa finem commentarioli de cauſa continente morborum explicatis verbis dixi, me ad oſtendendam cauſam continentem accuratione iſta vti voluiſſe, quia ſubtilius & exquiſitius dicantur, quam mihi de propoſita quæſtione diſſerendum duxerim. Monere ſolum obiter volui, poſſe aliquem accuratius iſta tractare & expendere: mihi tamē ἀκρίβειαν illam eſſe neceſſariam vt qui ſatis iudicarim eſſe ita ea de re diſputare, vt Medici ſolent, qui non libenter a ſenſuum iudicio abeunt. Falſum igitur vides quod ſcribit, me hoc argumentum pro defendenda cauſa continente adduxiſse, cum me vti eo nolle profeſsus ſim. Si in reliqua diſputatione tot monſtra prodigioſa repperit, cur non illa potius, quæ dicta volui, refellere tentauit, quam telum conatus eſt, quo me tum defendere, alioſue lædere nolui? Vehementi gloriæ, laudiſque ſiti æſtuans arripuit fortaſſe quicquid eam extinguere viſum eſt, priuſquā canone ſuo explorare ſatis potuit. Itaq; cum ſe hic aptam materiā inueniſſe putaret, auide nimis hauſit. Verendum autem eſt ne ſub dulcedine ingens latuerit amaritudo. Equidem non multo poſt perſpiciet, opinor vter noſtrum vera ſcripſerit, aut monſtra pepererit. S P. Ad rem ergo ipſam accedito: memini enim ita rem habere. E R. Principio videndum eſt quid ſit temperamentum, vt ex veris principiis veram eliciamus cōplexionem Temperamēti vox (temperiei, temperaturæ, temperationis par ratio eſt) apud Latinos idem aliquid ſignificat, quod moderatio, ſeu modus, & mediocritas, μετριότης Græcis dicta. Vſurpatur ab iiſdē non infrequentius pro qualitate ea exprimenda quam κρᾶσιν Græci nominant. In qua ſignificatione Medici vtūtur, & nos deinceps vtemur. Galenus frequentiſſime κρᾶσιν, aliquando etiam εὐκρασίαν, & συμμετρίαν vocat. Nomen κατασκευῆς latius patet cum apparatum & ſtructuram quoq; comprehendit inſtrumentorum, ſicut & nomen συμφωνίας, & ἁρμονίας, quibus Ariſtoteles interdum vſus eſt. Qui ſuperioribus aliquot ſeculis Medici floruerunt complexionem appellarunt, voce minime inepta quidē, ſed Latinis in hoc ſignificato non vſitata. Scite hoc loco Montanus aſſerit latius diffundi nomen miſtionis, quam temperamenti, quod miſtio etiam de corporibus efferatur, Temperatio de ſolis qualitatibus accipiatur (nos miſtionis vocabulum ſæpius vſurpabimus in hac diſputatione, pro ſola qualitatum mutua temperatione ſeu alteratione) Eſt enim temperamentum mediocritas primarum quatuor qualitatum, quæ eſt nominis expoſitio. De nomine ſatis; nunc de re ipſa dicendum. Definitionem temperamenti, quam Montanus noſter ex Auicenna, & Alexandro attulit, docti omnes ſemper, vt veram collaudarunt. Temperamentum (inquit Auicenna) eſt qualitas ex mutua qualitatum elementarium actione ac paſſione orta. Cum enim inter ſe viribus ſuis agunt ac patiuntur, prouenit in toto qualitas, quæ dicitur complexio. Sic Alexander diſcrimē generationis & temperamenti declaraturus ait, Temperamentum eſſe qualitatem vnam illam, quæ poſt mutuam primarum qualitatum actionem ac paſſionem repreſſis iam contrariis earum exceſſibus quibus ſe inuicem hoſtiliter oppugnabant in materia ſubiecta exiſtit. Haud aliter veteres omnes temperamentum nobis definierunt. Omnes certe vnam quandam qualitatem definiendo expreſſerunt a primis quatuor differentem. Qualitas hæc vna quæ terminus eſt, ac finis mutuæ actionis, & paſſionis primarum qualitatum, neceſſario alia eſt ab ipſis, & ob id a nonnullis quinta qualitas dicitur. Si enim temperari dicuntur, quæ ad mediocritatem deducuntur, nec tamen prorſus corrumpuntur: ſequitur omnino, vt mediocritas illa diathesis quædam ſit in earum omnium vnitate, ac repreſſione conſiſtens. Non igitur vel frigiditas, vel caliditas, vel humiditas, vel ſiccitas, ſed ab omnibus his diuerſa eſt. Quod vt planius ac melius intelligas, diligenter apud te ipſum conſidera, quotnam res in temperamenti ortum concurrant, & quo inter ſe diſcrimine diſtent, ac facile te ex hac re, quæ obſcura & intricata aliàs videtur, extricabis. Sunt loco primo quatuor primæ qualitates. Secundo, ipſa inter ſe actio & paſſio, ſiue alteratio. Tertio, alterationis huius terminus. Cæterum ipſæ qualitates non poſſunt vocari temperamentum, cum ſint eius cauſæ. Nec alteratio, ſeu actio & paſſio illa, qua ſe mutuo reprimunt, atq; ſingulæ aliarum vehementiam hebetant, dum inimicitiam deponant, temperamentum cenſeri poterit. Ita enim inter ſe differunt vt motus, & eius terminus. At motu exiſtente terminus non eſt: ac termino exiſtente impoſſibile eſt motum eſſe. Quod ſi ergo ſimul eſſe numquam poterunt, quomodo eadem erunt? Temperamentum quoq; diatheſis, & res permanens eſt, cum iſta actio & paſſio motus quidam ſit, hoc eſt, fiat ſolum, & nullam facti partem ſeruet. (quicquid enim in motu factum eſt corruptum eſt.) Quocirca ne quidem fingere nobis licet, quomodo pro eiſdem haberi poſſint. Reſtat igitur vt temperamentum confiteamur diuerſum eſſe a qualitatibus quatuor, a quibus per mutuam alterationem efficitur;

citur;

citur: quod Auicennæ, Alexandro, & omnibus eruditis ſemper placuit. S P. Fateor ingenue non poſſe aliud ex Auicennæ, Alexandriq; verbis elici, quomodocumque torqueantur. Nec de ipſa rei veritate quicquam dubito, cũ aperta ratio ita nos cogat exiſtimare. Cæterũ quia alii quidam, & Montanus noſter aliter iudicant, cupio hoc ipſum pluribus rationibus declarari pariter ac probari. E R. quia facile mihi factu eſt, ſatisfaciam tuo deſiderio: tametſi non videro cui ſatis eſſe poſſit ni, cui, quæ dicta ſunt, non ſufficiunt. Quis enim ambigit, quin terminus motus toto genere differat ab ipſo motu, cum terminus ſit res permanens, motus autem non ſit, niſi dum fit? Deinde fieri nulla vi poteſt, vt vel motu exiſtente, terminus eius exiſtat, vel hoc exiſtente motus ſit. At temperamentum eſt motus finis, ac terminus: Æque certum eſt effectum aliud eſſe ab efficiente cauſa. Vt enim nihil ex ſe ipſo fit (ſemper enim id quod ex aliquo fit, ab eo diſcretum, & diſtinctum eſt, ex quo fit) ita quoque nihil ſeipſum efficit, ſed a ſe, aliud. Etenim eſſet, ac ageret, priuſquam natum eſſet: in quo manifeſta contradictio eſt. Sed conſtat qualitates quatuor primas per motum, ſeu per mutuã inter ſe actionem, ac paſſionem, diatheſin, quam temperamentum vocamus, efficere. Quid igitur amplius requiras? S P. Et quid vetat quominus quoque alia addas quibus hoc ipſum argumentum illuſtretur? E R. Quando ita libet, fiat. Confeſſum eſt cunctis pro vna, eademq; re ſignificanda a Medicis poni hæc nomina, ſanitas, conuenientem naturæ corporis temperatio, (tu vero de ſimilarium partium ſanitate potiſſimũ dici putato, quæ hic dicemus) εὐκρασία, συμμετρία, ἁρμονία. Hæ porro voces omnes non vnam aut duas qualitates tantum ſignificant, ſed mutuum inter eas conſenſum ac diſpoſitionem denotant. Quippe, vt harmonia, vel concentus vocum aliud eſt ab omnibus vocibus, quibus conſiſtit: ita temperatio qualitatum aliud eſt a qualitatibus inuicem temperatis, & ad certam mediocritatem redactis. Intelliges plenius, ſi quid in miſti corporis generatione eueniat, cõſiderare voles. In vera miſtione, cum ex elementis miſtum aliquod fit, vt exempli gratia, caro, duo quædam neceſſario ſimul contingunt. Nam dum ipſa elementorum corpora in carnem (quæ nullum eſt ex elementis, ſed ab omnibus diuerſa res quædam) opera qualitatum coaleſcunt, & nouo communiq; actui, ſeu formæ ſe ſubiiciũt: ipſæ quoque qualitates per mutuam actionem, paſſionemq; remiſſæ conſpirant, & communi quadam diſpoſitione, quæ craſis vocatur, veluti forma quadam cohibentur. Et quemadmodum carnis materia aliena eſt a ſingulorum elementorum materia, ex qua tamen per alterationem nata eſt, ita qualitatum quoque diſpoſitio, quæ repreſſas qualitates deuincit, ac vnit, diuerſa eſt omnibus qualitatibus, in quibus conſiſtit. Quod cum Cicero vidiſſet, præclare ſcripſit ſanitatem eſſe corporis temperationem, cum ea congruunt inter ſe, quibus conſtamus. Conſtant autem partes ſimilares non vnæ, vel duabus, ſed omnibus quatuor qualitatibus in materia rite temperatis. Cæterum negari non poteſt quin congruentia hæc ſit qualitas quædam diſtincta a qualitatibus primis & in omnibus æque inſideat. Quoniam igitur omnibus vocabulis, quibus temperies reprimitur, non vna dumtaxat, vel duæ qualitates primę ſignificantur, ſed alia ab illis omnibus diſtincta repræſentatur; merito dicimus temperiem non eſſe primatum qualitatum aliquam, ſed ab his ortam, & in his, velut in ſubiecto conſiſtentem diſpoſitionem. Dico velut in ſubiecto, quia non neſcio ſubiectum proprie vocari, & eſſe partem, cui, tum ipſæ qualitates, tum ex earum alteratione nata temperatio ineſt. Si alio exemplo declaratum cupis, ita fere ſe habet temperies ad qualitates, in quibus ſpectatur, vt ſe habet acies ad milites, aut forma domus ad parietes, fundamentum & tectum, ſiue materiam. Quis porro dubitat, an aliud ſit acies a militibus in aciem diſpoſitis? aut quis domus formam nõ intelligit differre a figura partium, quarum eſt figura, & diſpoſitio? Si diſtingui neges, concedere te oportebit partes domus diſiectas, & quouis modo iacentes domus habere figuram. Domus itaque erunt, & non erunt eodem tempore: quod fieri non poteſt. Adde quod elementorum qualitates, ſiue integræ, ſiue remiſſæ ponantur eſſe, per ſe augeri ac minui poſſunt, quod temperamento per ſe non competit. Longe igitur differunt. Sed quid eſt argumentis opus in re clara? Quis, quæſo te, non intelligit, qualitates illas omnes, quarum ratione corpus noſtrum mouetur, & alteratur plurimum diſtare, nec eaſdem eſſe poſſe cum iis, quarum ratione idem non alteratur, ſed quieſcit? Equidem non minor eſt diſcrepantia, quam inter motum, & eius terminum, ſeu formam ab eo productam, ſi hoc dempſeris, quod illæ ſimul eſſe poſſunt tempore, illæ non poſſunt. At certum eſt propter qualitates primas corpora noſtra per ſe alterari, & propter temperamenta quieſcere, non autem moueri. Certiſſimo igitur certius eſt, temperamentum eſſe qualitatem diſtinctam a quatuor primis qualitatibus, ſiue ſimul omnes ſumantur, ſiue vna vel duæ ſeorſum ab aliis accipiantur. S P. Ego ſane de hac re nihil amplius dubito: attamẽ ſcire cupio, an præter Auicennam & Alexandrum cæteri quoque præſtantes Medici & Philoſophi conſenſerint.

E R. Quiſquis hãc cauſam recte intellexit, nec veritati ſciens, & prudẽs opponere ſe decreuit, non dubitabit, quin idem alii, præſertim vero Galenus, & Ariſtoteles ſenſerint. Quia de

Auicenna, & Alexandro diximus, de Galeno, & Ariſtotele quoque adiiciam, poſtquam id te cupere animaduerto. Quamquam cur de Galeno dubites, non video, cum omnes eius libri teſtimoniorum pleni ſint. Quid enim aliud cenſeri poteſt voluiſſe, cum medicamenta toties dicit agere, vel qualitatibus reliquas ſuperantibus, vel toto temperamento? Aperte qualitates a temperie alias facit. Idem ſtatuere cogimur, cum propter ἰδιοσυγκρασίας certos peculiariter agere, vel pati aſſeuerat. Ne imaginari quidem aliter eum ſenſiſſe poſſumus, quoties nil aliud eſſe temperiem contendit, quam formam ſubſtantiæ, quam animam, quam facultatem animæ, aut potentiam corpus gubernantem. Nemo mihi perſuadebit Galenum vſque adeo inertem, & ſtupidum fuiſſe, vt ſanitatem, vt animam, vt facultates omnium operationum noſtrarum authores, & effectores putarit nihil aliud eſſe quam patibilem qualitatem a contrariis infractam, & perſtrictam. An Ariſtotelem non legi? An eius hac de re ſententiam, & probationes vſpiam reprehendi? Nequaquam. Probauit igitur in libello, quod animi mores ſequantur corporis temperationem, ab euidenter apparentibus argumento petito acriter aduerſus Ariſtotelem pugnans pr bare conatur quæ diximus. Etſi autem quod vult, non conficit, non tamen non docet nos, quæ in hac parte mens eius fuerit. Huius generis ſententias in 1. de vſu part. 9. de multitud. 3. denique vbique reperies, vt ſuperuacaneum merito videatur plura citare. Fortaſſe in progreſſu diſputationis plura, vel nolentes citare cogemur. Quin idem docuerit Ariſtoteles, nullus ambigit in eius lectione verſatus. Quamuis enim totidem verbis non dixerit, tamen ex doctrina eius tota neceſſario concluditur. Sufficit nobis vel vnus ille ex fine 7. Metaphyſ. locus, vbi exemplo, Ba, ſyllabæ negocium præclare declarat. Sed in lib. 7. phyſic. cap. 7. idem verum eſſe demonſtrat, vt ſuo deinde loco perſpicietur. Sp. Tempus eſt vt crimen obiectū diluas. Er. Satius fuerit fortaſſe prius videre, quid Criticus noſter hac de re ſentiat. Sp. Bene mones: nam viſus mihi eſt non a te ſolum, ſed etiam a ſeipſo nonnihil diſſentire. Noſter eſſe videtur cum lib. 1. c. 3. ἀλλοίωσιν ex Simplicio aſſerit formam eſſe, quæ poſt alterationem, ſiue paſſionem, & patibilem qualitatem prouenit. Deinde cap. 16 ait calorem, qui poſt calefactionem in corpore ineſt, formam eſſe ex alteratione natam. Deniq; lib. 2 cap. 3. hæc habet: Temperies eſt qualitas, quæ ex omnibus illis reſultat, mediocris, & moderata. Qui hæc ita volet accipere, vt verba ſonant, non putabit aliud eum ſenſiſſe, quam tu ſentire te demonſtrauiſti. At vero cum quæ mox cap. 4. lib. 2. ſequūtur intueor, aliter eum exiſtimauiſſe iudico. Sic enim ibi ſcribit: Dico temperiem non eſſe qualitatem quintam a primis quatuor diuerſam, ſed ex omnibus illis reſultare, & vnam ex illis eſſe non ſummam, atq; intenſam, ſed remiſſam ac refractam. Et cap. mox 12. eiuſdem libri: In diſputatione contra Fernelium aſſeruimus, inquit, temperiem non eſſe concentum qualitatum quatuor, ſed mediam illam qualitatem, quæ ex miſtione oritur. Item: Non eſt proportio inter qualitates primas, ſed medium illud, in quod deſinunt peracta miſtione. Et paulo poſt: Ad argumentum dico temperaturam non conſtare ex quatuor qualitatibus, ſed ex miſtione quatuor qualitatum exoriri, vt recte ſenſiſſe Auicennam demonſtrauimus. Et ideo cum deducit: Ergo nulla qualitas eſt per ſe temperatura, ſicuti parietes non ſunt domus, nec tectum, nec fundamenta, perperam fit deductio hæc: Nam domus vere cōſtat ex illis. At temperies ex quatuor qualitatibus non conſtat, ſed vna eſt ex illis: vt patet miſta omnia conſideranti. Cum hæc, inquam, diligenter examino, videre mihi videor, eum ſibi non conſtare, dum alios tentat refutare. Er. Huc & illa pertinēt, quæ lib. 4. cap. 28. habentur. Sp. Exciderant. Er. Nihil peccatum a te eſt: Nam ſuo deinde loco fortaſſe hæc etiam examinabimus, aut his explicatis inſpiciemus. Montanus ſæpe accuſat alios, quod ſtudio vel gloriæ aucupandi, vel alios redarguendi facti ſint cæci. Quid ipſi euenerit, neſcio, ſed grauiter hîc, & alibi eum errare ſcio. Vix dixero, an ſe ipſum intellexerit, dum hæc ſcribebat. Temperies, inquit, eſt mediocris, & moderata qualitas ex mutua primarum qualitatum actione, & paſſione orta. Quæro igitur ex te quænam ſit illa qualitas mediocris? vnamne dices ex quatuor, an ab aliis diſtinctam ſtatues? Reſponde pro ipſo, poſtquam te id facturum recepiſti, & ipſius verbis reſponde, ſi potes, vel, vt libet. Sp. Iam dixi, eſt vna vel duæ ex quatuor primis. Er. Nomina eam. Sp. Quia in bona temperie nulla excedit, vix habeo, quod ſecurus dicam. In vitioſa temperie, quia ſemper aliqua cæteras ſuperat, tutius nominare poſſem. Er. Nihil hîc difficultatis. Arbitror enim mediocrem ab eo dici, non eam, quæ ad pondus æſtimatur, ſed quæ in homine quolibet ſano comparatione ad intemperiem facta ſpectatur. Eſto ergo, ſi ita placet, caliditas. Sp. Bene habet. Sit ergo caliditas ad medium tale reducta. Er. Vnde vel a quo eſt mediocris reddita? Sp. A mutua inter ſe actione, & paſſione. Er. Dum hæc ita ad mediocritatem per actionem redigeretur, an non & aliæ tunc agebant, & patiebantur, & ad mediocritatem ſubiecto conuenientem deductæ ſunt? Sp. Omnino. Quippe non eſſet facta miſtio, mutuaque actio, & paſſio, niſi omnes mutuo ſe repreſſiſſent. Er. Cur ergo ſolam caliditatē vocas mediocrem, & temperatam, imo ipſam temperationem. Si tres reliquæ huic mediocritatem tradidiſſent,

nec iuxta

nec iuxta proportionem quæque ſuam ſimiliter paſſæ fuiſſent, tolerari fortaſſe poterat. Iam cum omnes ſecundum analogiam egerunt, & perpeſſæ ſunt, vnde hanc prærogatiuam ſola caliditas acquiſiuit? S P. Quia cæteris præſtat poteſtate, & viribus. E R. Si a viribus nacta fuiſſet hanc dignitatem, habuiſſet eam ante miſtionem, ſeu temperationem. Dico tibi temperatam vocari caliditatem, quia eſt ab aliis ad hanc moderationem coacta. Sed idem paſſæ ſunt reliquæ. Cur igitur non ſimiliter vocantur, & ponuntur temperamentum eſſe? Nihil hîc excuſat exceſſus, cum ex æquo omnes ſint, pro ſuo ſingulæ modo retuſæ, & hebetatæ, hoc eſt alteratæ, ac temperatæ. Quare cum affectio hæc ſit communis omnium, vt ex æquo omnibus inſit cur vni tantum, vel duabus tribuit? S P. Non habeo quod dicam aliud: Caliditas eſt velut domina, & gubernatrix aliarum, ideo ipſi præ cæteris hunc deferimus honorem. E R. Haud exiſtimo Montanum ita frigide reſponſurum: non enim cui qualitati maior ſit habendus honos, quærimus; ſed quid verum ſit inueſtigamus. Si propter dignitatem & exceſſum caliditas pro temperamento eſſet habenda, in ſicca, vel humida intemperie tranſiſſet hęc dignitas ad alias qualitates. Deinde temperamentum eſſet caliditas, priuſquam temperaretur. Imaginare qualitates quatuor conueniſſe ad miſtionem, ſed nondum agere, ac pati cœpiſſe. An non tum eadem eſt ipſorum proportio, dignitas & excellentia, ſi inter ſe comparare velis, quæ poſt factam miſtionem exiſtit, hoc excepto, quod ante miſtionem ſinceras & ſummas habent vires, poſt eam debilitaras? Profecto ſi miſtio recte ab Ariſtotele tradita eſt, fateri nos oportet ita eſſe: nullã.n. ex qualitatibus corrumpi, ſed ſeruari oportet, repreſſis earum viribus. E R. Cur ergo ante miſtionẽ caliditas non erat temperamentũ, cum eandem ad alias haberet dignitatis comparationem: S P. Quia nondum erat temperata & ad medium reducta, opinor. E R. Recte dicis. Quippe a temperatione nanciſcitur nomẽ. Interim ſcire oportet, longe aliud eſſe ſi dicas caliditatem eſſe temperatam, quam ſi dicas, eam eſſe ipſum temperamentum. Deinde cum idem accidat aliis, redit prior quæſtio, cur caliditas ſola vocetur temperamentum. Nullam enim in temperatione habet prærogatiuam, licet in aliis habeat. Sed nobis de temperamento negotium eſt. S P. Quoniam intemperies omnis denominatur a qualitate reliquas ſuperante; conſentaneum rationi videtur, vt in temperie hominibus conueniente in qua caliditas ſuperat alias certo quodam gradu, ſimiliter a caliditate appelletur. E R. Plurimum differunt denominari, & eſſe. Non veto quin hominis temperiem ob adductam cauſam, calidam voces, at ſuperantem caliditatem ſtatuere ipſum temperamentum eſſe, hoc illud eſt, quod negamus. Sicut calidum, & caliditas differunt, ita quoque diſcrepant hæ duæ enunciationes; temperamentum hoc eſt calidum, &, temperamentum hoc eſt caliditas, ſiue caliditas eſt temperamentum. Quando temperiem hydromelitis, facta mellis, & aquæ comparatione aquoſam eſſe dices, vel non aquoſam, nullus te reprehendet quaſi male ſis locutus. At quando aquam eſſe hanc temperationem dices, aut contra, omnes te coarguent. S P. Si hæc ad canonem Ariſtotelis lib. 7. Phyſic. cap. 3. admoueris, & diligenter expenderis, perfacile intelliges, cur temperies dicatur calida, & non caliditas. Statuam, inquit, non dicimus æs, aut lignum, ſed æream, aut ligneam. Eodem modo, temperamentum calidum, aut frigidum recte dicimus, caliditatem, aut frigiditatem recte non dicimus: ſimilis enim ratio eſt figuræ ad ſubiectum, & temperamenti ad qualitates, in quibus primo ineſt. Inconſiderate hiſce de rebus diſputat, qui, quæ in hoc loco diſſerit Ariſtoteles, non perfecte prius intellexit. Quid porro dicam nihil occurrit: video enim temperationem, ſub qua ad certam mediocritatem redacta qualitates connexæ omnibus quatuor ex æquo conuenire, non magis caliditati, quam reliquis competere. E R. Vt certius veritatem cognoſcas, quæro ex te ſecundo loco, an putes caliditatem ſuperantem reliquas in temperie qualitates ſecundũ hypotheſin conſiſtentem in parte corporis noſtri, temperamentum dici poſſe. Ponamus reliquas tres qualitates, poſtquam caliditas debilitata eſt & domita, extinctas eſſe, caliditatemque ſolam remanſiſſe: Quæro iam, an ſola exiſtens debeat appellari temperamentum? S P. Tu ponis, quod fieri nullo pacto poteſt. E R. Ne te hoc impediat: omnes enim docendi cauſa aliquando per hypotheſin, quæ eſſe non poſſunt, eſſe ponunt vt propoſitum ſic clarius demonſtrent. SPVDASTES. Si vocabulum temperamenti nihil aliud indicat, quam retuſum eſſe, & debilitatum, non video, cur non poſſit, ac debeat temperamentum appellari: Etſi enim ipſa ſeipſam hebetare non potuit, nihil tamen vetat, arbitror, quin ab aliis fracta iam, abſque iis, a quibus fracta eſt, permanere talis poſſit. E R. Nondum ab aliquo probatam vidi qualitatem aliquam primam, quæ ſola abſque admiſtione contraria extitiſſet, fractam diu permanſiſſe. Sed huius quæſtionis tractatio ad inſtitutum præſens non admodum pertinet. Scito igitur nomen temperamenti nobis idem nunc ſignificare, quod Græcis κρᾶσις, συμμετρία, ἁρμονία, συμφωνία ſignificant: eſt enim qualitas in pluribus rebus conſiſtens.

S P. Scio concentum, qui ἁρμονία dicitur non in ſola graui acutaue voce ineſſe, ſed qualitatem eſſe, quæ in omnibus ſub certa proportione iunctis intelligitur, Quare ſi idem ſecuti

dum analogiam ſit temperamentum in qualitatibus primis, quod concentus eſt in vocibus, audacter reſpondeo, non poſſe. Quod enim non ſeipſo, ſed aliorum virtute, ac beneficio, inſtar concentus ſubſiſtit, id abſque talibus imaginabile non eſt. E R. Recte ſentis: quippe temperamentum eſt qualitas illa, cui ſe omnes, tamquam communi actui ſubiecerunt. quæque ſimul omnes in amicitia mutuaque conſenſione detinet. Infracta ergo dici poterit: temperamentum appellari, aut eſſe non poterit. Quocirca cum neque ſola, neq; præcipue ſit temperata caliditas in miſtione reliquas excedens, ſed vna cum ipſis in hanc certam temperationem conſpirarit, aut potius coacta, detruſaque ſit: nullo pacto temperiei nomen ſibi ſola vendicare potuit. S P. Cogito quid reſpondere poſſim. E R. Vt cogitandi ampliorem habeas anſam, quæto tertio loco an excellentem iſtam, patibilem qualitatem an impatibilem eſſe velis? S P. Non te intelligo. E R. Eſtne caliditas illa patibilis qualitas, ſecundum quam corpus alterari, & moueri ſolet? an vero talis, cuius ratione quieſcat, alterationiq; obnoxium non ſit? S P. Periculoſa eſt reſponſio. Si namque ratione eius alterari affirmauero, temperamentum non eſſe inferes, cum iuxta διάθεσιν corpora ſint immobilia. Si dixero ratione ipſius corpus quieſcere, ac immobile eſſe, quia nimirum ſit διάθεσις, ſeu qualitas in prima ſpecie qualitatis poſita, de reſponſi veritate ambigo. Etenim caliditatem non pro viribus ſuis calefacre in quibus eſt, aut quæ attingit, quantulacumque eſſe fingatur, non mihi tutius eſſe videtur, quam aſſerere, niuem eſſe atram. Quid igitur ſupereſt, quam vt dicam vtrumque reſponderi poſſe. Nam quatenus temperata eſt, ac infracta qualitas, temperamentum exiſtit, & ratione hac corpus immobile facit. Quatenus autem qualitas eſt patibilis, eatenus alterabile corpus reddit. E R. Ergo vna & ſimplex hæc qualitas, infracta tamen, quolibet temporis momento patibilis eſt, ac non patibilis, corpuſq; ſubiectum eiuſdem ratione ſimul omni temporis puncto, actu & vere alterabile eſt, ac non alterabile. Dico vere, ne fortaſſe effugium quæras, dicendo ratione caliditatis illius alterari, at eius caliditatis cauſæ, quæ in pariete eſt, non alterari, aut ſimile quidpiam. Vt maxime fingas, nil tamen effinges quo te extrices ex iſto labiryntho. Niſi me omnes mei ſenſus fallunt, numquam hoc Montanus affirmabit, hanc caliditatem excedentem, quam temperamentum vocat, ſimul eſſe patibilem qualitatem, & temperamentum. S P. Quid ſi alio, atque alio tempore duo hæc eſſe dicam? E R. Fruſtra dixeris: Qua namq; vi ſubinde ex non temperamento fieret tempetamenium, & contra? Deinde quo tempore caliditas iſta temperies foret, corpus alterari ab ea non poſſet, & dum patibilis eſſet qualitas, corpus vel non eſſet temperatum, vel temperies iſta non conſiſteret in pluribus qualitatibus, quam duabus, ſi duæ excederent, vel tribus, ſi vna ſola ſuperaret. S P. Dicam caliditatem hanc remiſſam eſſe, ac miſtam: & proinde a ſimplici, & pura caliditate, quæ patibilis ſit qualitas, diuerſam exiſtere. E R. Magis te intricas, & veri ac ſani nihil adfers. Primum enim ſi qualitas per contrariarum actionem hebetata non eſt, iam amplius, quod prius erat, ſcilicet patibilis qualitas, ſed natura mutata in aliud genus tranſiit, ac ex patibili qualitate temperamentum effecta eſt, neceſſarium eſt, vt mutatio hæc omnibus ex æquo acciderit. Omnes enim hoc ſunt paſſæ, non illa ſolum, quæ cæteris potentior videtur. Quare in quauis parte quatuor continebuntur temperamenta. S P. Non omnes ſimul excedunt, ſed ſummum duæ. E R. An inferiores non ſunt debilitatæ & fractæ? S P. Non nego. E R. Ergo ſunt etiam temperamenta. Iam enim probatum eſt æque omnes miſtas & infractas eſſe; &, quod ad hoc attinet, diſcrimen inter eas nullum eſſe. Quid hinc efficietur aliud, quam corpus noſtrum eſſe impatibile factum, cum temperamenti, ſeu dipoſitionis, habituſue ratione alterari non poſſit. In ardente quoq; febre nulla erit ratione aucti caloris alteratio. Excedens enim caliditas non eſt patibilis qualitas, ſed eſt ipſamet intemperies, ſeu diſpoſitio. At diſpoſitionis cauſa nõ alteratur corpus. Præterea nulla in hoc mundo reperietur qualitas patibilis: Nulla.n.reperitur ſincera, & non miſta. Ignis certe hic noſter, ſi Ariſtoteli credimus, purus non eſt: ſed omnis in aliena materia ineſt. Quid ergo fiet aliorum elementorum qualitatibus? Quomodo etiam calefaciet corpus ratione caloris, ſi diſpoſitio eſt? Cæterum omnes fere ſimilarium actiones opera caliditatis exerceri, ac perfici quis neſcit? Tibi dico patibilem qualitatem, ſemper manere hoc, quod eſt, ſiue ſincera, & miſtionis expers ponatur, ſiue confuſa, & remiſſa cogitetur. Ideo enim iuxta temperiem quieſcit corpus, quia patibilis qualitas non eſt, ſed pro diuerſa earum proportione, mutuaque actione, ac perpeſſione in ſubiecto exiſtit. Non poteſt ab omni ratione & veritate alienius quicquam ſcribi, ac dici, quam caliditatem (ratio eadem eſt reliquarum trium qualitatum) infractam, & quouis modo hebetatam, paubilis qualitatis naturã exuiſſe, diſpoſitioniſque proprietatem induiſſe: de qua re etiam poſtea dicetur. Ex omnibus huc vſque dictis ita demonſtratum eſt, præpollẽtem in temperamento quolibet qualitatem (ſiue vna ponatur, ſiue duæ, ſemper eadem manet ratio) nullo pacto eſſe ipſum temperamentum. S P. Non contradico amplius. E R. Manifeſte iam vides, recte Auicennam, Alexandrum, Galenum, Ariſtotelem a nobis exponi, cum temperamentũ dicimus eſſe qualitatem ab omnibus

quatuor

quatuor primis diſtinctam, licet in his tamquam in ſubiecto inſideat. Vides etiam ſcite Ariſtotelem tradidiſſe ſyllabam, BA, diuerſum quid eſſe a B, & A; Eſt enim, Ba, totum quoddam quod non eſt idem quod ſuæ partes ſecundum Ariſtotelis doctrinam, niſi per totum intelligatur aceruus. Denique vides ipſum quoque Montanum recte ſcripſiſſe in iis locis, in quibus eū a nobis, hoc eſt, a veritate ſtare arbitraris. Quippe recte ex Simplicio aſſerit, temperamentum, ſeu διάθεσιν eſſe formam, quæ poſt alterationem patibilium qualitatum proueniat: Differt enim διαθέσεως a patibili qualitate qualibet. Recte quoque ait formam eſſe poſt calefactionem, ſeu alterationem exortam. Non minus bene loquitur, cum temperiem dicit eſſe qualitatem mediocrem, ex omnibus quatuor reſultantem. Sp. Si licet, iniiciam aliquid. Er. Licet. Sp. Dum de hac re differentem te audiui in mentem mihi venit, quod Montanus lib. 2. cap. 4. ad locum Ariſtotelis reſpondens concedere videtur, ita temperiem non ſolum aggregatū eſſe quatuor qualitatum, ſed aliud aliquid: ſicut, BA, ſyllaba non tantum ſit A, &, B, ſed aliquid aliud, etſi cur etiam caro non ſit ſolum modo ignis, & terra, &c. ſed aliud aliquid. Velim ergo ſcire, quæ ſit inter vos diſſenſio. Er. Nulla eſset, ſi in his perſtitiſset. Verum non eſt hoc infrequēs apud Montanū, quod in ſequentib. videbis, vt cōtraria de eadem re ſcribat. Quinimo de hac ipſa re loquens, in 4. lib. 2. hæc legis: Dico temperiem non eſse qualitatem quintā, a primis quatuor diuerſam, ſed ex omnibus illis reſultare. (nota quod dicit, Ex omnibus, quod in præcedente cap. 3. itidem dixerat) & vnam ex illis eſse. Annon in paucis hiſce verbis ſibi contradicit? Sp. Non intelligo. Er. Cur temperiem qualitatem eſse dicit ex omnibus quatuor reſultantem (ſic enim ipſe loquitur) qui poterit hæc qualitas vna ex illis eſse? Annon quod ex alio naſcitur, diuerſum eſt ab eo, e quo prodit? Inficiari nullus poterit, niſi forte aliquis inſcite putet, aliquid ex ſeipſo naſci. At eſto, non ſint diſtincta, id quod ex aliquo fit, & quod ex eo fit (quod ſimpliciter eſt impoſſibile) an ob id recte dictum ſit a Montano, temperiem eſse qualitatem intemperie ſuperantem? Dicit fieri ſeu reſultare ex omnibus quatuor. Si ergo idem ſunt, id quod fit, & ea ex quibus fit, non vna erit ex quatuor, ſed erit omnes quatuor: Non enim ex vna magis, quam ex aliis ortum eſt temperamētum. Quare, ſiue idem ponatur id ex quo naſcitur, ſiue differre dicatur, vt re vera & neceſsario differunt, ſemper tamen manebit verum, aliud eſse temperamentum a patibilibus qualitatibus. Sp. Nunc demum perſpicio contradictionem, & tanto magis miror, quod non ſemel tantum ſic eſt locutus. Nam cap. 12. ait temperiem non eſſe concentum quatuor qualitatum, ſed mediam qualitatem ex miſtione ortam: & hanc deinde affirmat eſſe qualitatem ſuperantem. Atqui ſuperans qualitas non eſt ex miſtione orta, ſed præfuit. Er. Intelligit in miſtione fractam & hebetatam eſſe. Sp. Scio, ſed male interim loquitur. Nō enim fit ob hanc rem alia, quam prius fuit: Hoc enim maxime competit patibilibus qualitatibus, vt magis ac minus recipiant. Sed magis & minus non mutat ſpeciem. Quare cum genere differre temperamentum, & patibiles qualitates ipſemet fateatur nobiſcum, omnino ſibi contradicit, dum qualitatem remiſſiorem factam, aliud a ſe ipſa, nempe διάθεσιν ex pluribus ortam aſſerit. Er. Tale eſt illud etiam, qnod ex eodem cap. citabas ſupra, eſſe medium illud, in quod miſtione peracta qualitates qnatuor deſinunt. Qualenam aut quid putabimus hoc medium eſſe? Qualitas in miſto excellens, quia excellit alias, medium non poterit exiſtimari. Si per medium nos velit intelligere mediocritatem virium in agendo, non eſt hoc vnius, aut duarum tantum qnalitatum, vt iam ſæpius audiuimus, ſed ex æquo omnium. Sin qualitatem aliam ab omnibus aliis quatuor diſtinctam putauit eſſe hoc medium, compoſita lis eſt. Sed hoc non vult, ſi ſerio nobiſcum litigat. Quid autem reliquum eſt aliud, quam vt in ſe ipſas deſinere dicamus. Quamuis abſurde dici videtur, demus nihilominus bene dici: Quid hinc ad eum lucri redibit? Nihil. Omnes enim in ſe deſinent, hoc eſt omnes temperatæ, ac virium parte priuatæ erunt (quid enim per medinm intelligat, ſi non hanc virium perſtrictionem intelligit, diuinare nequeo) & proinde omnes temperamentum erunt, non præpollentes ſolum. Quicquid tandem velit, ſemper verum manebit patibiles qualitates eſſe ac perdurare, licet vires non integras, ſed retuſas habeant. Negat autem Montanus, idque recte loco eodem, temperamentum eſſe quatuor qualitates ſimul omnes. Imo grauius, minuſque accommodate loquitur his verbis. Dico temperaturā non cōſtare ex quatuor qualitatibus, ſed ex miſtione qnatuor qualitatū exoriri, vt recte Auicennam ſenſiſſe demōſtrauimus. Enunciationes hæ ſunt: Temperamentum non cōſtat ex quatuor qualitatibus. Temperamētum oritur ex miſtione quatuor qualitatum. Temperamentū eſt media illa qualitas, in qua miſtione peracta deſinūt. Temperamentū eſt vna ex his qualitatib. alteratis. Vehemēter velim aliquem adeſſe, qui has nobis enunciationes vere conciliaret. Ego. n. non poſſum cōſentientes reddere omnes, licet aliquas lenire poſſim. Si non conſtare ex quatuor primis nihil perpeſſis dicat, recte quidem dicit, ſed Argenterii argumento nihil reſpōdet, qui de paſſis, alteratis, & miſtis apte loquitur. Si de his intelligit, manifeſta eſt inter enuntiationem primam, & ſecundam contradictio. Deinde, ſi temperamen-

tum eſt qualitas, quæ poſt miſtionem exiſtit, ſeu ex miſtione exorta eſt, alia erit ab illis quatuor, & omnino ex illis conſtat. Sicut enim caro ex quatuor elementorum miſtione orta aliud eſt ab elementis, & ex ipſis vere cõſtare dicitur, ita etiam ſeruata analogia (caro enim ſubſtantia eſt. Temperamentum autem accidens eſt) de qualitatibus ſentiendum, & loquendum eſt. Denique ſi ab omnibus eſt diuerſa & poſt mutuam omnium actionem ac paſſionem orta qualitas, nõ poterit vna eſſe ex quatuor: Cõtradictoria enim ſunt: Temperies eſt vna dumtaxat ex illis quatuor, & Temperies eſt qualitas ex omnibus quatuor miſtis orta. Sed audi quid reſpondeat Argenterio ſic concludenti: Temperies conſtat ex omnibus quatuor, Ergo non eſt vna ſola ex eis, ſicut nec domus eſt ex partibus eius aliqua ſola. Domus, inquit, vere conſtat ex fundamento, parietibus, & tecto. At temperies non conſtat ex quatuor qualitatibus, ſed ex vna ex illis, vt miſta omnia conſideranti patet. Argenterii argumentum hoc eſt: Res nulla, quæ ex plurimum miſtione vel compoſitione oritur, ſiue ex pluribus concreta eſt, ſiue ex pluribus conſtat, eſt aliqua vna ex his, ex quibus concreta, vel compoſita eſt. At Temperies ex quatuor primis qualitatibus inter ſe miſtis, & vnitis exorta eſt. Ergo nulla ex his qualitatibus cenſeri poterit Temperamentum. Negat minorem Montanus, ſed male negat, cum & vera ſit, & toties ab ipſo etiam Mõtano affirmata. Quid enim, quæſo, aliud ſignificat, Temperiem ex quatuor qualitatibus reſultare, quam ex his ortam eſſe, & ex eis conſtare? Profecto inter has duas propoſitiones, manifeſta eſt cõtradictio: Temperies oritur ex miſtione quatuor qualitatum, &, Temperies non oritur, aut non conſtat ex qualitatum quatuor miſtione. Quomodo etiam conſiſtit domus forma in apta compoſitione fundamenti, parietum, & tecti, & non conſiſtit Temperamentum in congrua qualitatum ſub certa proportione conuenientium vnione ſeu conſenſione? Si illam artis, hanc naturæ eſſe reſpondeat, non facit hæc differentia in ea parte diſcrimen, in qua nos inter ſe comparamus, & conuenire dicimus. Sed nimis iam de his diſceptauimus. Nemo eſt, vel intra modum doctus, qui ex diſputatis non manifeſte perſpiciat, quas compedes ſibi iniiciat homo hic, dum inſtar araneæ ſe ipſum exhaurit, vt telam texat, qua muſcas minutiores irretiat, hoc eſt inanem vulgi applauſum, & neſcio quam gloriolam aucupetur. Solidior, & diuturnior laus fuiſſet, ſi abſq; montana illa, & aſpera aliorum inſectatione venari eam ſciuiſſet. SP. Quid ad obiecta aduerſaria reſpondebis. ER. Qui, quæ diximus intellexit, reſponſione alia non habet opus. Cæterum vt res planius excutiatur, age deuoremus hanc quoque moleſtiam. Principio illud repeto, cuius ſupra memini, me hoc argumento non conatum fuiſſe probare, cauſam continentem in morbis nonnullis dari. Quin palam dixi, diſputationem illam ἀκριβείας tanta non egere, propterea quod de corporea cauſa dumtaxat quæſitum fuiſſet. Ad finem (cum ad probandum tale prius produxiſſem) obiter ſolum indicaui, me ſi quis eiuſmodi obiiceret, non contenturum: neque vel Argenterii vel Vegæ ſcripta tum temporis adhuc videram. Quare imprudenter admodum Montanus ait, me laudare, nouaque ratione confirmare voluiſſe, quod tum vſurpatum hiſce viris non ſciebam. Feciſſem, ſi ſciuiſſem, ſicut nunc probo, & collaudo, ſi ita ſenſerunt vt Montanus eos ſenſiſſe ſcribit. Sudabit, & algebit Montanus plurimum, antequam argumentum a definitione, non morbi (quo itidem perperam affirmat) ſed διαθέσεως petitum refellat. Sed ad rem. Negas, inquit, caliditatem, & frigiditatem, &c. reliquas in vitioſa temperie qualitates ſuperantem, morbos eſſe, propterea quod non ſint diſpoſitiones. Nego certe præpollentem in temperie caliditatem (hanc enim pro exemplo, vt ſupra quoque fecimus, nobis ſumemus) morbum eſſe. Et ideo nego, quia non eſt diſpoſitio, ſeu διάθεσις, ſed patibilis qualitas. Quid hîc a vera ratione abhorrẽs dico? aut quæ monſtra prodigioſa pario? An verum non eſt qualitates patibiles, quoad patibiles ſunt, nõ eſſe diſpoſitiones? An verum non eſt ratione patibilium qualitatum corpus noſtrum alterari, & diſpoſitionum ratione quieſcere, & non alterari? An verum non eſt caliditatem vno, eodemque tempore ſubiectum in quo ineſt, non poſſe ſimul & ſemel calefacere pro viribus, & nõ calefacere: Hoc eſt contraria per ſe ſimul in eodem ſubiecto agere? (nihil prohibent eam per accidens contraria ſimul agere: de quo non loquimur) An verum non eſt caliditatem pro viribus continenter agere ſeu calefacere? Non arbitror te dicturum eam aliquando dormire, actionemque ſuſpendere, aut inhibere, cum ſemper ſit actu: non enim de alia, quam quæ eſt actu loquor. Si vera ſunt omnia hæc, qua in re tantum ſcelus admiſi? iterum (non enim me pœnitet aut pudet veritatis) & duo, caliditatem, & qualitates patibiles reliquas non ſolum in vitioſa, ſed etiam in laudabili temperie nec præpollentes tantum, verum inferiores quoque, quatenus earum ratione alteratur corpus, neque ſanitatem neque morbos eſſe. id eſt, neque temperies, neque intemperies eſſe, ſed in his congruenter, vel incongruenter naturæ coëuntibus, temperiem, & intemperiem, ſiue ſanitatem, & morbum ineſſe. Quid vero? An in putrida febre non vehementer mouetur, alteratur, affligitur corpus? Non negabit Montanus, arbitror. An non ratione putridi caloris patitur, & alteratur? Ne hoc quidem inficiari audebit. Quippe putrido vapore

per ſudores,& alia ratione qualibet vacuato, deſinit illo modo affligi, ſeu alterari, ſeu incaleſcere. Quid ex his ſequitur? Sp. Sequitur neceſſario caliditatem illam nõ eſſe διάθεσιν. Nam ſecundum eam vides,opinor, me plura fateri, quam petat Montanus.

Ego vero ad hunc vſque diem putaui (in qua opinione pleroſque eſſe ſcio, an Montanus ita ſentiat neſcio) iuxta ſolam temperiem corpora quieſcere, at iuxta morbum alterari. Etenim per morbos affligi nos percipimus, per ſanitatem nihil patimur. Huius rei gratia Ariſtoteles in problem. ſanitatem, quietem,& morbum motum dixiſſe opinatus ſum: & ita olim a præceptorum meorum vno edoctus fui. Er. Qui te ita inſtituit, locum Ariſtotelis paulo ante citatum non intellexit, vbi temperiem perfectioni,& ortui, intemperiem imperfectioni,& interitui comparat. Sed ſatis eſt nunc ſcire omnem διάθεσιν bonam ac malam, motus eſſe terminum, ac finem; ac proinde eius ratione corpus non moueri. Cum congruit naturæ, in ſtatu eſt ac quiete recte operandi, & ſine moleſtia. Cum non congruit, in ſtatu nihilominus eſt,at cũ labore & moleſtia agit. Sp. Quæ eſt igitur cauſa, quod per morbos tantopere excruciamur? Er. Iam audiuiſti. In exemplo propoſito manentes cauſam eſſe dicimus, putrem caliditatem, quæ corpus contra naturam caleſaciendo exagitat, congruentemque eius temperiem magis magiſque diſſoluit. Toto illo tempore, quo hoc agit, agendo, & viciſſim patiendo vſque eo peruenit, vt priore ſocietate ſoluta, nouam cum primis qualitatibus amicitiam contrahat, id eſt, nouam temperationem in omnibus ſubiecti partibus ingenerauerit inæqualis, & fiens adhuc eſt temperies, quæ abſque ſenſu & dolore aliquo non exiſtit. Cum facta iam,& cunctis partibus impreſſa eſt pugna, mutata tum eſt prior temperies,& noua exorta eſt corporis naturæ aduerſa,& inimica. In hectica febri ſpeciem huius rei,& exemplum habes. Etſi enim intemperies illa non congruit naturæ, non tamen extra latitudinem eam, cum qua, vita, ſeu anima in corpore inhærere poteſt exiit omnino. Itaque viuunt hectici aliquot ſæpe annis,& quidem ſine doloris ſenſu omni, ſi nullus alius præterea morbus adſit, aut hectica inducta putris non extinguatur: non enim poteſt natiua caliditas vllam cum putrida caliditate ſocietatem inire, vt in hectica videmus alienã caliditatem (ſed ſimplicem) certo modo per mutuam actionem ac paſſionem cum primis qualitatibus conueniſſe, vt nulla amplius pugna inter ipſas animaduertatur. In cauſa eſt, quod dum caliditas cum qualitatibus permiſcetur (ſic iam liceat loqui) ſubiectum quoque putridum, videlicet vaporem ſiue humorem cum ſubiecto qualitatum, ſiue cum corpore permiſceri oporteret. Non enim eſt imaginabile, quomodo putrida qualitas ſit in corpore non putrido, id eſt, proprietas abſque ſuo proprio ſubiecto, quod tamen Montanum non pudet affirmare lib.2.cap.37. Quocirca diu ſupereſſe non poſſunt, qui cum hectica putridam habent coniunctam. Sp. At ſæpe laborarunt aliqui per annum, & amplius ſebre putrida ſola,& ſanitati tandem reſtituti ſunt. Er. Si continua non ſit, nihil mirari debemus, cum intermiſſionis tempore inſita caliditas ſe poſſit recolligere, iterumque confirmare. In continuis grauius oppugnatur. Intemperies quoq; particulares (atq; etiam vniuerſales, modo febres non ſint) diuturniores eſſe poſſunt. Sp. Cur vero adeo tarde intemperies æquales fiunt? Vt enim alia taceam, multi ſæpe longo tempore febriunt, nec tamen eæ deſinunt in hecticas ſeu factas. Er. Particulares intemperies citius fiunt æquales, quam vniuerſales: Cor etenim propter robur inſitæ in ipſo caliditatis vehemẽter reſiſtit oppugnantibus qualitatibus: Quæ ſi debiles ſunt, nihil proficiunt: ſi magnis ipſum viribus aggrediuntur, prius corrumpunt, quam inter ſe ad noui temperamẽti conſtitutionem coire poſſint. Hoc enim tenendum eſt: vt temperatio fiat noua,& facta, qualis eſt hectica intemperies, mutua alteratione multa opus eſſe. Et propter hanc cauſam non niſi longiore tempore, qui natura calidus & humidus eſt, frigidus & ſiccus efficitur. Ratio eadem in aliis quoq; temperamentis valet. Sp. Semper igitur fiunt, & factæ ſunt nunquã. Ex quo ſequetur, ne morbos quidem eſſe. Er. Nihil minus. Alibi demõſtratum nobis eſt, fieri, pluribus modis dici: nec omne quod fit, non etiam exiſtere. Non ſunt ἀσύστατα, morbum aliquem fieri certo modo, quatenus ſcilicet in ſubiecto abſque cauſæ ſuæ præſentia perdurare nequit, & eundem etiam alio modo factum eſſe. Etenim tripliciter dicitur morbus fieri, factuſque eſſe. Primo proprie fit morbus, quando nondum eſt, ſed generatur. Secundo, quando incrementum capit. Tertio, quando ſine ſua cauſa non poteſt permanere, ſed ab ea adhuc dependet. Totidẽ quoq; modis factũ dicimus morbum. Primo, qui iam exiſtit, non autẽ generatur ſolũ. Secũdo, qui nõ amplius augetur. Tertio, qui ablata cauſa ſua perſeuerare aptus eſt in corpore. Primus modus factorum,& tertius fientium coincidũt,& vni accidunt. Permulti enim ſunt morbi, qui & facti, & fieri recte dicuntur: quicumque ſcilicet cauſis ſuis ita ſubſiſtunt, vt eis abeuntibus in corpore perdurare non poſſint. Hi tales quatenus actiones lædunt, iam ſunt, non ſimpliciter fiunt. Qui enim ſimpliciter fit, non eſt, ac proinde agere non poteſt. Res enim quælibet ſic agit, vt exiſtit, vt recte dixit Ariſtoteles. Quocirca neceſſario confiteri cogimur, omnem morbum, qui actu iam oblædit actionem, exiſtere iam, factumq; eſſe, non

autem ſimpliciter, ſeu primo modo fieri. Idem, ſi cum cauſa ſua e medio ſtatim tollatur, fieri dicitur, quatenus non poteſt ſe ipſo ſubſiſtere, ſed alio ſubſiſtit, ſcilicet cauſa. Vt quæ ſimpliciter fiunt, cauſa generante ablata fieri ceſſant, ita hi cauſa ablata non quidem deſinunt fieri, quia facti ſunt, & lædũt, ſeu agunt, ſed exiſtere deſinunt. Et hoc modo intelligere oportet Galenum, quando ait in Meth. Therap. febrium aliquas fieri, aliquas factas eſſe. Fientes enim vocat, quæ factæ quidem ſunt, cum actiones actu oblædant, ſed a ſuis cauſis adhuc pendent. Quippe de febribus ibi loquitur, quæ iam ſunt, & curationẽ requirunt. Quomodo.n. inter ſebrium ſpecies ponat Galenus, quæ nondum exiſtunt? Febrium, inquit, aliæ ſunt ſactæ, vt Ephemeræ, & Hecticæ, aliæ etiamnũ fiunt. Quis nõ videt ſtolidiſſime Galenũ diſtinguere fientes febres ab Ephemeris, & Hecticis, ſi de ſimpliciter fientibus accipiatur locutus? Equidem Ephemeræ, & Hecticæ non minus fiunt primo modo, quam aliæ omnes. Similis eſſet diuiſio hæc iſti. Animalium alia facta ſunt, vt homo; alia fiunt, vt bruta. Quis non videt differentias tales incidere? Non ergo hac ratione ſeu differentia diſtingui a putridis poſſunt Ephemeræ, & Hecticæ, ſed alia nempe quod hæ ſine cauſis ſuis, vt Medici loquuntur, ſubſiſtunt ſæpe, quod in putridis non contingit. Proprie diuiditur genus per contrarias differentias in contrarias ſpecies: At fieri proprie, factumque eſſe non ſunt contrariæ differentiæ, ſeu ſpecies febrium, cum omni febri accidere poſſint, nec vlla poſſit facta fingi, quæ non prius fieret: vt hîc de fientibus, & factis loquimur. Quæ ſic dicuntur fieri factæ, non eodem tempore vtriuſq; ſunt capaces. At, quæ tertio modo fieri, & primo modo factæ dicuntur, de his eodem temporis puncto vtrumque vere ac recte enunciatur. Ita de febre pleuriticorum vno, eodemque tempore vere dicimus eam fieri, quatenus a phlegmone pleuræ dependet, & factam quoq; eſſe, quatenus actiones cordis lædit. Idem hoc locum habet in inæquali intemperie, quod Montanus quoq; Galeno ac veritati conſentaneum eſſe aſſeruit. Cum enim de inæquali intemperie, quædam præclare ſcribat, inter alia quoq; ad argumentum recte reſpondet, quo aliquis forte probare tentet, inæqualem intemperiem morbum non eſſe, quia cum fiat, & facta nondum ſit, diſpoſitio eſſe non poſſit, quæ nimirum facta eſt qualitas. Verba eius hæc ſunt lib. 2. cap. 28. Dicendum eſt intemperiem inæqualem omnino eſſe diſpoſitionem, quia iam facta eſt, & lædit, & dolorem infert, nondũ tamen confirmata, & conſtabilita: quia tunc eſt æqualis intemperies. Et id diſcriminis eſt inter inæqualem, & æqualem intemperiem, quod eſt inter diſpoſitionem, & habitum. S p. Qua ratione fit iſta fixio? E r. Occupat alienus calor principio partes in ſuperficie, eaſque calefaciendo mutat, præſertim vapores, & ſpiritus, ſeu flatus in ipſis exiſtentes. Cæteræ, quæ profundiores ſunt, natiuamque temperationem retinent, aduentitiã caliditatem, cum imprimens cauſa abiit, momento fere reſtinguunt. Exemplo tibi rudi rem depingam ex Galeno ipſo. Admoue manum igni tantiſper, dum vehementer doleas, & mox ab igne remoue, ſtatimq; ceſſabit dolor. Non ceſſaret autem, niſi cauſa eius quæ eſt morbus, pulſa iam eſſet. Habemus hîc etiam Montanum conſentientem cum 19. ca. eiuſdem lib. ſic ſcribit: Reſpondeo & tunc lædi actionem, ſed quia cito tollitur, non videtur eſſe diſpoſitio præter naturam. Ex 1. autem de loc. affect. 2. hos etiã leues affectus & cito pertranſeuntes inter morbos reponit Gal. vnde poſt multa horum affectuum exempla addit. Sic etiam affici aliquem dicimus, cum aliquid extrinſecus accidit, vel calefaciens, vt ignis, vel refrigerans, vt nix, vel contundens, vt lapis, quo ſeparato protinus finitus fuerit affectus, nemine propter hoc dicente, partem non fuiſſe affectam, quod in ipſa nulla ſit relicta diſpoſitio. Ex hoc exemplo facile intelliges, quomodo leuiter impreſſa diſpoſitio abeunte cauſa, virtute partium nondum alteratarum mox deleatur, quæ ſi cauſa longius egiſſet, paulatim remotiores etiam occupatura fuiſſet. Iam vero certum eſt tanto ſtabiliorem quamlibet qualitatem eſſe, quanto plures partes obtinet. S p. Reliqua eſt vna difficultas, cur in ſpiritus adeo celeriter introducatur facta diſpoſitio? In Ephemera enim intemperies ſpirituum non depẽdet a cauſa. In humoribus quoque putridis intemperiem eſſe factam oportet, cum ſunt putridi. E r. In cauſa eſt laxa, & humida horum ſubſtantia, in quam ſe facile tum qualitates, tum corpora inſinuant, & vndique alterant. Idcirco facile quoque ad priſtinum ſtatum reuocantur, ſi non ſunt ex toto corrupti, vt humores putridi. S p. Redire tibi iam ad propoſitũ licet. E r. Oſtendi clare ſupra, putrem caliditatem, quæ in febribus putridis corpus torquet non eſſe intemperiem, ſed intemperiei cauſam. Tota namque cum humore putrido tollitur: quod fieri non poſſet ſi in certam temperamenti formam cum cæteris conſpirauiſſet, ac in ipſis corporis partibus iam, vt in ſubiecto inſediſſet. Idem affirmat Montanus lib. 1. cap. 7. his verbis: ſi eum recte intelligo: Dico diſpoſitionem illam ineſſe cauſæ, & in corpus a cauſa imprimi, & eum in corpore fuerit impreſſa, tum & corporis eſſe diſpoſitionem, id eſt, morbum. Qualitatem cauſæ ait, nõ prius morbum eſſe, quam ab ipſa corpori impreſſa ſit. At putris vapor ſic aufert ſecum caliditatem, vt in corpore minime remaneat. Deinde (quod longe maius eſt ac Montano minus credibile videtur, quia non recta regula, ſed Lesbia vtitur, eamque rebus, non res

regulæ aptat) ſi quam maxime corpori iam inhæreret; atque cum cæteris in amicitiam coiuiſſet, vt in hectica contingit, non tamen eſſet temperamentum, ſed nihilominus maneret quod prius fuit, patibilis nimirum qualitas. Mutata qualitate vel vna, vel duabus, mutari temperamentum e conſeſſis eſt, quia in hiſce primo ineſt: at ipſas temperamentum fieri, ex iis eſt vnum, quæ non poſſunt fieri. Temperamentum enim, vt demonſtraui, non eſt vel vna, vel plures, vel etiam omnes patibiles qualitates, ſed in his primis ineſt. Verba Ariſtotelis aliqua huc afferam, vt iterũ audias: Ἐπεὶ δὲ τὰ πρός τι, οὔτε αὐτά ἐστιν ἀλλοιώσεις, οὔτε αὐτῶν ἐστιν ἀλλοίωσις, οὔτε γένεσις, οὐδ' ὅλως οὐδὲ μεταβολὴ οὐδεμία, φανερὸν ὅτι οὐδ' αἱ ἕξεις, οὐδ' αἱ τῶν ἕξεων ἀποβολαὶ καὶ λήψεις, ἀλλοιώσεις εἰσίν· ἀλλὰ γίγνεσθαι μὲν ἴσως αὐτὰς καὶ φθείρεσθαι ἀλλοιουμένων τινῶν ἀνάγκη, καθάπερ καὶ τὸ εἶδος καὶ τὴν μορφὴν, οἷον θερμῶν, καὶ ψυχρῶν, ἢ ξηρῶν καὶ ὑγρῶν, ἢ ἐν οἷς τυγχάνουσιν οὖσαι πρώτοις. Περὶ ταῦτα γὰρ, ἑκάστη λέγεται κακία, καὶ ἀρετὴ, ὑφ' ὧν ἀλλοιοῦσθαι πέφυκε τὸ ἔχον. Adſcripſi Græca Ariſtotelis verba, quod in Latinis exemplaribus multis vel non legantur, vel corrupta & inuerſa legantur. Quoniam igitur, inquit, ea quæ πρός τι vocãtur, neq; ipſa ſunt alterationes, neq; ipſorum eſt alteratio, aut generatio, aut vlla omnino mutatio, manifeſtum eſt, quod nec habitus, nec habituum abiectiones, & receptiones alterationes ſunt. At fieri quidem ipſos, & corrumpi quibuſdam alteratis neceſſarium forte eſt, quemadmodum & formas, & figuras ſicut calidis & frigidis, aut humidis & ſiccis, aut ea, in quibus primo inſunt. Nam horum quælibet vna dicitur virtus, & vitium, a quibus alterari contingit id, quod eas habet. In his verbis omnia habes, quæ diximus. Sic.n. ratiocinatur: In illis, quę ad aliud referũtur, quatenus nimirũ referũtur, nec alteratio, nec generatio, nec vlla omnino eſt mutatio, quod in lib. 5. demonſtratũ fuit. Sed virtutes & vitia corporis, tũ animi referuntur ad aliud: quod paulo ante probauit. Ex his concludit nunc: Ergo neq; habitus ipſi, neq: eorũ amiſſiones, aut acquiſitiones ſunt alterationes, ſiue alterãtur. Sequitur cõcluſio: habitus virtutes, & vitia quædã ſunt. Sp. Quomodo igitur, cũ prius nõ eſſent, oriuntur? & cum nunc ſint, paulo poſt intereunt? Er. Id explicat ipſe his verbis: Sicut inquit, forma ſubſtantiæ, quæ εἶδος ab eo vocatur, & exterior forma, ſeu figura, quam μορφὴν nominat per ſe non generantur, & corrumpuntur, aut quouis modo alterantur, ſed aliis quibuſdam alteratis ſunt vel non ſunt: ita etiam habitus per ſe nullo modo generantur; corrumpuntur, alterantur; ſed aliis quibuſdam alteratis exiſtunt, vel non exiſtunt. Hæc in Metaphyſic. fuſius explanantur. Sp. Quænam ſunt illa quibus alteratis, & formæ, & habitus, ac diſpoſitiones ſunt, vel non ſunt? Er. Hoc etiam in his verbis, breuiter quidem, ſed clare ſatis docetur, dum ait: Velut calidis, frigidis, humidis, ſiccis, aut in quibus primo inſunt, ἐν οἷς τυγχάνουσιν οὖσαι πρώτοις. Si ea alterentur, in quibus primo conſiſtunt. Quod hac ratione probat: Virtus & vitium, bonus & malus habitus illarum ſunt rerum termini, & moderationes, quæ per ſe indefinitæ ac interminatæ ſunt, hoc eſt, a quibus corpus (iam enim de corporis habitibus agimus) infinite alterari ſolet, ac poteſt, ſi non habitu, vel diſpoſitione ceu fræno cohibeantur. Sunt autem tales qualitates patibiles. Has cum terminent habitus, ſeu diſpoſitiones, neceſſarium eſt, vt in his primo, veluti in ſubiecto inſint. Et quia in hiſce primo conſiſtunt ſanitas, & morbus, ideo his alteratis illa ſunt, vel non ſunt. Et quod in his inſunt, ipſe paulo ante oſtendit citata verba, his verbis: ὑγίειαν καὶ εὐεξίαν ἐν κράσει καὶ συμμετρίᾳ θερμῶν, καὶ ψυχρῶν τίθεμεν. Ideo poſtea videtur repetiuiſſe. Quam multa hic habeas argumenta, ipſe iam vides. Sp. Colligam, ſi potero. Habitus non alterantur. Qualitates patibiles alterantur. Habitus per ſe non oriuntur, non occidunt, non augentur, non minuuntur. Qualitates omnia hæc patiuntur. Habitus ſunt definiti, & terminant: Qualitates primæ ſunt indefinitæ, & terminante aliquo egent. Habitus ſunt termini. Qualitates ſunt terminatæ. Er. An credibile cenſes, Galenum hæc vidiſſe, legiſſe, interpretatum fuiſſe, nullo in loco reprehendiſſe, & nihilominus patibiles qualitates cum Montano temperamenta putauiſſe? Non arbitror. Sp. Nec ego. Etſi hoc ita eſt, non tamen non recte reprehendit te Montanus, quod eas qualitates cauſas cõcedis, & diſpoſitiones eſſe negas. Galenus.n. diſpoſitiones eſſe affirmare ſcribit. Er. Scio, & recte ſcribit. At non recte ob id me taxat Montanus. Etenim cauſa, morbus, ſymptoma, diſpoſitiones quidẽ ſunt: at nõ vno modo, ſeu vniuoce, verũ, πρὸς ἕν, ſeu, ἀφ' ἑνός. Morbus enim proprie eſt corporis diſpoſitio: cauſa autem, quatenus efficit, ſeu imprimit corpori morbum, & ſymptoma, quatenus eſt effectus morbi, diſpoſitiones nominantur. Ita ſolemus cauſam, corpus, & vrinam ſana vocare, & vocauit ſic Galenus, quia illa efficit, hoc in ſe habet, ac proinde, ſanum dicitur: vrina autem ſana ſignificat ſanitatem, vel effectus eſt ſanitatis. Vocatur itaque cauſa quoq; diſpoſitio, ſed ita nominatur a morbo, quem efficit. Quare tam non debet reprehendi, qui cauſam morbi diſpoſitionem corporis proprie non eſſe dicit, quam non poteſt erroris accuſari, qui cauſam ſanitatis proprie ſanam dici negat. Quod non ſit corporis diſpoſitio ex eo liquet, quod non inhæret in corpore, ſed in ipſa cauſa. Quod cum ipſemet Montanus ſupra confeſſus ſit, minime opus eſt, vt multis argumentis aſtruere coner. Etenim palam ſcribit, qualitatem, quam cauſam vocat, in ipſo ſubiecto ſuo, non in corpore

ineſſe, prinſquam impreſſa ei ſit. Hæc eum ſuum ſubiectum deſerere, & in corpus transmigrare non poſſit, numquam erit corporis diſpoſitio, ſed ſi diſpoſitio ſit, cauſæ diſpoſitio erit, de quo non rixamur inter nos. Sp. Non dum me ſatis explico. Er. Planiſſimum faciam, ſi potero. Omnis diſpoſitio eſt qualitas. At cauſa eſt diſpoſitio. Cauſa igitur qualitas eſt. Negas hîc aliquid? Sp. Nihil. Nam & Montanus idem affirmat, dum non humores, aut lapides, ſed horum qualitates, & vitia morborum cauſas eſſe ait. Er. Qualitas iſta vel inſtrumentalem afficit morbum, vel ſimilarem. De organicis morbis, eorumque cauſis poſtea, nunc de intemperie lis eſt. Erit ergo qualitas iſta ſiue cauſa, vna vel duæ ex primis quatuor qualitatibus, nempe patibilis qualitas. Sed demonſtratum nouiſti qualitates, quarum ratione corpus per ſe & primo alteratur, non poſſe eſſe diſpoſitiones, vt tergiuerſandi, aut inficiandi locus omnis omnibus ſit præciſus. Hinc clare perſpicitur, de cauſa, morbo, & ſymptomate nomen diſpoſitionis non vniuoce efferri, ſed eo modo, quo diximus. Peſſime igitur Montanus lib. 1. cap. 14. affirmat, diſpoſitionem verũ eſſe genus, quod de morbo, cauſa, & ſymptomate ſic enuncietur, quemadmodum animal enunciatur de homine, capra, leone, & cæteris animalibus. Quod quam ſit abſurdum licet ante dictis maxime ſit euidens, tamen cum heri in 3. Polit. leges forte fortuna in locũ inciderim qui præſens negociũ pulchre illuſtrare poteſt, eũ tibi recitare volo. Δεῖ δὲ μὴ λανθάνειν, ὅτι τῶν πραγμάτων, ἐν οἷς τὰ ὑποκείμενα διαφέρει τῷ εἴδει, καὶ τὸ μὲν αὐτῶν ἐστι πρῶτον, τὸ δὲ δεύτερον, τὸ δ᾽ ἐχόμενον, ἢ τὸ παράπαν οὐδέν ἐστιν (ᾗ τοιαῦτα) τὸ κοινόν, ἢ γλίσχρως. Latere, inquit, nõ debet, quod earũ rerũ, quarũ ſubiecta ſpecie differunt, quarumq; vna prior eſt, altera poſterior, & alia deinceps, aut nihil omnino commune eſt, aut vix. Clare ex his perſpicis, definitionem aut genus commune nullũ habere, quæ ſecundum prius, & poſterius dicuntur. Vix nomen commune habent. Quamquam hoc etiam ὁμωνύμως de ipſis efferatur. Qui talia vult recte explicare, ſingulas ſpecies ſeorſum explanare cogitur, quod in animæ declaratione fecit Ariſtot. Sed hæc in Metaphyſ. fuſius diſputantur. Sufficiat hoc loco indicaſſe, quam non recte Montanus numen diſpoſitionis de cauſa, morbo, ſymptomate, ſic prædicari ſcribat, quomodo animal de homine, leone capra enunciatur. An non cauſa, natura prior eſt morbo, & morbus ſymptomate? At homo non eſt prius aut poſterius ſiue magis, aut minus animal, quam capra, leo, muſca, pulex. Minime certe leuis eſt & vulgaris hic lapſus in eo, qui ſibi autoritatem iudicandi alios, & condemnandi arrogat. Quid hic iam requiris amplius? Sp. Ariſtoteles tamen caliditatem, & frigiditatem pro exemplis diſpoſitionum ponit. Er. Ariſtotelem in exemplis ponendis plerumq; negligentiorem fuiſſe nemo in eius lectione librorum verſatus neſcit. Siquidem has aliquando qualitates vocat diſpoſitiones, ſic nominat quia ſuſcitant, efficiuntue diſpoſitiones, vel quia ab eis promanant. Sic in Metaphyſ. ſcribit (quod a Montano etiam annotatum eſt lib. 2. cap. 12.) caliditatem eſſe ſanitatem, aut partem ſanitatis, aut ſanitatem ad eam conſequi. Accipiti etiam Regulam, quam ibidem tradit Montanus, nos non tam verba reſpicere debere, quam ipſam naturam rei intueri, & ſequi. At natura caliditatis eſt, vt ſecundum eam corpus alteretur, & diſpoſitionis natura eſt, vt ſecundum eam quieſcat. Numquam igitur caliditas aut fieri, aut eſſe poterit diſpoſitio, niſi naturam ſuam prius exuerit, & caliditas eſſe deſierit. Quod an & quomodo fieri poſſit, Montano cogitandum relinquimus. Sp. Saltem negare non oportebat, caliditatem habere poſitionem. Quid enim magis poteſt vocari diſpoſitio, quam primæ qualitates? aut quid magis præ ſe fert ordinem partium? Equidem determinatum eſt in primo libro, diſpoſitionem eſſe ordinem, & diſtributionem poſitionum, quæ ab agente in patiente ponuntur. Quare multo magis poſitionem habent, quam tuæ proportiones. Illæ namque ſunt res, cum hæ potius ſint imaginationes. Er. Caliditatem poſitionem habere, id eſt, in ſubiecto ſuo poſitam eſſe nullus negat. Sic enim & anima poſitionem habet, quæ tamen ob id nec qualitas eſt, nec diſpoſitio. Nobis de ea poſitione ſermo non eſt, ſed de illa loquimur, quæ eſt qualitas determinans qualitates corpus alterantes, id eſt, ſecundum quam corpus deſinit alterari. Hoc modo, ſi qualitates primas oſtendes poſitionem habere, eris tu nouus, at magnus nobis Apollo tamen. Ordinem præcipue in primis qualitatibus cerni, ais. Conſidera quamlibet per ſe, & differentiam ſeu ordinem partium eius nobis indicato. An tibi imaginariæ ſunt res illæ, quarum ratione bene ac male habemus, inque ſtatu aliquo permanemus? Si hanc opinionem ab omni natura, & omnium eruditorum ſententia abhorrere dixiſſet Montanus, rectius equidem fuiſſet locutus, quam tunc ſcripſit, cum quod nos recte, & conſentaneè naturæ affirmauimus, ab omni ſenſu alienum eſſe aſſeruerit. Sed de his ei lis cum Ariſtotele, Galenoq; eſto, ex quorum nos ſententia longe aliud demonſtrauimus. Quod dicit lib. 1. cap. 7. declaratum diſpoſitionem eſſe diſtributionẽ poſitionum. Oedipo habet opus, non Eraſto, qui diuinare non didicit. Quamobrem prius reſpondere non poſſum, quã quid ſibi velit intellexero. Interim hoc ſcio verum non eſſe quicquid adferat ſi cum iis quæ ſolide adeo huc vſque demonſtrata ſunt, non conſentiat. Declaraui hactenus quid ſit Temperamentum, in quibus primo conſiſtat, quid, &

quomo-

quomodo a patibilibus qualitatibus differat, quidquid tum Philoſophi, tum Medici præſtantiores de hac quæſtione ſenſerint. Oſtendi ſecundo loco Montanum hac de re imprudenter, & falſe multa affirmauiſſe. Denique argumenta, quibus noſtram ſententiam oppugnauit, ſcopas diſſolutas eſſe demonſtraui. Nihil igitur iam ſupereſt, quam vt alia accuſationis capita examinemus. Sp. Noli feſtinare. Nondum ad omnia reſpondiſti. Reſtat Vegæ defenſio. Er. Dixi me nō velle aliorum cauſam agere niſi forte obiter aliquid attingam. Vegæ autem doctrina & virtus ea eſt, vt meo ſubſidio non egeat. Sp. Cauſa communis eſt, nec plene explicata videbitur, antequam argumentis omnibus ſit ſatisfactum, contra quoſcumq; tandem ſint excogitata, niſi hominem certum ſolummodo ſic oppugnent, vt ea res ad alios non pertineat. Er. Ergo ſi aliquid commune habes, promito. Sp. Lib. 4. cap. 28. Vegæ argumenta duo adſert. Prius tale eſt: Συμμετρία, quatuor qualitatum non eſt vna, vel duæ qualitates, ſed condecentia, ſeu congruentia, quæ inter omnes quatuor exiſtit naturæ hominis conueniens. Eodem modo ἀμετρία non eſt exceſſus alicuius qualitatis vnius, vel duarum, ſed indecens illa proportio, quæ in omnibus quatuor ex æquo conſiſtit. At ſanitas eſt συμμετρία, & morbus ἀμετρία. Sanitas igitur non eſt vna quædam qualitas, ſed communis illa qualitas, per quam omnes quatuor in vnitate continentur, quæ naturæ ſit familiaris. Et morbus nō eſt excedens qualitas, ſed communis illa omnium affectio, propter quam contra naturā inter ſe vnitæ ſunt. Alterum tale eſt: Si ſanitas eſt præpollens in bona temperie caliditas, & morbus eſt eadē hæc caliditas magis aucta, ſanitatiſq; fines egreſſa, non differunt morbi, niſi ſecundum magis & minus. Er. Non argumenta hæc, quæ ſane bona & vera ſunt, vt ex ſupra dictis liquido patet, ſed refutationē Montani requirebam. Sp. Principio dicit Turiſanum (quem plus quam Commentatorem appellant) ſimile argumentum ſibi ipſi obieciſſe, & mox idem reieciſſe his verbis. Sed hoc nihil eſt. Nam figura permutata eſt immediate lædens actiones. Ergo eſt ægritudo. Er. Iam de ſimilaribus diſputamus, de organicis poſtea diſſeremus. Sp. Argumentum Turiſani nō minus valet in ſimilaribus, quam in organicis. Nam in ſimilaribus non ἀμετρία qualitatum, ſed plus nimio auctæ qualitates primo lædunt actiones. Sed reſpondebo preſſius. Sanitatem vocat Galenus συμμετρίαν, id eſt, virtutem, & morbum, ἀμετρίαν, id eſt, vitium. Vt enim virtus animi eſt mediocritas, & vitium eiuſdem exceſſus ac defectus, ita ſanitas corporis eſt mediocritas: morbus autē huius mediocritatis exceſſus eſt, aut defectus. Sic ergo in corporis virtute & vitio res comparata eſt, vt in animi virtute & vitio comparatam nouimus. At Liberalitas eſt mediocritas, Prodigalitas exceſſus, Auaritia defectus. Si iam quæras, an Prodigalitas & Auaritia ſint ἀμετρίαι quædam, an potius τῆς ἀμετρίας cauſæ? omnes reſpondebunt ἀμετρίας eſſe, non earum cauſas. Sic etiam habent ſe ſanitas, & morbi, vt lib. 2. cap. 6. & 12. demonſtratum meminiſti. Er. Si hæc ſerio ſcripſit Montanus, neſciens tamen qualia eſſent, excuſatum habeo: ſin prudens ac ſciens dictauit, non laudo. Quid enim eſt κατασοφίζειν, vt leuiſſime dicam, ſi hoc non eſt? Debebat habitum habitui comparare, & ea deinde, in quibus habitus conſiſtunt, itidem inter ſe conferre: quæ inter ſe vel neſciens vel ſciens confundit, itaque fucum lectori facit. Sp. Exemplum adferre voluit, ideoq; ad amuſſim, inquit, nolo reuocare. Er. Itane perfunctorie tractare libuit, propter quæ alios reprehēdit, ac amentes & ἀμαθεῖς facit? Reſpondeo primum, non per omnia congruere, quod ad præſens inſtitutum attinet, affectus animi & corporis. Sed quadrare comparationem quam propoſuit ponamus, & quam non recte poſuerit, inſpiciamus. Supra ex Ariſtotele, & ipſamet rei natura oſtendi, habitus, ſeu diſpoſitiones, determinationes, & circumſcriptiones eſſe rerum per ſe indefinitarum. Quod enim per ſe finitum & terminatum eſt, circumſcriptione alia non habet opus. Omnis igitur diſpoſitio in illis rebus ineſt primo, quas terminat. Sanitas, & morbus, ſiue temperies, & intemperies (de ſimilaribus enim loquor) ſunt determinationes primarum qualitatum, & in his primo ineſſe intelliguntur. Sic Liberalitas, Prodigalitas, & Auaritia determinationes ſunt aliis recte, vel non recte dandi. Nam quibus, quando, quomodo, quantum dare oporteat, definiunt, & in his itidem primo ſpectantur. Debebat ergo ipſos habitus cum habitibus cōparare, & ea, in quibus temperies & intemperies conſiſtunt, cum illis conferre, circa quæ liberalitas, & oppoſita ei vitia verſantur. Vt ergo plane rem intelligas, ordine tibi ponam ante oculos, ſi prius monuero, exceſſum & defectum temperiei vel ſanitatis non habere nomina propria, vt in virtutibus fere habent. Pro exceſſu itaq; ſeu prodigalitate ponam intemperiem calidā, & pro defectu ſeu auaritia ponam intemperiem frigidam. Sic ergo collocari debent Habitus; Prodigalitas, liberalitas, auaritia, intemperies calida, temperies, intemperies frigida.

Circa quæ verſantur Habitus?

Quibus, quando, quantum, quomodo dare oportet. Caliditas, Frigiditas, Siccitas, Humiditas.

Monendus hîc mihi es ante omnia, me nō ſic comparare caliditatem, frigiditatem, &c. circumſtantiis, quibus, quando, &c. vt temperies liberalitati, & intemperies calida prodigalitati, &c. ſed tantum oſtendere voluiſſe, circa quæ habitus verſentur. Nunc argumentum Montani repetam, & vitium eius ſtatim comparebit. Quemadmodum nullus reſpondebit, Prodigalitatem & Auaritiā cauſas eſſe τῆς ἀμετρίας, ſed ipſasmet ἀμετρίας, exceſſum ſcilicet, & defectum eſſe affirmabit: ita nullus caliditatem & frigiditatem qualitates modum naturæ excedentes, cauſas nominabit intemperiei, ſed ipſaſmet intemperies calidam videlicet ac frigidam exiſtimabit. Hîc vides eum nō habitus habitibus, id eſt, Prodigalitatem, & Auaritiam, intemperiei calidæ & frigidæ, ſed ea in quibus dictæ intemperies conſiſtunt, cum Prodigalitate & Auaritia, habitibus ſcilicet comparauiſſe: idque cōtra, quam philoſophum decet. Si iſto modo argumenti totius partes collegiſſet, vt ego feci, omnes eius falſitatem perſpexiſſent. Maluit ergo diſperſas, & diuulſas ponere, vt vitium facilius lateret. Debuit in hunc modum colligere: In corporis virtute & vitio, ſiue ſanitate & morbis ſic eſt res comparata, vt in virtute, & vitiis animi. Ergo ſicut liberalitas eſt in dando mediocritas, & Prodigalitas exceſſus, Auaritia autem defectus: ita ſanitas ſimilarium eſt mediocritas primarum qualitatum. Intemperies calida exceſſus, frigida autem defectus. Quare ſicut prodigalitas, & auaritia ſunt ἀμετρίαι quædam in erogando, nō autem ἀμετρίας illus cauſæ: ita intemperies tum calida, tum frigida ſunt ἀμετρίαι, ſeu ipſamet vitia temperamenti, non autem horum vitiorum cauſæ. Si iam ea circa quæ verſantur vtrique habitus, recte cōferre velis, ita colliges: Quemadmodum frequentata actio dandi, quibus, quantum, quomodo, quando oportet, liberalitatem generat (quomodo habitus generari poſſunt,) & erogatio nimia, vel intempeſtiua, &c. Prodigalitatem, nimis parca vero auaritiam: ita quoque generant primæ qualitates congrua proportione conuenientes ſanitatem ſeu temperiem, & inconuenienter hac vel illa proportione concurrentes conſtituunt hanc vel illam intemperiem. Ex Ethicis, opinor, dudum didiciſti a frequentatis actionibus bonis, & malis prouenire virtutes, & vitia, nec ignoras diſcrimen inter bonas actiones, quæ virtutis habitum antecedunt, eumque gignunt, & quæ eundem ſequuntur. S P. Probe intellexi omnia. Vehementer certe mirer, ſi non vidit hæc Montanus: Scribit enim virtutem aſſe animi habitum, ſeu diſpoſitionem, quæ actiones noſtras moderetur, & temperet, circumſtantias omnes ad mediocritatem reuocando, vt demus (in exemplo liberalitatis maneo) quibus, quomodo, quando, quantum, &c. oportet. Si in horū omnium mediocritate, & æquabilitate conſiſtit virtus, nullum certe vnum ex his fuerit. Citra controuerſiam, inquit (& recte inquit) eſt liberalitas mediocritas & æqualitas erogandis pecuniis, ad quam conſtituendam multa concurrunt. E R. Pergamus iam, ſiquidem carectum poſt quod abdiderat ſe Montanus diſiectum, & ſatis perſpicuum putas redditum, vt latere poſt id porro non poſſit. S P. Peruium factum cenſeo, vt conſpici facile poſſit, quiſquis poſt id ſe abſcondere deinceps volet. E R. Quid ad ſecundum argumentum Vegæ reſponſi nobis adfers? S P. Futile eſſe aio, & falſiſſimum. Etenim qualitas mediocris, & modum excedens ſunt ſpecies oppoſitæ, & inter ſe contrariæ, cum altera ex his naturalis ſit, altera præter naturam. Naturale autem, & præternaturale contraria ſunt. E R. Quid audio? An qualitas ſecundum magis, & minus a ſe ipſa differens in contrariis collocata eſt ſpeciebus? An caliditas patibilis dum retuſa, & perſtricta eſt patibilis eſt qualitas, & alterabilis: & eadem validior effecta in aliam contrariam ſpeciem tranſiit? & non modo non eſt, quod fuit, verum etiam contrarium ſuum facta eſt? Quæ iſta eſt noua, & vere prodigioſa philoſophia? Dico tibi qualitates primas eſſe per ſe indefinitas, nec mutare naturam ſuam quando debilitantur, aut roborantur, hoc eſt, cum magis & minus recipiunt. Hac de cauſa egent habitibus, a quibus determinentur ad hoc vel illo modo agendum, cum per ſe idem ſemper, & ſolum agant. Caliditas, exempli gratia, nil niſi calefacit pro viribus ſuis, ſiue ſumma ſit ſiue ima, hoc eſt, ſiue ſincera ſit, ſiue miſta, & infracta. Sed per diſpoſitionem, quæ ex ipſius cum cæteris conſenſione certa oritur, determinata, vel circumſcripta, & quaſi ſub iugum quoddā detruſa, vel chylum, vel ſanguinem generat ex habili materia. Et cum nulla res ſe ipſam hoc modo definiat, ac terminet, rurſus liquet, non ipſas qualitates temperamenta eſſe, ſed id, quod eas terminat, hoc eſt, indefinitas ad finitionem, & conſenſionem mutuam conſtringit, inque ea conſeruat. Perſtant igitur in ſuo robore argumenta D. Vegæ, cuius dum næuos aliquos quærit, vt retegat: ſe ipſum nudat, turpitudinemque ſuam omnibus oſtentat, vt ſimia nates. Hîc rurſum vides quantum hallucinatus ſit in hac re Montanus, dum patibiles qualitates primas in diſpoſitiones Metamorphoſi Ouidiana transmutat, & ex tertia qualitatis ſpecie primam effici ſcribit (errore pudendo ſane) lib. 1. cap. 5. verba hæc ſunt: Ex hoc Galeni loco habemus diſpoſitionem fieri ex paſſione, primam videlicet qualitatis ſpeciem ex tertia: quod omnes Categoriarum expoſitores annotarunt. Cæterum ne excidiſſe ei putes, repetit ſequente cap. 10. Quinam expoſitores adeo ſunt impropriè locuti, vt ex paſſione diſpoſitionem naſci dixerint? Nō ex paſſio-

ne, ceu

ne,ceu motu diſpoſitiones pronaſcuntur,ſed poſt eam,quo modo Galeni verba, cum alterationem ſcribit ad permanentem peruenire diſpoſitionem, hic interpretanda ſint, alibi diligenter expoſui. Verum hoc obiter,illud magis audire aueo, quinam interpretes ſpecies prædicamenti vnius vel plurium cenſuerint, ac dixerint inter ſe permutari, & nullam in aliam conuerti? Rebus in vno prædicamento contentis accidere aliquid poſſe, quod ad aliud pertineat nullus ignorat. Par ratio eſt earũ, quæ in vnius prædicamẽti ſpecieb. diuerſis collocãtur. At ipſa prædicamenta,vel vnius ſpeciẽ vnã ex alia fieri, nullus vel credidit,vel ſcripſit,niſi fortaſſe aliquis Montani ſimilis. S P. Male igitur hanc diſputationem concludit, vt video, cum ait, veriſſimum eſſe Galeni decretum, ſedecim qualitatum exceſſus intemperies & morbos eſſe,non cauſas: quippe hos eſſe,qui primo actiones impediant. E R. Quis dubitet, eum falſa ex falſis concludere? vbi enim dixit Gal.eminentes qualitates eſſe temperamẽta? aut ſedecim qualitates cæteris antecellentes ſedecim eſſe temperamenta? Nullibi. Longe aliter vbiq; & in loco,qui nũc occurrit locutus eſt, libro ſcilicet tertio de ſymptomatum cauſis cap. 1. dum ſic ſcribit: ὅτι γὰρ ἡ ἐκ τῶν τεττάρων στοιχείων ἰδία τις κρᾶσις, ἡ καὶ τὴν ἰδιότητα τῆς γαστρὸς ἐργαζομένη σώματος αἰτία τῆς ἀλλοιώσεως τῶν σιτίων, ἐπιδέδεικται, καὶ ὅτι πλείστην εἰς τοῦτο δύναμιν εἰσφέρεται τὸ θερμὸν στοιχεῖον, &c. Fatetur hic Galenus, caliditatem, quæ ſupra qualitates alias eminet plus cæteris conferre ad ventriculi temperamentum: at ipſam temperamentum eſſe nõ concedit: etenim talem, quandam ex omnibus ortam qualitatem temperamẽtum aperte vocat, & caliditatem principem partem obtinere concedit, quod nos quoq; ſemper vrgemus: at temperamentum eſſe nec dixit, nec ſenſit vnquam. Toto igitur cælo errat Montanus, ſi ex diſputatis hanc concluſionem ſequi opinatur. Æque falſum eſt, quod hos exceſſus qualitatum ait actiones primo lædere: non enim excellentes iſtæ qualitates primo lædunt, ſed diſpoſitio, quæ pro qualitatum præpollentia & defectu alia atq; alia oritur, ea eſt, quæ actionum vitioſarum cauſa eſt prima, & media carens. Si nouiſſet Montanus, quid diſpoſitiones conferant actionibus, & quo modo earum cauſæ dicantur eſſe, non tot errores hac in re commiſiſſet. S P. Sequeretur abſurdi hoc, ſi res ita vt dicis tu, haberet, quod non ſciremus, quibus nominibus morbi ſimilares appellãdi eſſent, quotq; a cauſis eos nominari oporteret. E R. Futile eſt, quod adfers: annon enim intemperies vocamus calidas, frigidas, humidas, ſiccas pro vincentis immiſtione qualitatis, modo & menſura? Deinde quę rerum ſequeretur perturbatio, ſi maxime a cauſis morbi denominationem acciperent? Nihil in illis accidiſſe video incommodi, qui iam olim a cauſis appellationem ſortiti ſunt. Nihil abſurdi video euenturum, ſi a cauſis nomen accipiant etiam ſimilares morbi. Sed vt tandem hanc partem concludam, dico tibi peſſime eum pro eiſdem numerare (idemq; ſignificare non poſſe) quæ libro primo cap. 9. & 11. pro eiſdem ponit, quod ex antedictis facile perſpicis. Priore loco ait: Calor non ſeruans proportionem, calor præter naturam, calor recedens a ſymmetria, calor excedens, caloris exceſſus, intemperies calida idem ſignificant, & vna eademq; eſt diſpoſitio. Idem, vt dixi, reperit cap. 11. vbi σύμμετρον cum συμμετρίᾳ nimis leuiter confundit. De hac re ſatis. Si nihil aliud habes, ad alia procedemus. S P. Commodum mihi nunc incidit, quod hic velim mihi enarrari. Dixiſti & demonſtrauiſti, Galenum nomine diſpoſitionis vſum eſſe, vt vocabulo πρὸς ἕν, quando de cauſa, morbo, & ſymptomate efferri dixit. Recordor autem, Montanum lib. 1. cap. 7. affirmare, ſolum tertium genus ſymptomatum inter diſpoſitiones numerari, actiones læſas & excretiones præter naturam paſſiones eſſe potius quam diſpoſitiones, propterea quod eſſentiam ſuam habent in ipſo fieri. In eodem libro cap. 29. ſcribit in oratione qua affirmatur, ſymptoma diſpoſitionem eſſe, contradictionem inuolutam latere. Quoniam actio (inquit) in generatione eſt, nec partem vllam habet vel temporis momento permanentem: diſpoſitio autem eſt motus terminus, & res permanens. Cæterum inter ſymptomata continetur actio læſa. Sedatur contradictio, ſi dicamus, Galenũ ex trib. generib. tertium ſolũ inter diſpoſitiones enumerare, quod proprie in diſpoſitione cõſiſtit, veluti flauus color in arquato. Reliqua duo genera diſpoſitiones nõ ſunt, ſed in alio genere collocãtur. Libro deinde tertio cap. 7. ex 1. cap. lib. de ſympt. differ. ait: Prima conditio numquam in actionibus lęſis nec in excretis & retentis reperitur, ſed in tertio tantum ſymptomatum genere. Altera vero quæ eſt actionum læſio in omni ſymptomatum genere quandoque reperitur. Nam actio & læſa quandoque & excreta retentaque & nudæ etiam qualitates actiones lædunt: quod licet aliquando per ſe & primo faciant, a morbo tamen ſemper pendent. E R. Tu plus quidem protuliſti, quam ad præſens inſtitutum pertineat, non tamen feciſti male quod in animum mihi reuocaſti. Eſt enim explicatio illius quoq; rei non tantum vtilis, ſed prope neceſſaria. Cum Galen. dicit non morbum dumtaxat, ſed eius cauſam etiam, & ſymptoma diſpoſitiones eſſe præter naturam: non de ſolis accidentibus eſt locutus, ſiue de tertio ſymptomatum genere, verum etiam de reliquis duobus generibus. Quinimo de his multo magis, cum magis principaliter, & proprie ſymptomata nominentur. Actio certe læſa ἐξαίρετος, vt ipſe ait,

ſymptoma appellatur. Quare cum nullo in loco Galenus lectorem monuerit, tertium genus verius ſub diſpoſitione cōtineri, & nomē quodlibet ſimpliciter, citraq; limitationem poſitum magis id ſemper ſignificat, quod proprie & primario deſignat; cauſa nulla excogitari poterit propter quam prima duo genera excludantur. Sp. At diſpoſitio denotat rem permanētem, actio autem læſa non eſt, niſi quamdiu fit. Er. Recte hoc dicitur quidem, at quæſtionem nō ſoluit. Cum enim ſymptoma ſic dicatur diſpoſitio, quomodo fere vrina dicitur ſana, non opus habemus quærere vtrum res ſit permanens. Satis eſt ſcire a diſpoſitione, quæ morbus eſt, pendere, eiuſq; effectum, ſignumue eſſe. Quamquam ſi ſubtiliter agendum eſt, quod tamen cauſa non poſtulat, hîc quoque permanentem qualitatem deprchendes, quæ partes habet κατ' εἶδος comparabiles. Exemplum eſt excretio dyſenterica, (vel alia quælibet actio læſa) cuius forma ſi comparetur cum fluxu alui ſimplici vel diarrhœa, ratione cauſæ, affectiq; loci longiſſime alia videbitur eſſe. Conſideratur ergo diſpoſitio, & qualitas hæc, non in fluxione ſola, quoad eſt fluxio, ſed in eius forma, quatenus talis quædam fluxio eſt a tali cauſa, loco que proueniens. Videſne hîc etiam dormitauiſſe Montanum? & dum Galenum quoq; reprehendit immerito, merito ipſum coargui poſſe? quid vero dicet Montanus, ſi hîc etiam eum ſibi contradicere demonſtrauero? Sp. Qui hoc dicis? Non enim video. Er. Faciam vt videas. Annon æternum, & inuiolabile principium, hoc eſt; Quicquid actiones primo lædit, eſt morbus? Sp. Ita omnino eſt. Idem conſtanter quoq; a Montano affirmatum eſt lib. 5. ca. 26. & deinde repetitum cap. 27. Er. Annon in omni morbo duo hæc eſſe oportet, vt ſit affectus, ſiue diatheſis, & vt actionem primo lædat? Sp. Hoc quoque neceſſariū eſt, vel ipſo Montano teſte. Quippe ex loco, & verbis Galeni lib. de differentiis ſymptomat. cap. 1 idem aſſeuerat. lib. 3. ſuo, cap. 7. Erastvs. Iam ergo vide an recte colligam: Quidquid actionem primo lædit, morbus eſt; At omnis morbus eſt diſpoſitio, & quidem talis, quæ actiones primo lædat. Sp. Quid hic negari poſſit? Eſt enim bonæ definitionis proprium, vt cum ſuo definito cōuertatur. Er. Putas ne omnem diſpoſitionem eſſe rem permanentem? Sp. Omnino puto, nec me memini audiuiſſe vmquam aliquem doctum extitiſſe qui id in dubium vocaret. Montanus certe in hoc libro ſæpe, conſtanterque affirmat, & ex Ariſtotele, Galenoq; probat lib. 1. c. 5. & c. 29. & alibi. Er. Vt in hac parte ipſe conſtans ſit neſcio, at Galenum titubantem facit. Ait enim loco a te iam citato Galen. nomine διαθέσεως vti pro motu alterationis, lib. de loc. affect. 1. cap. 2. Verba Gal. ſunt. Semper igitur neceſſarium eſt incipere quidem ab actionis læſæ inſtrumento, deinde autem quærere quis ſit offenſæ modus. ἄρά γε διαθέσεως ἤδη μονίμως, ἢ γινομένης μὲν ἔτι, τὸ μόνιμον δὲ οὔπω προσειληφυίας: numquid diſpoſitio ſtabilis ſit, adhuc fiens, nec dū ſtabilitatem adepta. Hoc in loco proculdubio, inquit, diſpoſitio μόνιμος, eſt motus terminus. Diſpoſitio vero fiens eſt ipſe motus, vel actio, vel paſſio. Mox Gal. excuſaturus, ait propter nominum inopiam eum paſſionem διάθεσιν vocauiſſe, vt qui ſequente quoq; capite paſſionis nomen pro diſpoſitione poſuerit. Ego vero nō memini διάθεσιν pro alteratione vſurpatam a Galeno, & contra nomina πάθους, & παθήματος milleſies pro diſpoſitione, ſeu morbo ab eo poſita ſcio. Hic inſuper ſententia eius non poſtulauit, vt nomine abuteretur? Equidem hoc voluit morborum alios eſſe factos, vt ablata cauſa nihilominus perſeuerare in corpore poſſint: alios abſq; ſuis cauſis permanere non poſſe. Et horum duo etiam ſunt modi vel ordines. Quoniam alii in eo ipſo loco cauſam habent hærentem, non aliunde accerſunt; alii autem aliunde eam ſubinde ſuſcipiunt, at non diu retinent. Quid hic eſt, quod Galenum cogat nomine abuti? Deinde obliuioſus eſt Montanus, qui idem hoc, quod in præſenti loco Gal. tradit lib. 2. cap. 28. affirmat diſertis admodum verbis, quæ ſupra citauimus. Nullam igitur cauſam habuit Galenum hac in parte arguendi. Sed hæc obiter dicta ſunto. Omnem diſpoſitionem dicis eſſe permanentem? Sp. Dico. Er. Credis ne actionem vnam læſam lædere aliam primò nullo interueniente morbo? Quid hic hæres? Sp. Ipſe non credo iam, licet alias crediderim. At Montanus id ex Galeno palam affirmante probat. Er. De Galeno iam non laboro.

IN PRIMI LIBRI APHORISMOS ALIQVOT PRÆLECTIONES:

Auctore

THOMA ERASTO D. MEDICO.

HIPPOCRATES fuit ex Heraclidarum genere, deſcendens proxime ab Æſculapio, qui primum de hac arte ſcripſit. Habuit Podalirium & Machaonem filios, a quorum altero natus eſt Hippocrates. Ipſe aũt ab Hercule fuit Hippocrates octauus. Plures fuerũt eius nominis. Vixit tempore Perdiccæ, qui fuit auus aut proauus Alexãdri magni. Circa idẽ tempus floruit Thucydides, quo tempore fuit illa peſtis magna, quam ſuccenſis ignibus Athenis deleuit Hippocrates. Vixit ergo tempore belli Peloponneſiaci, & Democriti. Hippocrates primus, teſte Celſo, ſeparauit medicam artem a philoſophia. In Coo, Cnido, & Rhodo fuerunt celeberrimæ medicorum ſcholæ. Vide lib. 1. de vict. rat. in morb. acut. Poſt has tres in Italia orta eſt Medicorum ſchola. Vide Suidam & Soranum. Poſt Hippocratem ſucceſſerunt filii Hippocratis, qui putantur quædam ſcripſiſſe, quæ hodie annumerantur Hippocratis operibus. Aphoriſmos autem Hippocratis verum opus eſſe, inde patet, quia ſingulæ ſententiæ in Hippocratis operibus reperiuntur. Ἀφορίζειν eſt ſeparare: aphoriſmus quiddam ſeparatum, circũciſum quid ab aliis, vt Philotheus ſcribit, optimus Aphoriſmorũ interpres inter omnes qui Aphoriſmos interpretati ſunt. Aphoriſmus eſt ſermo quidam, qui ſeparat præcedentem & ſequentem, hoc eſt, nec cum præcedente, nec cum ſequẽte cohæret. Galenus dicit, Aphoriſmum eſſe ſententiam breuem, quæ paucis verbis multa contineat; dicitur etiam oratio pauper, rebus autẽ ditiſſima. Aphoriſmi ſunt ſententiæ breues, turgentes magnis rebus. Continet hoc opus ſummam artis Medicæ ſub verbis paucis, vt mox patebit e primo Aphoriſmo. Videntur ita breuiter veteres ſua complexi, quia magis ſtuderent rebus, quam verbis. Quæ tota vita Hippocrat. cognouit, congeſſit in hoc Aphoriſmorum opus, in quo comprehendit præcepta maxime neceſſaria.

Aphoriſ. 1.

Primus Aphoriſmus eſt quaſi procemium totius artis medicæ, quia nullo alio in libro totam conſcripſit artem ſicut in hoc. Ideo in aliis libris non ponit procemia. Oribaſius & Philotheus inter Græcos præcipui interpretes, maxime Philotheus. Vitæ nomẽ multa ſignificat. Hoc autem loco tempus, & tractum vitæ noſtræ. Vide 9. lib. Methodi Galeni actũ primum, vel actum ſecundum, &c. Sicut ſigillum iunctum ceræ efficit & imprimit talem notam, ita anima iuncta corpori efficit vitam. Vita, inquit, eſt breuis ſi comparetur ad artem Medicam, ſcilicet exercẽdam & diſcendã. Breuis eſt ſi quis artẽ Medicam exacte velit addiſcere & exercere. Occaſio præceps. Hæc ſequentia verba probant quod vita comparatione artis ſit breuis. (Nam occaſio eſt breuis ob materiæ circa quam ars verſatur inconſtantiam, puta corporis, quod velut quolibet momento mutatur, & ſemper in motu eſt. Prætetea periculoſa eſt experientia ob ſubiecti dignitatem. Nõ enim circa lapides, coria, lignum, in quibus, ſi non legitime tractentur, non multum eſt poſitum: ſed circa humanum corpus verſatur. Denique iudicatio, quæ ipſamet eſt ratio, quod velut arbitra de agendis iudicet. Difficilis eſt, quod quidem tot ſectarum diuerſitas, & opinionum in arte medica multitudo ſatis oſtendit, quæ ideo eſt, quia veritas inuentu difficilis admodum exiſtit.) Vide lib. 9. de Placitis Hippocratis & Platonis. dicit, quamuis artem vno anno addiſci poſſe, quod verum eſt ſi loquamur de habitu artis: ſin autem loquamur de vſu artis, iam vita illius reſpectu eſt breuis. In habitu tantum conſideramus ſubiectum, & ſubiecti paſſiones in ſpecie. Cum autem vtimur arte, conſiderare hæc oportet in indiuiduis etiam, quæ magnam adferunt difficultatem. Occaſiones omnes rei obſeruare eſt difficile, experiri aliquid de quo non ſatis conſtat valde periculoſum eſt. Iudicare autem cur hoc vel hoc eueniat difficilimum eſt. Ergo cum ars adeo ſit longa, ſi velimus eam exercere, vita autem illius reſpectu breuis, ideo totam breuibus Aphoriſmis tradere voluit, ne tempus inutiliter tereret. Medica ars tanto ſit difficilior, quia nõ habet ſolum vnum vniuocum genus, vt reliquæ artes.

Habet autem vnum πρὸς ἓν dictum, quod non vnum ſimpliciter ſynonymum eſt. In arte medica conſideramus omnia in hoc inferiori mundo, quia ad ſanitatis conſeruationem,

autcorruptionem omnia præciſe pertinent. Ideoque a Medico etiam omnia conſiderantur. Inter animália nullum viuacius eſt homine, & elephante. Vide libellum de longitudine & breuitate vitæ Ariſtotelis, vbi docet, cur vita arborum ſit longior quam vita hominum. Subiectum medicinæ eſt πρὸς ἕν, ſicut dicuntur multa ſana πρὸς ἕν; alia quia ſint ſana, vt corpora; alia quia efficiant ſanitatem, vt medicamenta; alia, quia ſanitatem indicent, vt bona vrina. Medicus non res omnes conſiderat in mundo inferiore ſimpliciter: ſed quatenus ad ſanitatem referuntur. Artem eſſe longam tribus probat. 1. quia cogitur vti occaſionibus. 2. multa experiri: experientiæ vero temerariæ animalis interitus finis eſt. 3. dextre iudicare. καιρὸς eſt punctum temporis ad aliquid agendum accommodatum; eſt tempus illud, quo commode aliquid agitur, vel non agitur, vt allocuturus principem aliqua de re obſeruabit occaſionem commodam. Nec enim ipſum alloquetur cum eſt iratus, aut cum eſt in lecto, vel cum eſt in menſa, aut alias occupatus. Sic etiam eſt occaſio obſeruãda in curationibus. Nam certo tempore licet dare medicamentum, ſecare venam, &c. qua occaſione elapſa non licebit hoc facere, ſi (verbi gratia) prius ſumat cibum, aut febricitet, vt ſecare venam non poſſim. Occaſio cognitu perdifficilis eſt, inquit Stephanus Athenienſis lib. 1. ad Glauconem. Eſt enim maxime momentanea. Cum enim corpora noſtra ſemper fluant, & ſubinde ſe modis variis habeant: occaſiones obſeruare, & captare, eo quod ſunt ſæpe præcipites, & non diu durant, difficile admodum eſt, ſicut in acutis morbis videre eſt. Vide lib. ſextum Collect. Auer. vbi dicit nullum ſe perfectum vidiſſe medicum præter quendam Abenzoar, qui habuit patrem medicum a quo didicit ſeptimum agens ætatis annum, vidit mox primùm patrem medicinam exercentem per totos annos 40. Præſidia etiam diuerſa eſſe, & alia ſingulis occaſionibus neceſſe eſt. Non igitur occaſio, quæ maxime præceps eſt, ſemper comprehendi poteſt, ne ſi quis ipſam iuxtà ſequi & comitari queat, ita vt aptum præſidium oportune adhibeatur. Hinc fit vt non tantum infortunia, ſpeiq; fruſtrationes idiotis, ſed optimis quoque medicis euenire videamus. Experimentum eſt periculoſum, quia ſubiectum eſt valde nobile, & propter hoc periculum boni medici tarde & conſiderate quid experiuntur. κρίσις ſignificat rationem, & ratiocinationem qua quid a quolibet ſit factum ratiocinamur. Ob has ergo tres cauſas enumeratas videtur Aphoriſmos de re medica ſcribere voluiſſe. 1. cum occaſio ſit præceps, vt ex iis diſcamus quomodo certis quibuſdam ſignis eam venari debeamus. 2. deinde cum experientia ſit periculoſa, vt nos doceat quomodo ſine periculo magno quid experiri poſſimus. 3. denique cum iudicium ſit difficile, vt illud per artis regulas in opere hoc traditas acuat, ne alia ex aliis deducentes in errorem delabamur, &c. Vel etiam ideo iſta poſuit, vt cum hæc ita habeãt, alios tanto magis ad huius artis perceptionem excitet, & quaſi inflammet. Δεῖ δὲ οὐ μόνον] Galenus vult nouum eſſe Aphoriſmum, qui in ſe conſilium contineat, ſequentia continere videntur tacitam obiectionem. Ergo curabimus, diceret quis, ægrotos, ſi occaſione obſeruata recte experimentis vtamur, & recte iudicemus. Reſpondet: Hæc tria non ſufficiunt, ſed requiritur inſuper, vt aſtantes, & ægrotus faciant officium, nihilq; ſit externum quod nos impediat. Τὰ ἔξωθεν] Nemo eſt qui neſciat in ægrotis, vt conualeſcant, multum eſſe poſitum. Nam ſæpe adeo ſunt puſillanimes, vt propter puſillanimitatem medicamentis nihil proficiamus; alii ſunt nimis confidentes, & non obediunt iccirco Medico, putantes ſe adeo confirmatam habere naturã, quæ facile quemuis morbum vincat. Quidam natura ſunt adeo molliter educati, vt nihil eorum, quæ præſcribit Medicus facere velint, ideoque ſæpe pereunt. Alii ſumunt quidem; ſed poſtea non ſibi temperant a noxiis. Alii libenter ſumerent ſed non poſſunt, & ſtatim reuomunt. Talibus non medicamenta afferenda: ſed tentandum an cibo & potu corrigi morbus poſſit. Adſtantes ſi non faciant officium, ſæpe euertunt conatus Medici, ſi nimium, aut minus parum dent, vel non iuſto tempore, &c. tam medicamina, quam cibos, &c. Τὰ ἔξωθεν (Vt habitationes idoneæ, aut turbarum plenæ, vel iis vacantes,) non debent etiam impedire. Externa quæ nihil admodum ad rem pertinent, & raro accidunt, vt eſt; ſi quis ægrotus ſit in conualeſcentia, & nuncietur occiſum eſſe filium, aut tale quid, commouebitur, & incipiet triſtari, e qua triſtitia facile relabetur in morbum. Sic etiam ſi quauis alia de cauſa terreatur, vt quia domus ardet, in morbum priorẽ, quem fere vicerat, relabi poterit. Iſta vocat externa, quæ non ſemper cauere poſſumus. Galenus in partes ſeptem, Oribaſius in quatuor diuidit hunc primum librũ. Poteſt tamen docendi cauſa in duas diuidi. Nam fere tantum de victus ratione in morbis, & vacuationibus agit. Ordo duplex eſt, naturalis & artificialis prope infinitus: hic ſi aliquis ordo ſit, eſt artificialis.

Aphoriſ. 2.

Κοιλία aliquando pro qualibet cauitate, vide infra lib. 6. Aphoriſ. 20. crebro autem pro ventriculo ſumitur, hic pro γαστέρος tertio ventriculo. Turbationes vocat cũ fiunt excretiones, & con-

& contenta non quieſcunt vt prius. Operam dabimus vt vacuemus ſicut vacuat natura. Natura vacuat quantum & quâlia vacuari debent. Ergo medicus hoc faciat; ſin aliter aggrediatur, nocebit, nõ proderit. Sed dicat aliquis vnde ſciam qualia ſint vacuanda, & quantum, &c. ſubiicit id coniiciendum eſſe ex anni tempore, regione, &c. Redundare flauam bilem intelligemus, ſi ſit æſtas, regio calida, ætate florente æger, ac tertiana ægrotet, &c. Similiter de aliis humoribus iudicare nobis licet. Vide lib. 1. de natura hominis, Aphoriſ. 2. lib. 4. Epiſtolam ad Democritum, & lib. de humoribus. Docere ergo vult quomodo humores qualitate peccantes vacuare poſſimus citra errorem. κένωσις generalius quiddam καθάρσι eſt. Summa eſt ne vacuemus quod non lædit. Id enim ſi faciamus, peccabimus, ſi nocentia tollamus tantum, iuuabimus. In ſpontaneis] Exemplo naturæ probat ſe naturæ conformia dicere. καὶ χώρην] Si ſit frigida regio, non cogitabimus acrem bilem redundare, ſed pituitam. Anni tempus, non tantum autumnum, ver, &c. ſed etiam ipſam temporis conſtitutionem, ætatem, qui a pro ætatum varietate variantur humores. Ipſe morbus, quia hoc in morbo tales, in alio alii generantur humores vitioſi, qui purgatione opus habent. Spõtaneæ excretiones aliquando vi, & robore naturæ, (& ſic proprie ſunt ſpontaneæ: cum enim vi morbi fiunt quodammodo coactæ ſunt) aliquando vi morbi, acredine humorum, & quæ a natura ſine morbo, & a natura per morbum fiunt, non autem artificioſe. Vacuationes ſymptomaticæ etiam ſunt ſpontaneæ. Poſſumus etiam vocare naturales, quatenus artificialibus opponuntur, & fiunt ſine opera Medici. Medicus debet imitator eſſe naturæ recte agentis; debet ergo ſicut etiam natura vacuare qualia oportet, hoc eſt, noxia, vt ſi pituita moleſtet, non vacuanda erit bilis, & contra: ſic etiam de aliis humoribus. Artificialis igitur quemadmodũ naturalis poteſt obeſſe, & prodeſſe, prout ab artifice nimirum inſtituitur: ſed quomodo inſtitui debeat iam dictum eſt. Vaſorum inanitio.] Quidam hæc acceperunt de quantitate, &c. Vt ſi venæ ſectio fiat vt fieri debet, prodeſt: ſin minus, obeſt. Per vaſa intelligit venas, & arterias. Vacuatio venæ inſtituitur propter copiam, non propter qualitatem ſanguinis. In prima parte videtur de cacochymia, in ſecũda de plethora agere. Sed Galenus, Oribaſius, Soranus, Ruſus, Philotheus hæc de ſola cacochymia accipiunt. (Et in prima quidem parte videtur de iis locutus purgationibus, quæ a natura ſola fiunt. Cum vero dicit: ἤν δὲ χρῇ κενεαγγίην, &c. de iis quæ Medici opera fiunt videtur egiſſe, &c.) Hinc dubitatur cur ergo vocet κενεαγγίην, alteram autem vacuationem alio notet vocabulo. Cum enim diuerſis vtitur vocibus, videri poteſt etiam diuerſas notare voluiſſe, nimirum qualitatis & quantitatis vacuationem. Natura vacuat quæ iam ex venis in ventrem deuenerunt, ideo καθαρσίην vocat. Medicus autem vacuat humores qui adbuc ſunt in vaſis, ideo κενεαγγίην eam vocat. Per quantitatem intelligunt Medici humores bonos, probos, vtiles, ſola quantitate peccantes, qualitate autem, & ſi non ſit abſque quantitate, tamen humores illi potiſſimum qualitate peccant; nam quantitas non fuiſſet naturæ moleſta, niſi niſi humores haberẽt qualitatem prauam adiunctam. Quale ergo eſt purgandum, quantum autem vacuandum;

Aphoriſ. 3.

Habitus bonus dicitur qualitas quædam ſtabilis, ſiue ſanitas optima. Nam in hac ſimilares ſunt optime temperatæ, inſtrumentales autem rectiſſime confirmatæ: e quo ſequitur vt corpus totum ſit firmum, & vires ſint meliores, quam in aliis corporibus. Reſiſtit hoc corpus maxime omnibus cauſis morbiferis. Nam cum ſit in medio, longiſſime abeſt ab extremis. Tempore Hippocratis qui ſe ita exercebant, raro vocabantur Athletæ: erant qui nihil aliud in vita ſibi propoſuiſſent, quam vincere in certaminibus Olympicis curſu, ſaltu, pugnis, lucta, &c. ideoq; vt eſſent robuſtiſſimi, operam dabant. qui hoc modo ſe exercebant, ſępe populo ſpectacula faciebant. Nutriebantur primum ficubus, quia potentiſſime nutriunt. Vide Plin. Cogebantur ad cibum ſumendum, & ipſi ſelpſos cogebant, fuerantq; admodum voraces, & ſe infarciebant ſicut ſarcimina infarcimus. Illi deambulando concoquebant, non ſtatim a cibo dormiebant. Vide lib. 5. Methodi: non bibebant inter edendum, ſed poſt concoctum cibum bibebant. Vide lib. ad Thraſybulum de optimo corporis habitu, orationem ſuaſoriam ad liberales artes diſcendas. Item Platonis lib. 3. de Rep. & Polit. Ariſtotelis, ab omnibus iſtis damnantur Athletæ: In hoc aphoriſmo docere voluit quod in poſtremis verbis dicitur, nullam vacuationem debere eſſe extremam, nec repletionẽ ſubitam eſſe & extremam debere: ſed modum in vtroque ſeruandum. Inſtitutum probat ſic: Si periculoſum eſt in optimo corporis habitu redundantiam totam & ſubito ſoluere, periculoſius erit in minus bono hoc attentare: vt in Athletarum optimo habitu præditorum corporibus periculoſum eſt: vide infra Aphoriſ. 27. lib. ſexti. Ergo in aliorum adhuc periculoſius, &c. Periculoſus eſt bonus Athletarum habitus cum ad ſummum peruenit, alias minime. Athletas dici volunt, quod

ſint ἄθλιοι miſeri. Cum enim ad certamina deuenirent, quotidie vulnera, & plagas exſpectare cogebantur. Etiam hoc nomine ita ſaginabãtur, ne poſſent ab aduerſariis comprehendi. Duo ſunt pericula in his corporibus. 1. vt vas aliquod, & præſertim in pulmonibus rumpatur. Nam natura ea tantum fecit firmiora, quæ ad longiora loca extendi debebant. Vaſa autem pulmonum cum tantum per pulmonem diſtribui debeant, ſunt minus firma. Vide de vſu reſpirat. 2. Ne ſubito calor ſuffocetur. Cum enim corpus eorum ſit plenum, calor non poteſt difflari: Sic præ multi ſanguinis copia Apoplexia correpti ſubito extinguũtur. Sic etiam periculum eſt pleuritidis, peripneumoniæ, & aliorum morborum qui ex plenitudine oriuntur. Sanguinis copia bona eſt, quæ nec vires grauat, nec vaſorum ruptionem molitur. Corpus continue mouetur, hoc eſt, attrahit, concoquit, aſſimilat, &c. Cum nõ quieſcat recidit in deterius, quia vel rumpetur vena, vel calor ſuffocabitur, &c. numquam quieſcit corpus, quia ſemper nutritur. Soluendus ergo hic habitus, hoc eſt, aliquid detrahendum, vt nutritionis iterum fieri poſſit principium. (μηδὲ πάλιν τὰς συμπτώσιας) neque tantũ vacuare oportebit, vt vaſa exinanita quaſi concidant, & eorum latera ſe mutuo contingant. Talis enim vacuatio periculoſa eſt. Quæritur vtrum hi homines poſſint naturaliter eſurire. Calor corporis noſtri agens in corpus efficit, vt perpetuo aliquid exhalet, ita venæ exinanitæ ex aliis attrahunt, donec peruentura eſt ad venas hepatis, & inde os ventriculi, quod ſenſibile admodum eſt, & ſentit iſtam ſuctionem, quæ dicitur fames naturalis. Si iſte ſuctionis ſenſus ab aliis fiat cauſis, non erit fames naturalis. Nunquam vllius hominis corpus ita repletur, vt nihil amplius poſſit accipere, aut in illud ingeri. Eſt ergo in ſummo, quãdo venæ propemodum totæ ſunt repletæ, & nihil amplius poſſunt abſque periculo recipere. Eſuriunt ergo etiam naturaliter, quia in venis tantum eſt adhuc vacui, vt poſſint plus cibi aſſumere. Ad vitandum periculum talibus cibus non offerendus erit, & copia ſanguinis venæ ſectione detrahenda erit. Sequitur iam in Aphoriſ. Sin ergo copia detrahi tali in habitu debeat, num tota ſimul detrahi debebit? Reſpon. Non debere hoc fieri, quia vires debilitantur. Oportet ergo cito ſoluere, vt venæ vacuatæ abſq; periculo iterum poſſint nutriri. Exemplo Athletarum docere nos vult, quid in ſimilibus nobis agẽdum ſit, vt ſana ſeruentur. Corpus nunquam quieſcit, quia facultates naturales in perpetuo ſunt motu, contra quam animales, aut quæ ſunt voluntariæ. In venæ ſectione ſi multum vacuetur, etiam vacuantur multi ſpiritus, & ſic vires collabuntur. Vetat Hippocrates, ne purulentos quidem humores, aut aquam in hydropicis totam ſimul vacuemus, quia cum iſtis malis multum boni vacuatur etiam. Vide infra in expoſit. Aphoriſ. 27. libri ſexti. Metitur vacuationem cõſtantia virtutis, quod in tota arte, & in qualibet vacuatione, quomodocunq; ea fiat, obſeruari debet. Quantitas ergo vacuationis magis a conſtantia virtutis ſumitur, quam a copia materiæ, quæ vacuari debet. Ergo vires temperant, & quaſi determinant vacuandi modum, & limites. Hippocrates crebertime vtitur exemplis, quia hæc docẽdi ratio maxime apta eſt. Cum volumus aliquando extreme vacuare, quod interdum fieri debet (nec fieri prorſus nunquam debere dicit Hippocrates) tamen illæ vacuationes admodum periculoſæ ſunt, & propterea admodum circumſpecte nobis agendum in hiſce. Extreme vacuamus, cum vacuamus ad animi deliquium, vt aliquando in venæ ſectione. Hodie vix quiſquam ita vacuat, cum adeo vehemẽter ſint periculoſæ. Repletionem eſſe periculoſam, ſi nimia ſit, in ſequentibus explicabit pluribus. Cum duo ſint, quæ difficultatem pepererunt interpretibus. 1. an eiuſmodi corpora plena poſſint nutriri. Reſponſum eſt ab iis poſſe: loqui enim illum de corporibus non ſimpliciter ſumme plenis, ſed quæ ſunt natura ſumme plena, ſi adhuc ſemel nutriantur. 2. Si non extremæ vacuationi extrema repletio adhiberi debeat, quomodo id pronunciatum ſit verum, quo dicitur contraria pelli contrariis, aut curari contrariis. Reſpon. Quantitas vacuationis non ſolo eo quod vacuandum eſt, ſed etiam a viribus ipſis indicatur. Quod ad rem ipſam attinet, certe vacuationi quatuor graduum opponitur repletio quatuor graduum. Quia autem in viuente corpore hoc agendum eſt, vt ſeruemus vitam; vita autem abſq; viribus ſeruari nequit: Ideo non tantum vacuandum, quantum materia, quæ vacuatione opus habet flagitat, ſed quantum vires concedunt.

Aphoriſ. 4.

In hoc incipit agere de repletione ſeu refectione, cum dicit Medicinam eſſe additionem, & detractionem; definit eam quatenus ars eſt in vſu conſiſtens, quatenus docet detrahere detrahenda, & addere addenda. Additio & detractio fere in tribus conſiſtit, Pharmacis, Chirurgia, & victus ratione. In hoc Aphoriſmo vſque ad vigeſimum fere de victus ratione tantum agit. διαίτη & διαιτήσιον diſtinguũtur ſicut iudicium, & arbitrium. Vide commentaria Budæi. δίαιτα arbitrium ſignificat, eſt iudicium non exquiſitum eius qui ſe inter duos interponit, & cuiq; vt æquitas poſtulat, tribuit. Conuentus imperii etiam vocãt διαίτας, quia

quia in iis non exquiſitiſſime agitur. Sicut arbiter ſe conſtituit medium inter duos litigantes, vt cuique tribuat quod æquum videtur: ita victus inter morbum, & virtutem quaſi medius conſtituitur. Διαιτα autem nõ tantum conſiſtit in ſolo cibo & potu, ſed in ſex rebus non naturalibus etiam: in cibo & potu ſpecies diætæ ſunt tres, plenus victus, conueniens ſanis a quo vires augentur, medius a quo conſeruantur, tenuis, in quo nonnihil iam vires debilitantur. Hęc tertia in quatuor ſpecies diuiditur. In tenuem ſimpliciter dictam, & tenuiſſimam: & prior rurſus in exquiſite tenuem, vel extreme tenuem. Sic etiam differunt inter ſe morbi. Morbi alii ſimpliciter acuti, alii ex decidentia: ſimpliciter qui 14. finiuntur, ex decidentia qui 20, aut pluribus finiuntur. 3. peracuti qui 7. finiuntur, 4. qui extreme acuti, qui 24. horis, vt in quibuſdam anginis, aut quarto die finiuntur. Vocantur ex decidentia, quia in alios decidunt, & mutantur morbos. Vide annot. in prognoſt. Tenuiſſimus extreme eſt nihil; tenuiſſimus, eſt melicratum: tenuis exquiſitus, iuſculi carnium cum aliquãtulo pane. Si ſolum ſuccum & cremorem offeramus, eſt ac ſi ius carniũ offerremus; tenuiſſimus victus eſt aqua cum ſaccharo, vel hordeo cocta. Iam veniendum ad morborum ſpecies, acutus & peracutus. Acutus, qui breuia ſua tempora habet, hoc eſt, breuis eſt, ſi natura ſit etiam periculoſus. Abſq; hoc enim acutus non eſt. Vterq; horum vel ſimpliciter talis, vel exacte talis dicitur, & habebimus quatuor. His addere poſſumus acutum ex decidentia. Vide lib. 2. Galeni de diebus decretoriis ſub finem. Peracutus eſt morbus, qui tantum ad ſeptimum diem extenditur, qui longius procedit ſimpliciter acutus dicitur. Exacte peracutus eſt, qui vſque ad diem quartum durat: non exacte peracutus, qui ad ſeptimum producitur. Exacte acutus vocatur, qui ad 14. producitur: non exacte autem qui vſq; ad viceſimum, licet ille etiam ſit acutus. Eſt ergo acutus ſimpliciter dictus, quando non vltra viceſimum diem durat: exacte acutus, quando non vltra decimum quartum: peracutus, quando non vltra ſeptimum: exacte peracutus, quando non vltra quartum diem extenditur. Acutus ſimpliciter, qui intra 14. aut ſeptemdecim dies finitur, qui vltra extenditur, ex decidentia acutus dicitur. Si excedat viceſimum diem, dicitur longus. Dicuntur ex decidentia acuti, quia tanto tempore, vt non occidant hominem durare nequeunt, niſi in aliam morbi ſpeciem tranſeant. Acutus exacte eſt qui intra 14. finitur diẽ. Angina & quædam Apoplexia, eſt exacte acutus morbus. Ius carnium exquiſite tenuis victus eſt, & extremo tenui vicinum. Aphoriſmus hic etiam in poſtremis conſiſtit verbis. Victus tenuis ſemper eſt periculoſior, quam non ita tenuis. Patet hoc exemplis. Nam in morbis longis ſemper eſt periculoſus, quia vires non poſſunt durare vſque ad morbi finem, ſi longo tempore tenuiter cibetur æger. Si quis ſanus multo tempore tenuiter cibaretur, ferre hoc non poſſet, quanto magis igitur, qui longo tempore ægrotat. In morbis acutis non ſemper victus tenuis eſt periculoſus, quia ſunt breuiores: ſin autem exquiſite tenuis offeratur victus, etiam in iis periculoſus erit. Qui denſa habent corpora, longiore tempore famem poſſunt ferre, quia non multum ex iis exhalat. In acutis morbis non ſemper hoc eſt, quando non eſt acutiſſimus Sunt quidam ita laxi, & rarum habent corporis habitum vt intra triduum magis debilitentur quam alii qui forte multis ſeptimanis ægrotarũt. In quibuſdam,] id eſt, in breuiſſimis, & in quibus ęgrorum vires adhuc conſtant. Grauis eſt.] Licet inſtitueris ſecundum rationem, tamen eſt grauis & periculoſus, ſi ſcilicet ſit nimis tenuis. Multo ergo periculoſior eſt, ſi abſque ratione ſit inſtitutus. κὰι πάλιν] quaſi ſubdiuiſio, quia ſupra dixerat in longis ſemper periculoſus, in acutis quibuſdam periculoſus, & rurſus in iis ipſis acutis qui eum requirunt eſt grauis & moleſtus. Conſiderandum ſemper, quo victu æger opus habeat, quod fiet ſi cognouerimus, quo morbo laboret, & præuideamus etiam ſtatum. Si vires conſtent, & morbus breuis ſit futurus, tenuis ei ſufficere poterit victus: ſin minus, aliquanto plus offerendum erit. Si morbus longior ſit futurus, cibus non adeo tenuis erit offerendus, ſed liberalius aliquanto nutriendus erit. Si morbus duret vltra 40. dies, tales fere ſicut ſani nutriendi erunt.

Aphoriſ. 5.

Doctrina huius Aphoriſmi etiam præcipua in poſtremis verbis continetur. Semper minus periclitabitur æger, ſi error contingat, ſi paulo plenius cibetur, quam ſi nimis tenuiter cibetur. Docet hoc, vt ſimus cauti & circumſpecti in curationibus. Vix vllus ægrotus victu exquiſite tenui vtens, licet recte illa ſit inſtitutus, non peccat. Senſus hic eſt: Si tenui vtens victu aliquem alium errorem committat, qui non in diæta, ſed extra diætam eſt, tamen ille error multo eſt grauior, quam ſi paulo pleniore eſſet vſus, vt ſi quis ſurgat aut iraſcatur, tenui victu vtens, multo maiorem committet errorem, quam pleniore aliquanto vtens, ſurgat, vel iraſcatur, aut aliud quid faciat, quod ſit peccatum, &c. [Vel ſic etiam exponi poteſt: In victu tenui ægri delinquunt, quia ſæpe coguntur intempeſtiue cibum aſſumere. Vt ſi ab initio æger victu tenuiſſimo ſit vſus, cuius ratione vires hactenus debilitatæ ſint, vt in ſtatu ſufferre morbi

vim nequeant, tum ſæpe accidit, vt circa ſtatum eos cibare cogamur, & in eo peccatur, quod non fieret, ſi ab initio pleniore paulo victu eſſent vſi. Vide libr. de victus ratione in Acutis, & Iachinum in bunc Aphoriſmum.] Senſus Aphoriſmi hic eſt: Virtus valde tenuis eſt periculoſior, quam paulo plenior: ratio eſt, quia errores contingentes in exquiſite tenui ſunt maiores, quam contingentes in victo paulo pleniore. Id autem, in quo grauiot eſt error, deterius eſt, & periculoſius eo, in quo minus grauis eſt, licet idem ſit error. Læſionem quanq; facilius fert robuſtus, & vires imbecilliores ſunt in iis, in quibus victus valde tenuis eſt. Ægroti fere ſemper tempore morbi peccant, & fere in victu etiam. Errorum in morbis longis non facit mentionem, quia minus periculoſi ſunt. Qui vtuntur tenui victu, illi peccant, ſicut alii fere omnes, ſed magis læduntur: ratio eſt, quia ſunt imbecilliores ob victum tenuem, & per conſequens ab erroribus, quos committunt magis afficiuntur iis, qui pleniote paulo vtuntur. facit mentionem tenuium diætarum, quarum tamen alrera tenuior ſit altera. & ſenſus eſt, magis læduntur ab erroribus, quos ægroti committunt, qui exquiſite tenui victu vtuntur, iis qui tenui tantum, nō autem extreme tenui vtuntur. Comparat paulo tenuiorem, non tamen malum, paulo pleniori, non tamen malo. Sani ægrius ferunt errores quos committunt, ſi tenuius cibentur, quam ſi liberalius nutriantur. Quid ergo mirum ſit, hoc idem in ægrotantibus accidere. Vt ſi homo laborare aut currere debeat ſanus, qui non bene fuerit cibatus prius, magis lædetur eo, qui idem faciens bene prius fuerit pranſus. Totus Aphoriſmus non loquitur de erroribus, qui in ipſo victu, ſed qui extra victum ab ægrotis committuntur. Nam alibi docet idem Hippocrates in acutis morbis debere potius detractioni ſtudere medicum, quam additioni: & rationem addit, quia ſi minus cibi aſſumpſerit quam debeat, poteſt ei plus addi; ſi nimium aſſumpſerit, nō ita commode poteſt detrahi. Comparat inter ſe duo recta, & morbo conuenientia, dicēs, illud rectum, quod ad paulo plenius declinat, eſt tutius eo recto, quod ab eo deficit, &c. Circa ſtatum, & in ſtatu minimum dare oportet, quia tum natura pugnans cum morbo maxime eſt occupata, & propemodum etiam oppreſſa. Impedietur ergo a cibo, a motbi coctione victoria, ſi occupetur in cibi coctione, & præterea multa generabuntur etiam excrementa.

Aphoriſ. 6.

Morbus acutus celeriter mouetur, & grauia habet ſymptomata, hoc eſt, periculoſus eſt. Sunt morbi habentes ſymptomata ſæuiſſima, & tamen non ſunt acuti, quia longi ſunt, vt colici, &c. Extremi ſeu acutiſſimi ſunt, qui ſunt breuiſſimi, & accidentia habent ſæuiſſima, & vehementiſſima, vt videre licet in ſtatu. Acutiſſimus eſt qui ſtatim babet accidentia vehementiſſima. Extrema θεράπεια eſt fere omnimoda inedia. Cicero hunc Aphoriſ. in 1. De officiis adumbrare voluiſſe videtur, cum dicit, Cogi medicos in morbis periculoſis vti curationibus ancipitibus. Sic fere faciunt Chirurgi in gangrænis quando membra abſcindunt. Medici rarius ad eiuſmodi remedia confugiunt, niſi tempore peſtis, &c. In hoc Aphoriſmo fere loquitur de victu, quanquam etiam de aliis remediis intelligi poſſit. Vide lib. 5. Gal. Method. cap. 15. in quo bunc Aphoriſmum ſatis exponit, cum dicit θεράπειαι, & non δίαιται, ſatis oſtendit non de ſolo victu, ſed etiam aliis curationibus ſe loqui. Si quis intelligat de cibo, hic ſenſus erit: Si quis laboret motbo acutiſſimo (nam per ἔσχατα νοσήματα, extremos motbos, intelligit peracutos, ſeu acutiſſimos) qui intra quatuor aut quinque dies finiatur, huic prorſus nihil cibi offerendum toto morbi tempore, niſi admodum ſit imbecillus, & tum offerenda erit aqua cum ſaccharo, & aliud nihil. Hic tamen obſeruandum, non debere bunc Aphoriſmum intelligi de febre peſtilentiali, cuius alia eſt ratio. Nam ibi cibus certa de cauſa offerendus eſt. Hic Apboriſmus eſt quaſi pars aut maior propoſitio ſequentis 7. Extremis morbis extrema conueniunt remedia. Peracuti ſunt extremi morbi. Ergo peracutis conueniunt extrema remedia. Offerendus ergo cibus acutiſſimus, hoc eſt, extreme tenuis.

Aphoriſ. 7.

Ὅκου μὲν οὖν] Particula illatiua, e qua hunc e præcedente pendere patet. Quanto morbus eſt remiſſior, & minus acutus, tanto pleniorem victum exhibebimus. Sin ergo morbus ſit finem habiturus circa 14. diem, dabimus ptiſanam, & panem vſq; ad 9. vel 11. diem: poſtea cum non procul abſit morbus a ſtatu, vel nihil, vel ſaltem minus cibi offeremus. Vide Gal. lib. de decretoriis diebus ſub finem, item libr. 2. item lib. 8. Method. cap. 3. Videntur in morbis quibuſdam vehementiora ſymptomata accidere ante ſtatum, nō autem in ipſo ſtatu. αὐτίκα τοὺς ἐσχάτους πόνους ἔχει, ſtatim, hoc eſt, circiter primos quatuor dies maximas concitationes ſiue ſymptomata habet, &c. Qui non adeo ſunt acuti, ſed poſt dies demum aliquot ad ſtatum perueniunt,

ueniunt, in iis liberalius paulo ægrotos cibamus. Si enim extreme tenuiſſimo victu tum vtamur, æger, priuſquam ad vigorem morbus perueniat, morietur, &c. ὅκου δὲ μή.] Hoc addit, ne quis putaret in omni acuto morbo extreme exquiſitis remediis vtendum eſſe. In regionibus noſtris pauci acutis laborant, niſi loci ratione. Acutorum ſunt duæ præcipuæ cauſæ. 1. materiæ qualitas. 2. loci dignitas, vt ſi in corde, cerebro morbus naſcatur. Si materia ſit acris tenuis, tum natura toto conatu illud incumbit, vt vel expellat, vel ſaltem diſſipet. Ita etiam cum in membro nobili eſt morbus, natura ſtatim inſurgit, & ſtatim vel vincit vel ſuccumbit, &c. Apoplectici vel pereunt mox tertio aut quarto die, quia motrix facultas in cerebro perit, vel mutatur morbus in aliud malum, vt in paralyſim. Male quidam interpretantur hos morbos de letalibus, quos Medici non niſi cum præfatione curandos ſuſcipere debent, ne medicamenta aliâs bona infamentur. Loquitur ergo his duobus in Aphoriſmis de morbis, de quibus adhuc alia ſpes eſt, eos corrigi poſſe.

Aphoriſ. 8.

Supra locutus fuit de morborum genere, hic autem de morbi tempore, quæ ſcilicet victus ratio adhibenda ſit in quouis morbi tempore. Hic ergo non de genere & natura morborum loquitur, ſed quinam cibus ratione temporis ægro debeat offerri, primum autem de ſtatu. Si in ſtatu offeramus, turbatur natura, hoc eſt, reuocatur ad cibi concoctionem, & auertitur a pugna morbi, [in quo concoquendo aut vincendo, nullo tempore magis, quam in ſtatu, occupata eſt] hoc eſt, ſi natura prius ſit vehementer afflicta, & inſuper oneretur cibo, tanquam nouo onere, ſuccumbit. Eodem fere fit modo, vt natura ſuccumbat, quomodo videmus ignem extingui, ſi ligna nimis multa imponãtur ei, ita vt tandem ſuffocetur. Certe ſi cibus, cum a natura imbecilliore coqui nequeat, crudus per venas diſpergatur, augebitur vitioſa materia, & morbus grauior erit. Quid ſit faciendum ante ſtatum, ſupra obiter docuit, cum diceret, quanto longiùs abeſſet morbus a ſtatu, tanto liberalius cibandum eſſe ægrum.

Aphoriſ. 9.

In hoc Aphoriſmo addit, quod in ſeptimo tacuit: non tantum morbus, & tempus, ſed etiam ægrotans inſpiciendus erit, [& ipſius conſuetudo] nam morbus ſæpe requirit victum certum, ægrotus autem eum ferre nequit. Hæc omnia eo pertinent, vt circa ſtatum, & præſertim in ſtatu minimum æger nutriatur: cauſa eſt, quia nullo tempore natura tam eſt occupata, quam in ſtatu ipſo. Vires noſtræ ſunt triplices: Animales, vitales, & naturales; & hæ ſunt in omnibus morbis conſiderandæ, in primis vero naturalis & vitalis. Sunt autem validæ, cum calorem inſitum habent validum, cuius miniſterio viuntur in ſuis actionibus exercendis, &c. De calore autem iudicamus ex actione virtutis. Si actio virtutis vitalis bene habeat, recte calor habebit. Vtut ſit paruus pulſus, tamen adhúc æqualis ſignificat robur virtutis naturalis. Vigorem intelligimus ex coctione & excrementis, & appetitu. In febribus in primis ex alui excrementis & vrinis. Virtutem animalem colligimus conſtare e motu facili, ſenſuum perſpicacitate, &c. Si conſtat iſta facultas, ergo ſpiritus. & calor, quibus ceu inſtrumentis ea vtitur. In ciborum oblatione conſiderandus eſt morbus, deinde vires ægrotantis, tertio ægri cõſuetudo. [& morbi tempus] Vtrum videlicet fuerit ſolitus antea multum, aut parum comedere. Quod ſi peccandum ſit, hoc potius modo peccemus, vt ab initio nimis multũ, quam nimis parum demus. Poſt ſtatum, ſiue in declinatione liberalius cibare nobis licebit. Tenuiſſimus victus hic intelligitur circa ſtatum reſpectu eius, qui datus fuit ab initio morbi. Nam verſus ſtatum ſemper oportet victum imminuere. Videtur nõ in omnibus acutis morbis vehementiſſima eſſe ſymptomata in ſtatu, &c. Vide 44. Commentar. Galen. in lib. 1. de ratione victus acutorum.

Aphoriſ. 10.

In Aphoriſmo octauo dixit ſimpliciter, in decimo autem quaſi illatiue concludit quod in octauo ſimpliciter dixerat. Tempus quoad tempus eſt, non ſimpliciter indicat quantum cibi offerẽdum ſit: ſed facultas affecta. Vide lib. de optima ſecta ad Thraſybulum cap. 39. & ſequentibus, & lib. 10. Methodi. Vide text. 25. lib. 1. de vict. rat. acutorum, qui locus cum præſenti Aphoriſmo pugnare videtur. Nam ibi dicit debere nos augere cibum vſque ad ſtatum. Quidam vt hæc inter ſe conciliarent, ita expoſuerũt duobus a ſtatu diebus, id eſt, citra ſtatum duobus diebus: ſed eſt falſa explicatio, ſequeretur ægros nutriendos eſſe in ſtatu, ſicut nutriebantur ſanitatis tempore, &c. Alii dicunt hanc ſententiam Hippocratis non eſſe generalem,

ſed loqui eum tantummodo de pleuritide, in eo morbo inquit tanto plus cibi offerendum, quanto magis ſputum augetur. Vera ſententia eſt in quibus materia non continetur tota vſq; ad criſim, vt videre eſt in pleuritide, & ſimilibus. Vide Galenum in vltimam ſententiam lib. 3. de ratione victus acutorum. In pleuritide tanto plus offerendum, quanto plus expuitur duabus de cauſis: 1. vt vires roboremus, quo eiici per tuſſim queat materia. 2. quia ptiſana, nō tantum cibi, ſed etiam medicamenti rationem habet. Quæri poteſt an idem ſit ſtatus coctionis, & accidentium, hoc eſt, an coqui poſſit materia perfecte, cum accidentia ſunt vehementiſſima. Non debet hæc quæſtio de morbo frigido, omni morbo calido, aut morbo materiā non habente intelligi. Intelligi ergo debet de pleriſque febribus, aut morbis acutis omnibus putridis cum inflammatione, aut ſine inflammatione, de his quæritur an ſimul procedant coctio, & ſymptomata. Cum accidentia ſunt grauiſſima, morbus eſt ſæpe mitiſſimus, quando morbi tempore materia paulatim vacuatur, vt in pleuritide, & ſimilibus. Cum morbi materia tota continetur, fieri poteſt vt accidentia ſint grauiſſima, licet morbus ſua natura nō ſit magnus. Quæritur vtrum quando morbus eſt ſummus, ſicut in ſtatu, etiam ſit ſumma putrefactio. Vide cap. 8. artis medicæ. Coctio eſt quæ facit ceſſari putredinem. In ſtatu coctio eſt optima, ergo putrefactio minima, nec vna cum morbo augetur putrefactio. Vrinæ ab initio magnam indicant putredinem, poſtea vero minorem, in ſtatu minimā. Materia ab initio in febribus tota rebellis eſt, in ſtatu non item: indicant hoc vrinæ, criſes, pus. Non ergo procedit putredo cum coctione. Non loquimur de coctione quatenus præparat humores in alimentum, ſed quæ eſt in morbiferis cauſis. Duæ ſunt coctiones, vna permutatio materiæ naturæ aduerſanç in eam formam, vt natura illi iam dominetur, alia & magis proprie coctio dicitur, quæ cibum concoquit, vt corpus eo nutriatur. Mutationum naturalium nō eſt progreſſus retrorſum, ſed ſemper antrorſum, donec deuentum ſit ad elementa quæ iam in ſe inuicem poſſunt mutari. Quæri ergo iam poteſt, ſi cauſa morbi, materia in ſtatu maxime eſt euicta, & benigna, cur accidentia ſint grauiſſima. Reſp. 1. quia materia tunc magis agitatur, & coquitur, ideo magis afficit. Cum ergo maxime coquitur, maxime mouetur. 2. tum etiā eſt ſubtilior, acrior, & mordacior effecta, & attenuata, ideoq; magis nunc poteſt imprimere, quam prius adhuc incraſſata. 3. quia vires nonnihil ſunt imbecilliores quam prius, & corpus facilius accidentia ſentit. 4. quia in ſtatu calor eſt magis concitatus. Nam eo tempore natura inſurgit contra morbum, & ipſius cauſam, & ex ipſa commotione omnia accidentia etiam critica fiunt maiora. 5. quia circa ſtatum tota materia a natura euicta mouetur, in reliquis temporibus ea tantum, quæ putrefacta erat, mouebatur. In ſingulis paroxyſmis noua colligitur materia vt alibi videbimus. In continuis febribus quia materia eſt intra venas concluſa, ideo non poteſt ſimul expelli, magna tamen ipſius pars expellitur, niſi in maximis contineatur vaſis. Aliud eſt fieri morbum, aut putredinem maiorem, & deteriorem. Maior fit quando manet quod eſt, tantum augetur vt fit in ſalubribus. Deterior fit, quando aliam induit qualitatem, quæ peior eſt, vt in inſalubribus morbis fit. Pus fit, quando materia, quæ in pus vertitur, corrupta fuit. Pus eſt effectus quidam natiui caloris, at non ſolius. In generatione puris natura iam vicit putridam qualitatem, &c.

Aphoriſ. 11.

Paroxyſmus habet in definitione ſua periodum. Quid ergo ſit periodus, ſciendum. Periodus vt patet ex lib. Gal. de morborum temporibus, eſt pars deterior totius circuitus. Eſt autem reditus vnius ab vno principio ad idem illud principium. Eſt circuitus quo morbus aliquis ab vno puncto ad idem redit punctum. Vt ſi hodie hora prima te inuadat febris, & redeat poſt biduum, vel circa eandem vel aliam horam, vocatur totū illud intermiſſionis tempus periodus. Periodus in duas partes principes, in acceſſionem, & remiſſionem diuiditur. Acceſſio, irritatio, & paroxyſmus dicitur, & cōtinet partes ſui tempora 4. 1. ἀρχὴν & ἐπισημασίας vocant Græci, cum primum incipit frigere, & hæc pars proprie acceſſio dicitur. 2. Inæqualitatis tempus, quādo partim friget, vt in exterioribus, partim etiam calet in interioribus. 3. Augmentum, quando totum corpus calet, & præcipue circa pectus. 4. στάσις καὶ ἀκμή, quando eſt iam in ſummo, & quaſi ſtat. Remiſſio aliquando habet partem vnam, aliquando duas. Sin ergo per periodum intelligamus integrum tempus periodi, tum in continuis febribus numquam cibus eſſet dandus, quod eſt falſum. Intelligit ergo per periodum tantum partem eius peiorem, quæ acceſſio dicitur, in qua non cibandus eſt æger. Quintum tempus declinatio eſt, quod nō continetur ſub acceſſione: ſextum tempus ἀπυρεξία. Principium eſt in pleuritide generale quando nihil expuit, augmentum, quando ſemicocta, ſtatus quando cocta. Nam vniuerſalia tempora præcipue cruditate, & coctione diſtinguuntur. Docuit ſupra quomodo generali ratione cibus ſit exhibendus: at in 11. Aphoriſmo dicit in principio, non gene-

rali,

rali, ſed particulari, cibum non offerendum, quia nocet vt ſupra expoſitum fuit. Nam in paroxyſmo natura magis occupator, quam in aliis temporibus. Non igitur ei plus negotii cibi oblatione offerendum. Nam non concoquet recte, & ſic cibi conuertentur in excrementa. Vide lib. 10. Gal. Methodi, vbi docet aliquando in acceſſionibus ægros cibandos eſſe, hæc tamen indicatio non ſumitur a morbi natura: ſed potius ab ipſius ægroti conſuetudine. Docet etiam quanam in parte paroxyſmi tutiſſime exhibeatur cum cogimur id facere. Vt in animi deliquio, in corpore arido, & ſqualido, in eo qui multo tempore nō comederat. Accidentia circa ægrotum diligenter obſeruanda. Si in principio non vehementer contrahantur, & mitius tempus ſit reliquo, rectius ab initio, quam poſtea exhibebimus. Conſiderabimus etiam quonam tempore ſymptomata maxime ſint mitia, & tum cibus offerendus. Conſiderādum etiam quando calor vehementiſſime arefaciat. Vide ſub finem lib. 11. Methodi. Si cibus circa ſtatum offeratur, duplicantur naturæ labores, & generantur multa excrementa. καὶ ὁκόσα] Niſi hæc verba addidiſſet, intelligere quis poterat tantum in primo paroxyſmo abſtinendum a cibo eſſe, ſed vt vera ſit, non tamen congruit propoſito loco. Non enim dicit in paroxyſmo primo, ſed in paroxyſmis. Videtur ſic intelligi debere non tantum in paroxyſmis febrilibus a cibo abſtinendum, ſed etiam in aliis morbis, qui paroxyſmos habent id obſeruandum eſſe, vt ſunt podagra, dolores colici, & quidam affectus melancholici. In intermittentibus febribus debemus ἀπυρεξίας expectare antequam cibum offeramus, in continuis autem in declinatione cibare poſſumus, quia declinatio non eſt pars paroxyſmi, quādo acceſſio vt in quotidianis redit citius, tum in declinatione offerendus cibus vt ante acceſſionem concoquatur. Noſtri homines vix vnius diei ferant inediam, ideo in declinatione fere ſunt cibandi, quando febris longa eſt, vt horarum 24.

Aphoriſ. 12.

Καταστάσιες intelligit ἀκμὴν vigorem, ſeu ſtatum. αἱ φύσιες, morborum proprietates indicabunt acceſſiones & ſtatum, ſiue febris quotidie, ſiue alternis diebus, ſiue quarto demum die accedat. Morbi natura obſeruanda, hoc eſt, vtrum ſit acutus & breuis, an longus. Nunc autem docet, nos a principio mox cognoſcere, vtrum ſit morbus breuis, an longus futurus. Nam recte cibare non poterimus, niſi nobis conſtet, quam longe morbus a ſtatu abſit. Si materia frigida & craſſa in parte aliqua ignobili ſit collecta, morbus erit longus, quia natura cum non ſit moleſta admodum, eam negligit. Sin autem in nobili parte, qua non poſſit carere, collecta ſit eadem, breuior erit. Nam tota natura contra inſurgit vt eam expellat. Ita ſi materia ſit acris & tenuis quæ morbum gignit, etiam fiet breuior: quia talis naturæ in quacumq; tandem ſit parte, magis eſt moleſta, quam frigida, & craſſa, &c. Cum dicitur in acceſſionibus nihil dandum, intelligere nos oportet etiam paulo ante acceſſionem nihil dandum. Nam qui duabus aut tribus horis ante acceſſionem cibum obtulerit, eodem fere modo, ac ſi in ipſamet acceſſione daret peccabit, quia cibus interea nō cōcoquitur. Quādo ſit ſtatus futurus, cognoſcemus 1. e morbi natura. 2. anni tempore, ſeu conſtitutione. Morbi propter aëris conſtitutionem, non propter nomina partium anni oriuntur. Vt ſæpe æſtas frigida inſtar veris, expectandi ergo morbi, qui ſolent in vere accidere. 3. Incrementum periodum. 4. ἐπιφαινόμενα, quæ vbi morbus aliquamdiu durauit, accidunt. 5. Excrementa, quæ poſſumus ſub 4. comprehendere, vt ſputum in pleuriticis, vrinæ & alui excrementa in ægrotis aliis, &c. αἱ φύσιες] quia alii acuti, alii peracuti, alii acutiſſimi, alii acuti ex tranſmutatione, quando tenuis materia exhalauit, & craſſior pars remanet. Vt ſi quis exquiſita febri tertiana laboret, quæ ſola bile flaua exciterur, dicemus morbum breuem futurum. Si quis angina laboret, dicemus breuiſſimum fore morbum. Pleuritis ſere 14. finitur, rariſſime ante hunc, aliquādo tamē poſt hunc deſinit. Prout angina in talib. vel talibus cōſiſtit muſculis, breuior aut lōgior erit morbus. Quartanarius quibus diebus non febrit, quoad cibi quantitatem attinet, tantumdem ei concedendum, quantum tempore ſanitatis comedere ſolebat, in hac tantum nos laborare oportet, vt peculiares ei cibos præſcribamus. Pronunciatum generale, æſtas omnes morbos breuiores efficit, hiems longiores, ſi ſcilicet hiemis & æſtatis temperamentum naturaliter habeat. Ver & Autumnus ſe habent ad proportionem æſtatis & hiemis. Omnes breues morbi oriuntur ab humore calido tenui, lōgi a frigido & craſſo. Æſtas autem cum humores calefaciat, & attenuet, breues efficit; hiems cum refrigeret & incraſſet, lōgiores. Calidis temporibus oriuntur morbi calidi a flaua bile, & ſanguine oborti. Frigidis frigidi, ab atra bile, &c. Adoleſcentia breuiores, ſenectus longiores habet. 3. eſt Periodorū ſucceſſiua incremēta. ἐπιδόσιες nihil aliud eſt quam ἀνάβασις. Vt ſi quis tertiana laborans hodie hora prima, poſtea ſequens paroxyſmus hora decima inuadat, & etiam longius duret, intelligo non procul a ſtatu abeſſe febrim. Non tamen ſemper ex anticipatione tali iudicare poterimus: ideo neceſſum eſt anticipatio ſit maturior,

deinde paroxyſmus ſit diuturnior & grauior, tum denique indicat ſtatum non procul abeſſe. Si tardius accidat, & morbus ſit concoctus, indicat in declinatione eſſe, & ſtatum præteriiſſe. Quo mobilior eſt morbi cauſa, tanto maturior ſit periodus. Fit autem mobilior, ſi materia ſit tenuior. Quæ febres eadem hora inuadunt, pleræq; ſunt diuturnæ. Quo incrementa periodorum ſunt maturiora, & vehementiora, tanto ſtatus propinquior eſſe cenſendus eſt. Quo ſunt tardiora, & mitiora, tanto longius ſtatum abeſſe ſciendum erit. Ἐπιφαινόμενα ſunt, quæ in morbis poſt principia apparent, vt ſigna cruditatis, & coctionis, vt videre eſt in excrementis, &c. Sunt quædam ſigna, quæ ſemper cum morbo inuadunt, & cum ipſo diſcedunt, vt pathognomonica. Principium morbi quot modis ſumatur, vide lib. de criſibus Galeni. Excrementa alui ſunt ventriculi, & inteſtinorũ excrementa; ſudores excrementa ſunt habitus corporis. αὐτίκα] intelligit quatuor primos dies. Qui tertio die ſputum coctum expuit in pleuritide, non durabit morbus vltra diem ſeptimum, & proinde e ſputo nos victus rationem inſtituere poterimus. Quo enim citius in omni morbo apparet coctio, tanto breuior erit morbus. Pro ratione longitudinis principii, etiam reliqua morbi tempora ſunt longiora aut breuiora. πτύσμα, aquoſam, tenuem & crudam exſpuitionem vocant: ſed πτύελον ſputum æquale, craſſum, & coctum. Nulla corporis pars adeo tenuem habet tunicam, ſicut oculus, ideo humores in aliis corporis partibus externis quantumuis tenues, & acres, non poſſunt effluere, niſi in pus conuertantur, & ferro aperiantur. Interiores partes contra habent, nec adeo craſſa cute teguntur, alias humores in iis contenti transſudare, aut effluere non poſſent, niſi aperirentur, quod ſæpe abſque animalis interitu fieri non poſſet. Si ſolum eruentum, atrum, aut flauum expuatur, indicio erit nobis nihil adhuc eſſe concoctum. Sin vero ſit mixtum, ſciemus naturam concoctionem iam aggreſſam eſſe, nondum tamen recte concoxiſſe; quod ſi ſit album & tenue, iam eſt coctum. Si flauum expuant, ſæpe euadunt; ſi cæruleum, raro; ſi atrum, nunquam. In morbis capitis excrementa ſunt, quæ per nares, aures effluunt, & pus etiam cum caput eſt vulneratum. Excrementa & alia ſigna enumerata non tantum indicant, quãdo ſit ſtatus futurus, ſed etiam an criſis futura ſit bona, an vero mala. Vide expoſitionem huius Aphoriſ. lib. 1. de Criſibus Galeni. Criſis bona ſemper eſt in ſtatu.

Aphoriſ. 13.

Docuit ad diætæ inſtitutionem conſerre morbi naturam, morbi tempus, vires ægrotantium, ætates etiam conferre monet. Nam vna ætas alia cibi ſubtractionem ferre poteſt facilius, quod in hoc docet Aphoriſmo, inſtituendum ſcilicet talem victum, qualis cuilibet ætati conuenit. Hic ergo aliquid de ætatibus dicendum erit. Ægyptii ſtatuerunt ætatem hominis 100. annorum, vt Plinius refert, & putarunt ſecundum incrementum, & decrementũ cordis durare vitam hominis, cum naſcatur eſſe ij. 3. & augeri vſque ad 50. ſingulis annis duabus 3. poſtea decreſcere iterum, quod eſt fatuum. Solon 70. annorum ætatem ſtatuit hominis. Peripatetici diuiſerunt in duodecim ſeptimanas, quod etiam Varro fecit ex Hetruſcorum libris, hoc eſt 84. annorum. Plato ſtatuit 81. annum eſſe hominis ætatem, quia conſtet quadrato maximo in numeris ſimplicibus, & putauit eſſe climactericum; alii 49. quia ſeptenarius in ſe multiplicatus, efficeret. Quæ de climacterico anno dicuntur, non ſunt magni momenti. Natura hominis hanc ſeruat periodum, vt 9. menſibus excludat fœtum, in hominibus fiunt certæ mutationes poſt ſeptem annos, non propter numerum, ſed quia Deus hæc indidit naturæ, vt ſemper poſt ſeptimum annum fieret mutatio, & hactenus dicere poſſumus ſeptimum annum eo eſſe periculoſiorem, quia ad eum deueniens natura facit mutationem, quaſi rotam quandam iam circumierit, & eo curſu abſoluto iam quid machinari velit. In ſecundo ſeptenario mutatur vox, in tertio prouenit barba, &c. Per nouenarium in nobis fieri mutationes, naturalibus argumentis doceri nõ poteſt, ſed per ſeptenarium, quod etiam e ſacris literis patet. Vide Salom. Authores non eaſdem in partes ætatem hominum diuiſerunt. Auicenna in quatuor partes: Adoleſcentiam vſque ad 30. annum, poſtea vſque ad 35. & in nonnullis vſq; ad 40. facit ætatem conſiſtentem, deinde ſenectutem vſque ad 60. poſtea in extremam ſenectutem. Adoleſcentiam diducit in infantiam, 2. in tempus concuſſionis, quando mutatur vox 3. pubertatis, cum creſcit barba 4. in tempus fortitudinis. Aſtrologi diuidũt ætatem hominis iuxta Planetas. Extat hac de re carmen authoris incerti. Pueritiam, dicit Varro, quaſi puram dici, quia nondum vlla ſcelera patrarint pueri. Iuuenes autem a iuuando, quia iuuare poſſint Rempubl. in rebus militaribus. Hippocrates interdum in duas, in eam quæ creſcit, & eam quæ decreſcit, aliquando in tres, hoc loco in quatuor. Galenus ſenium in partes duas diuidit, inter adoleſcentiam, & ætatem conſiſtentem ponit intermediam iuuentutem. Quod ad res medicas attinet, vix mutantur vſque ad 14. annum, ideo fere ad eum vſque extendunt puerorum ætatem. Creſcit puer in longitudinem vſque ad annum 21. in craſſitudinem &

robus

robur vſque ad 30. poſt illum annum præter pinguedinem vix aliud quid creſcit. Per ſenes hoc loco intelligit primum ſenium agẽtes, non decrepitos; nam illi ieiunium, ſeu ciborum omnium ſubtractionem ferre nequeunt: ideo cum multum concoquere nõ poſſint, ſæpe ſunt cibandi. Cauſa huius rei manifeſta eſt. 1. Senes habent calorem ignauum, qui non bene concoquit. 2. habent corpus clauſum, e quo non multum effluere poteſt. 3. abundant humoribus pituitoſis & crudis, propter concoctionem nõ perfectam concoctis. Qui ætate ſunt conſiſtenti calorem vegetiorem habent, quam ſenes: corpus etiam nõ adeo eſt compactum, nec adeo multos humores pituitoſos habẽt, ægrius ſenibus, facilius pueris tolerant inediam. Pueri omnium minime apti ad ieiunium ſunt, quia non tantum reponendum eſt in cibo, quod effluxit, ſed inſuper etiam oportet augeri illud. Corpus etiam illorum eſt fere aqueum, & prorſus apertum, ideoq; non mirum, ſi ex eo plurimum effluat. πρόθυμος, qui animo & corpore promptus & alacris eſt, wacker. qui ſunt πρόθυμοι, habent cor calidius, vt docetur in arte Medica, &c. Tales pueros etiam in morbis, & aliquando in acceſſionibus ipſis nutrire nos oportet. Non ergo morbum, virtutem & alia: ſed etiam ætatem in victus præſcriptione obſeruare nos oportebit. Sicut inter pueros alii facilius alii difficilius tolerãt inediam, & adoleſcentes, iuuenes, conſiſtentes, & ſenes. Nam in omnibus eadem eſt ratio.

Aphoriſ. 14.

Hic Aphoriſmus nihil aliud continere videtur, quam rationem Aphoriſmi præcedentis. Si particula γὰρ, adiecta eſſet, videri poterat oratio continua eſſe. In omni ætate, hieme, & vere plus tibi offerẽdum, quam æſtate vel autumno, quod hic docere vult Hippocrates. Quæri poteſt an calor ſit maior in iis, qui ſunt infra decimum quartum, an vero iis qui ſupra 14. annum ſunt. Comparationem facit inter cibum, & calorem cibum concoquentem. Nam ſemper eſſe oportet proportionem inter cibũ & calorem. Vbi multus & magnus eſt calor, multo eſt opus cibo a quo foueatur ille: alioqui ſuffocabitur, & corpus penitus diffluet, ac diſſoluetur. Videtur nõ tantũ rationẽ ſuperioris afferre voluiſſe, ſed hoc inſuper docere voluiſſe, quacumq; occaſione natiuus augeatur calor, augendũ eſſe nutrimentũ quoq;, quia vt prius dicebatur, inter cibũ, & calorẽ ſemper eſſe proportionẽ oportet. Vbi calor multus eſt, multo opus eſt cibo: in creſcentib. plurimus eſt: ergo plurimo talibus opus eſt cibo. Maior probatur: Vbi multũ defluit, reponendũ multũ, ni velis corpus cõſumi: at vbi multus eſt calor multũ defluit: ergo multum reponendum, alias corpus diffluet & conſumetur: non poteſt autem reponi, niſi cibo: ergo multo cibo eſt opus. Minorẽ accipit pro confeſſo, quod in creſcẽtibus ſit multus calor. Alibi docet, quo quis propior eſt principio generationis, tanto eum eſſe calidiorem & quo longius ab eo abeſt, tanto frigidiorem eſſe. Vide lib. Gal. de Marcore & cap. 2. lib 1. de tuenda ſanitate. Homo naſcitur paruus; quod ſi debeat fieri magnus, neceſſum eſt, ſit ab initio valde humidus, alias non poterit dilatari, & omnes in partes extendi; quod ſi præterea debeat extendi, neceſſum eſt, habeat calorem, qui partes coniunctas extendat, vt inter cæteras qualitates dominetur. Hinc eſt quod philoſophi dixerunt quicquid creſcit calidum eſſe, hoc eſt, in creſcentibus calorem cæteras qualitates ſuperare. Non tantum oportuit hominem creſcere, ſed etiam robuſtum fieri, ideo ligamẽtis & oſſibus opus fuit. Natura ignem, hoc eſt, caliditatem & ſiccitatem indidit animali, vt partes exſiccatione opus habentes, exſiccaret; quando vltra quam opus habeant exſiccat, & creſcere non poteſt, id iam fit præter naturæ intentum. Nam vbi partes quantum ſatis eſt exſiccatæ ſunt, natura ferre poſſet, vt non amplius exſiccarentur. ſed hunc motum impedire nequit: ideo ad ſenium animalia perducuntur, ac tandem quoque ipſam ad mortem. γέρουσι] Cõtraria argumentatio. Vbi paucus eſt calor non multo eſt opus cibo: in ſenibus parum eſt caloris: ergo, &c. Probatur maior: Vbicumq; calori pauco multum fomitem inicis, ibi calor extinguetur, ſicut ſi ligna multa licet arida paruo igni imponantur, eundem extinguũt, ſi repente præſertim, & confertim hoc fiat. Minor probatur a ſigno: Vbi multus eſt calor, vehementes, & ardentes fiunt febres, ſicut in creſcentibus, in ſenibus numquam, aut raro ſaltem eiuſmodi febres viſuntur. Ergo in iis calor nõ eſt magnus: Rectè ergo dictũ eſt pauco cibo ſenibus opus eſſe. Vide hiſtoriã Halicam in qua legitur quẽdam Hugolinum cũ filiis quinq; incluſum carceri, & fame necatum, ibi obſeruatum eſt natu minimum tertio, alterum quarto, ipſum autem patrem octauo demum die mortuum eſſe. Sic poma calidiora & minus terreſtria cæteris magis fiunt rugoſa, quia calor in ipſis partes depaſcit, & abſumit: ideo flacceſcunt, & fiunt rugoſa, & nõ amplius adeo ſunt plena, quod ideo fit quia nihil in locum eius quod eſt abſumtum reponere poſſunt. Videtur hinc conſequi in peſſimis febribus plurimum cibi offerendum, quia calor in iis plurimum abſumit. Reſp. hic ſermonem eſſe de eo calore, qui non tantum poteſt diſſipare, ſed etiam reponere, vt eſt ſolus calor natiuus & naturalis. Febrilis autem licet multum diſſipet, non tamen reponere poteſt,

& proinde multum cibum quem reponat, non requirit, &c. Galenus & Ariſtoteles varie de natiuo calore loquũtur. Ariſtoteles aliquando vocat ſpiritum per totum corpus diſperſum, aliquando vocat naturam animatam, aliquando quaſi animal quoddam eſſe dicit, alias dicit in ſemine eſſe ſpiritum & calorem qui faciat vt ſemen fiat fœcundum. Vide lib. de ſpiritu, lib. de breuitate & longitudine vitæ, &c. Galenus aliquando vocat temperiem ſeu temperaturam, aliquando dicit iſtum calorem eſſe animatum, aliquando primum animæ inſtrumentum eſſe, aliquando, vt in libro de rigore, ſubſtantiã per ſe mobilem, ſæpiſſime vocat ſpiritum, aliquando exhalationem benigni ſanguinis. In lib. de tuenda ſanitate vocat ignem. Per calorem miſtum ſignificatur ſubſtantia quædam calida. Cum autem τὸ θερμὸν ſimpliciter & abſq; ἔμφυτον ponitur, qualitatem tantum intelligere poſſumus, vt cum quæritur vtrum pueri an iuuenes habeant maiorem calorem, intelligimus tum de qualitate, non autem de calore innato, qui certe maior eſt in infante, quam in adoleſcente, quia mox ab ortu incipit decreſcere, & quo longius viuit homo, tanto magis ille decreſcit. Quæritur ergo quodnam ſit illud θερμὸν ἔμφυτον: reſpondetur ſemen cum menſtruo. Calidum innatum eſt quod nobiſcum naſcitur; ſemen & ſanguis menſtruus vocatur calidum, quia calor in iis reliquas ſuperat qualitates. Quod per cibum & potum in aſſumpti locum reponitur, non eſt quod nobiſcum natum eſt, ſed quod in eius locum ſucceſſit dicitur etiam calidum innatum, quia facit opera calidi innari, & ei valde ſimile eſt, & fit quaſi eiuſdem cum eo naturæ, licet aliquanto ſit imperfectius. Sic res habet, ac ſi quis vas haberet plenum vino generoſo, quotidie autem auferret aliquid, & affunderet poſtea aliquid non adeo generoſi, ſi parum affundatur, eſt idem & non idem vinum, non idem quia ignobilius ei eſt affuſum, & cum eo eſt mixtum, licet hoc ſenſus non percipiant; eſt quodammodo etiam idem vinum, quia fere eundem habet affectum, quem habere poterat etiam prius, antequam cum altero mixtum eſſet. Si longo tempore ſic affundatur, peribit tota eius generoſitas, & quaſi ſeneſcet, tandem vertetur in aliam vini ignobilioris ſpeciem, aut ſone in acetum, hoc eſt, penitus emorietur. Sic fere abſumitur calidum natiuum, & in abſumpti locum aliud reponitur, donec tandem homo ſeneſcat, & prorſus etiam moriatur. Calidum ergo natiuum eſt calor ille, qui in ſemine, & menſtruo ineſt. Subiectum eius ſi ſit multum, multus etiam calor erit. Vbi autem ſubiectum illud humidum in quo ineſt decreſcit, etiam ipſe calor fit minor. Corpora non creſcentia habent calorem multo maiorem iis quæ creſcunt: ſed non tantum habent caloris illius benigni, & natiui conſiſtentis in materia humida, & ductili. Quod in locum abſumpti reponitur, eſt acquiſitum, & ſemper imperfectius eſt natiuo, quo fit vt e diuturna illa repoſitione tãdem animal totũ fiat imperfectum, & deniq; ad mortem ipſam perducatur. Vide cap. 3. lib. 2. de generatione animalium, & tomum ſecũdum diſputationum contra Paracelſum. Quidam putarunt eum calorem, qui in locum abſumpti ſuccedit, non eſſe elementarem, ſed eſſe cæleſtem, quod falſum eſt. Si enim deſcendat, deſcendet cum materia, vel ſine materia; ſine materia dicere non poſſumus, cum accidentia non ſine ſubiectis ſint: ergo cum materia. Si cum materia: ergo illa in corpore noſtro nutrietur, ſicut aliæ corporis partes, & ſic falſum erit materiam cæleſtem eſſe immutabilem, &c. Eſt igitur elementaris, nõ autem cæleſtis calor, qui ſuccedit in abſumpti locum. Is calor qui reponitur, eſt etiam aptum animæ inſtrumentum, minus tamen aptum, quam ſit ipſe calor natiuus vt diximus, ac tandem progreſſu temporis ineptum fit inſtrumentum, vt ne inſtrumentum quidem animæ ſit amplius, & per conſequens animal interire ſit neceſſum. Calor qui in ſingulis eſt membris, eſt quaſi ignauus & dormiens, & nõ poteſt exire in actum, niſi adiuuetur calore e corde egrediente, aut influente ſingula in membra. Æſtate ob raritatem corporis calor eſt minor, in hieme autem cum pori ſunt clauſi, fit ille auctior. Omnes facilius concoquunt hieme, quam æſtate, exceptis extreme ſenibus.

Aphoriſ. 15.

Argumentatur a conſumptione corporis, cibum eſſe multum pueris offerendum. In 13. argumentatus fuit ab eo quod alius alio famiem facilius fert, &c. Eo tempore plus offerendum cibi, quo calor in nobis maior eſt, in hieme & vere auctior fit calor: Ergo tum liberalius homines cibandi. Quæ dicta ſunt de temporibus anni diuerſis, intelligenda etiam ſunt de locis, & eorũ varietate. Nam qui ſunt Septentrionales, magis comedunt iis, qui Meridionales. Cauſam vide expoſitam in lib. 3. de victu acutorum, &c. Cauſa eſt quia aër frigidus circumſtans claudit meatus cutis, & calorem quaſi in corpore includit, e quo concoctiones rectius perficiuntur. Sic putei profundi in hieme ſunt calidiores, quam æſtate. Nam concludit meatus terræ, & ſic calor e terra euaporare nequit, æſtate autem cum propter æſtum aperti ſunt meatus, calor omnis euaporat, & reliqua manent frigidiora. In vere multus calor eſt in nobis, nec ita conſumitur ab aëre. Cum autem ab æſtate tota calor multus conſumatur, licet

in autumno

in autumno ſit aër frigidus & claudat meatus cutis, tamen hoc ſolùm efficit, vt calor & ſpiritus qui ſuperſunt, nec ab æſtate ſunt conſumpti, non effluant. Sunt autem pauci, & propterea nõ adeo multo cibo indigent in autumno homines, ſicut in vere. Calor inſitus etiam pro ſanguine & ſpiritu ſumitur. pro ſanguine, quia ſanguis eſt materia natiui caloris, ſpiritus autem ideo ſic vocatur, quia naturaliter temperatus, conſeruat naturalem calorem, & quaſi vnum cum ipſo fit. Vnus calor naturalis eſt implantatus & conſiſtens in temperie cuiuſuis partis. Spiritus e corde influens etiam dicitur calor inſitus, quia hic ſpiritus cuiuis quaſi dat ſuum actum, & viuificat. Nam calor cæteris datus membris eſt nimis ignauus, niſi excitetur a calore cordis. Iam facile patet, qui calor augeatur hieme. Ventres ſunt calidiſſimi calido innato eo, quod ſolebat efflare, nempe halitus benigni cibi & potus, ſanguis, &c. Calor ergo qui ſingulis membris eſt ingenitus, non fit maior in hieme, quam æſtate, ſed calor influens, & calorem cuiuis corporis parti conceſſum excitans. Natura ſunt calidiſſimi, id eſt, naturali & naturæ conueniente, non præternaturali. Nam æſtate ſunt calidiſſimi calore præternaturali. Vel ſic poſſumus intelligere: hieme ventres ſunt natura calidiſſimi, licet per accidens (vt in ſenibus) eo tempore non ſint calidiſſimi. ὕπνοι μακρότατοι] Per hiemem ſomni ſunt longiſſimi, ergo multus cibus eo tempore offerendus: valet conſequentia ſi antecedens cum prioribus iungatur. Calor hieme poteſt multum concoquere, quia multus eſt, & quia ſatis temporis habet, cùm ſomnus ſit longiſſimus: videntur longiores, quia noctes etiam ſunt longiores, nox autem eſt frigidior die, ideo magis calor colligitur intra corpus. Cauſa videtur, quia per hiemem feliciſſime concoquimus, & magis aſſumimus, ideo multi aſcendunt vapores, & ſpiritus ligant; ideo longius dormimus, quam æſtate, &c. Calorem quo maior eſt innatus, maiorem requirere cibum argumento ſunt pueri, & Athletæ, qui propterea tanto cibo habẽt opus, quia calor ipſis eſt magnus. Somnus a partibus externis intra vocans ad interna calorem habet quandam cum frigido aëre ſimilitudinem; ideo per ſomnum coctio fit perfectior, quam tempore vigiliarum, quæ autem in externis partibus concoquenda ſunt, ea per ſomnum fiũt deteriora, quia in ſomno calor partes externas deſerit, & per conſequens non poteſt inſeruire concoctioni eorum, quæ ſunt in externis corporis partibus. Quia autem concoctio cibi fit quaſi in corporis centro: ideo per ſomnum quo tempore calor coaggregatur, bene perficitur. Somni longiores fiunt potius a frigiditate ipſius cerebri, quam calore, licet ſomni tempore diutius circa interiora calor hæreat. Quæri poteſt, an ventres hieme ſint calidiores, & num coctio fiat hieme melior quam æſtate, &c. Nam contra habere videtur; quia plures fere hieme laborant morbis frigidis quam æſtate: quod ſi laborant morbis frigidis, abundant humoribus frigidis, & ſunt per conſequens frigidiores, & minus etiam concoquent. Pituita etiam redundat hieme, quia ſimilis eſt temperamento hiemis, frigida & humida ſcilicet, vt docet alibi Hipp. Redundare pituitam hieme docent vomitiones pituitoſæ, expuitiones, ſaliuæ, mucus e naribus & eiuſmodi alia. Ad concoctionis perfectionem hoc ſpectat, vt generentur humores vtiles, & calorem habẽtes iuſtum; cum autem ſanguis generetur talis, qui ſit nobis maxime familiaris, cum generantur ſanguis & pituita, generantur duo humores, quia alter ſimpliciter eſt vtilis, alter ſecundum quid vtilis, nempe pituita. Non ergo pertinet aliud ad concoctionem veram, quam vt generẽtur humores ſuaues, e quibus nutriri poſſit corpus. Si generetur humor quo numquam nutriri poteſt corpus, dicitur ea generatio ſimpliciter priore peior, vt cum bilis atræ aut flauæ multum generatur. Coctio perfectiſſima generat ſanguinem fere ſolum, minus perfecta, ſanguinem cum multa pituita generans, quæ tamen adhuc in ſanguinem verti poſſit, mala eſt, quæ cum ſanguine generat humores qui in ſanguinem verti nequeunt. Quod ergo hieme fit ſanguis cum multa pituita, id non argumento eſt coctionem nõ eſſe bonam: ſed tantum id inde ſequitur, non eſſe eam perfectiſſimam. Æſtate acris aduentitius, hieme natiuus calor abundantior eſt, æſtate ſuperatus eſt ſanguis, ideo ad ſanguinem benignum redire nequit; quia in natura non datur regreſſus. Pituita autem cum nondum ſit ſanguis, ſanguis tamen bonus fieri poteſt. Bilis calidior eſt pituita, ſed calore acri, non autem natiuo. Dicitur auctus calor hieme, non quia calor ſingulis membris conceſſus fieret auctior: ſed quia natiuus cum calore ſingulorum membrorum iunctus augetur. Videtur etiam æſtate plus edendum quam hieme. Nam ideo edimus, vt reponatur quod diſceſſit, in æſtate autem plus decedit quam hieme. Ergo plus comedendum. 2. Idem æſtate debebamus magis eſurire, quia maior fit reſolutio. 3. Hippoc. alicubi ſemel in die in hieme edendum, bis aut ter in vna die in æſtate. Reſp. cibi non ſimpliciter æſtimandi ſunt e reſolutione corporis. Eſt autem cibus offerendus, prout poteſt concoqui. 1. ne calor, cum eſt copioſior abſente cibo ſeipſum conſumat. 2. abſente fomento, a frigore ſuffocetur. 3. vt præparemus corpus vt fiat robuſtius, & facilius æſtatis ferat iniurias & æſtus: ideo plus hieme comedendum, quam aliis temporibus; ita natura corpus hieme & vere facit robuſtius, ſicut quædam animalcula comportant æſtate, vt habeant quo veſcantur in hieme. Sæpe ergo propter cauſas

iam expoſitas copioſior offertur, & non tantum ideo vt reponatur quod abierat. In æſtate autem ſæpius cibandi ſunt homines quam hieme, quia calor æſtate minor eſt, & proinde non poteſt ferre homo ſine incommodo, ſi ſemel multum offeratur. Ergo duabus aut tribus vicibus æſtate non tantum offeremus ob calorem imbecilliorem, quantum ſemel in hieme offerremus. Licet æſtate plus conſumatur corpus, quam hieme, tamen æſtate non ita eſurimus ſicut hieme. In febribus etiam non eſurimus, quia calor febrilis vitiat temperamentum natiuum oris ventriculi, vt licet id ſugat, non tamen ſentiamus. Hieme fit naturalis corporis diſſolutio, & inſenſibilis, in æſtate autem ſenſibilis, vt videre eſt in ſudoribus. Dicunt quidam maiorem hieme diſſolutionem fieri, quam æſtate, quod tamen falſum videtur prorſus. Hieme tantum abſumuntur excremenutia: æſtate vero vtilia pariter cum inutilibus.

Aphoriſ. 16.

Docere nunc inſtituit, qualis debeat eſſe cibus qui offertur, & docet hoc exemplo febricitantium. Aphoriſmus hic eſt quaſi concluſio, quia nullam eius rationem adfert. Alii legunt ὑγραὶ πᾶσαι δίαιται, non πᾶσι. Vide lib. 8. Methodi, in 1. de tuenda ſanitate, vbi ſemper legit Galenus πᾶσαι δίαιται, non πᾶσι. Vide lib. 1. ad Glauconem cap. 13. Vt intelligamus huius Aphoriſmi veritatem, conſideranda ſunt principia artis Medicæ. 1. ſimilia ſimilibus conſeruari. 2. contraria pelli contrariis. 3. illa corpora magis alteranda eſſe, quæ temperaturam habent morbo diſſimilem. 4. naturalia ſeruanda, præternaturalia eſſe tollenda. Huic ſubditur, febris eſt præter naturam, ergo tollenda. Ex ſecunda hypotheſi contraria pelluntur contrariis; febris eſt affectus ſiccus & calidus: ergo pellitur humidis & frigidis. Si quis frigidus incidat in morbum frigidum, tamen non admodum calefaciendus erit, nam paruo calore accedente redibit ad naturalem ſuam temperiem. Si autem frigidus ſit præter naturā calefactus, hic multum eſt frigefaciendus, ſi debeat ad natiuum temperamentum ſuum redire. Conſuetudo eſt affectio acquiſita naturæ inſtar ſe habens. Pueros dum nutrimus frigidis & humidis inter febricitandum, conſeruamus natiuum ipſorum temperamentum, & ſimul pellimus febrim. Quæritur, cur ſæpius in febribus calefacientia & ſiccantia offerantur, vt videre eſt lib. 11. 12. & 13. Methodi. Reſp. Cum reſpicimus ad affectum ſolum, ſemper cibus debet frigidus & humidus eſſe, ſi non febrim, ſed cauſam ipſius, aut aliquod accidens reſpiciamus, aliquando mutanda eſt victus ratio hic præſcripta, vt ſi quis febricitet, & ſit hydropicus. Cauſa & morbus aliquando ſunt contraria, & cauſæ vel ſymptomatis maior aliquando ratio quā ipſius morbi habenda eſt. Cum febricitans ſyncope corripitur, tum vino generoſo, aut aliis calefacientibus reficiendus erit, licet iiſdem febris augeatur. Quæri poteſt, cur non etiam in Aphoriſmis poſuerit frigefacientia prodeſſe ægroto, ſiue febricitanti, cum non minus illis indigeat, quam humectantibus. Reſp. Id per ſe notum eſſe, quod febricitantes iuuentur frigidis. Hippocratem autem adeo vulgaria, omnibuſq; nota ſuis Aphoriſmis inſerere noluiſſe, ideo alterius, quod non æque notum eſt, nempe humidorum tantummodo meminiſſe. Hoc enim norunt omnes homines febrim eſſe affectum calidum, & proinde frigida poſtulare, non autem perinde norunt affectum eſſe ſiccum, ideoque humida febri laborantibus offerenda eſſe. Eſt autem febris non minus affectus ſiccus, quam eſt calidus, quia nulla fit febris, in qua natiuus cordis calor non nimium & præter naturam exſiccetur ſimul & calefiat. Quod ſi forte ipſum cor nimium calefiat, naturalem bumiditatem tamē, quæ in ipſius calore ineſt, nondum amiſerit, ne febricitare quidem animal dici vnquam poterit. Conſuetudo quædam natura eſt acquiſita, & proprietas vſu inducta, nec eſt in rebus inanimaris: vt Ariſtoteles docet in Ethicis, ſi lapidem ſurſum ſæpius ieceris, nunquā aſſuefiet, vt ſurſum cadat, ſicut naturaliter deorſum fertur. Conſuetudo interdum eſt ſignum proprietatis naturalis, vt cum dicimus, quoſdam certis cibis delectari, alios ab iiſdem abhorrere; loquimur de ea conſuetudine, quæ eſt ſignū. Sumitur deinde pro cauſa, quæ nō ſit congenita, ſed propter frequentes actus acquiſita. Ad hanc autem requiritur voluntas, e quo patet inanimata haud poſſe ad aliquid aſſuefieri. Oportet autem eſſe propenſionem naturalem præcedentem conſuetudinem, quæ crebris actibus acquiritur. Sic agens inter agendum etiam patitur, vt ſi bilioſum velimus aſſuefacere ad lactucam, ventriculus coquit, & aliquid ab ea patitur, quod ſi diu fiat, tandem qualitatem acquirit, quam prius non habuit, cuius ratione lactuca ei eſt amica. Hæc qualitas in ventriculum introducta eſt conſuetudo & cauſa proprietatis naturalis, nec eſt nobis congenita, ſed aduentitia, & propter frequentes agendi & patiendi actus introducta. In morbis vtriuſq; conſuetudinis, tam eius quæ eſt ſignum, quam eius, quæ cauſa naturalis eſt proprietatis ratio haberi debet: quia in hoc ſemper nobis incumbendum eſt, vt naturam ad priſtinum ſtatum reuocemus, &c.

Aphoriſ.

Aphoriſ. 17.

Non ſatis eſt ſcire Medicum cibi tantum ægroto offerre debere, niſi etiam ſciat vtrum eum ſimul vna, an pluribus vicibus offerre debeat. Difficile admodum eſt cognitu, quomodo hac in parte gerere nos debeamus. Putat Galenus vires, & humores indicare vtrũ cibum offerendum partiri, an ſimul offerre debeamus, de quo vide commentar. Videtur hic Aphoriſmus admodum pugnare cum Aphoriſmo 10. lib 2 cuius explicationem, & conciliationem vide infra loco citato. Cibum difficulter ferre eſt eundem difficulter concoquere.

Aphoriſ. 18.

Nunc exemplo temporis declarat quod ſupra In 17. docuerat. Quo tempore cibi difficulter feruntur & concoquuntur, eo tempore cibi diuidendi erunt in partes, vt in æſtate, & etiam autumno. Certe omnes fere qui in æſtate vſque ad ſacietatem ſaturantur, non parum læduntur. Hieme cibi facillime feruntur, ergo non opus erit cibos ita partiri. Calor naturalis halituoſus ac benignus in æſtate propter calorem circumſtantem euocatur, & extraneus calor ſubingrediens non iuuat, ſed potius perturbat concoctionem. Si ver ſe habet vt plethora, dubitatur cur in vere multum cibi debeat offerri. Reſp. reſpectu æſtatis & autumni ver habere rationem plethoræ. Poſſumus autem offerre multũ, quia calor multus eſt deinde vt præparemus, & quaſi muniamus hominẽ aduerſus futura æſtatis incommoda. Cũ humores in nobis ſunt ſemiperfecti, qui tamen adhuc concoqui poterunt, & pituitoſi; tum non multum offerendum cibi erit, ſi præſertim vires non admodum ſint validæ.

Aphoriſ. 19.

Videtur etiam hic Aphoriſmus ſupra expoſitus: hic autem videtur repetitus, vt quaſi epilogi loco ſit tractationis de victus ratione ab Aphoriſmo tertio hucuſq;, quo epilogo quaſi tranſitum facit, & viam ſternit ad tractationem de purgationibus, quæ iam ſequitur. Criſis eſt proprie illa perturbatio, quæ præcedit illum ſubitaneum morbi motum ad bonum vel malum in ipſo ſtatu fientem, &c. Repetiit hoc loco caput maxime neceſſarium diſputationis de victus ratione μηδ' ἀναγκάζειν] neq; offerendus cibus nolentibus, nec etiam dandus rogantibus, niſi aliquod accidens nos cogat id facere, de quo in lib. 10. Methodi.

Aphoriſ. 20.

Hactenus de victu; deinceps de purgatione. Redit iam ad vacuationes, docens quando non ſit vacuandum. Supra autem docuit quæ ſint vacuanda, &c. κρινόμενα] Criſis dicitur per ſimilitudinem iudiciorum, quando natura tandem vincit vel vincitur. Plerumque tamen abſolute poſitum hoc vocabulum bonam ſignificat criſin: reliquæ criſes non ſic dicuntur abſolute: ſed fere cum hac adiectione, mala, & imperfecta criſis. Circa criſim non debet purgatio inſtitui. Nam ne cibus quidem tunc dandus eſt. Summa eſt; debemus naturam tũc in quiete retinere, non autem auocare a propoſito, aut fatigare. Si perfecta fuerit criſis, nihil aliud agemus; ſi non perfecta, quod ſequente Aphoriſmo præcipitur, agere oportebit. ἐρεθισμοῖσι] Non prohibet cibum offerre poſt criſes, ſed irritamenta vetat & medicamenta, &c. ἀρτίως, id eſt, perfecte iudicare, eodem fere loquendi modo vtitur Hippocrates in libro de humoribus. Vide cap. 3. lib. 1. de criſibus. Criſis bona hæc debet ſibi adiuncta habere. 1. vt fiat per vacuationem (nam quæ fit per abſceſſum, bona quidem & ipſa eſt, non tamen perfecta, quia manet aliquis morbus) 2. vt facta ſit manifeſta præcedente concoctione; e quo patet extra ſtatum criſim bonam eſſe non poſſe. Nam in ſtatu tantũ cauſa morbi perfecte eſt concocta. 3. Vt fiat in die decretorio, quo die ſcilicet natura vacuare conatur. quod dicit per locũ conuenientem debere vacuari, non eſt neceſſarium. Nam phrenitis aliquando perfecte iudicatur per vrinas; ſic febris ardens interdum per vomitum, vrinas, aluum: aliquando per ſudores vacuari ſolet. Licet omnia recte habeant, vix tamen vmquam ſoluitur morbus, quando criſis die ſexta eſt facta.

Aphoriſ. 21.

Eſt complementum ſuperioris Aphoriſmi. Si criſis ſit facta imperfecta, oportet educere quæ non ſunt vacuata, & quidem per loca conuenientia, &c. ῥέπῃ] Si ſcilicet vergat ad loca conuenientia, vt ſi humores impetum faciant in pectus, non oportebit per pectus vacuare.

Facile enim in cor incurrent. Si quid ſit in inferioribus partibus, quod impetũ faciat ad caput, remedia capiti admouere non debes. Si repat humor ad inteſtina, vias vrinarum, habitũ corporis, iuuabis excretionem. Si non ad loca conuenientia vergat, tum retrahere oportet. Si ad inteſtina vergat materia, & in inteſtinis nullus ſit morbus, iuuabimus naturam. Si laborent inteſtina, dabimus operam, vt per ſudores, & vrinas vacuemus. In omni transmutatione ſubſtantiali excrementa fieri oportet, cum autem tranſmutationes ſubſtantiales fiant multæ in ventriculo, hepate, habitu corporis, &c. dedit natura cuiuis parti vias conuenientes, per quas poſſunt vacuari, vt ventriculo dedit inteſtina, fauces, hepati folliculum fellis, lienem, renes, &c. Venis vaſa emulgentia, meatus tunicarum, &c. habitui corporis cutim, pectori aſperam arteriam, &c. ſemper ergo vacuabimus per loca conuenientia. Mouent dubitationem, quonam tempore ſit purgandum, quia Hippoc. dicit non debere moueri naturam circa criſim. Quæritur ergo an in principio vel augmento id fieri debeat. Nam in declinatione cum natura iam vicerit, fruſtra purgamus. De hac re vide ſequentes duos Aphoriſmos.

Aphoriſ. 22.

Quid ſint πέπονα ſcire oportet, hoc eſt, de qua coctione loquatur, & de qua cruditate, quid item ὠμᾶ. Quidam poſt φαρμακεύειν diſtinguunt, & faciunt duplex præceptum. 1. vt concocta purgemus, 2. vt non cruda moueamus. Non cruda vocant aliquo modo cocta. Addunt ex lib. 2. Aphoriſmi 19. exemplum, vbi dicit Hippocrates prædictiones in morbis acutis eſſe non omnino certas, ibi dicit Galenus plerumque incertas, &c. Per mouere intelligunt incidere, per ſudores pellere, &c. Senſus autem eſt: cocta tantum purganda, ſemicocta vero per ſudores, aut alio aliquo modo erunt vacuanda. Sed hoc modo non poterunt applicari cum ſequentibus [neque in principiis, &c.] Rectius ergo ſicut alia habent exemplaria legimus, & ſenſus erit, vt nec moueamus, nec purgemus cruda, ſed tantum cocta. Quærunt quidam num coctio medicorum, & philoſophorum ſit eadem: ſed quæſtio inepta eſt. Nam eadem coctio eſt, & natura ſemper coquit. Ideo Ariſtoteles 4 Meteororum cap. 2. egregie hanc rem indicat, dicens eſſe perfectionem, quam efficiat natiuus calor in humido & ſicco. Hæc perfectio interdum eſt natura & ſpecies, interdum non. Coctio eſt perfectio, hoc eſt, forma inducta a calore natiuo, ita vt humida, & ſicca certo modo ſint miſta. Hæc forma inducta aliquando eſt natura, & ſpecies, vt cum ex ſanguine fit caro, aliquando eſt quædam qualitas, quæ certum in natura habet vſum. Huiuſmodi qualitas eſt in humoribus, qui ſic coquuntur, non vt fiant pars corporis: ſed vt hoc vel illo modo tẽperentur, vt naturæ facilius obediant. Exempli gratia: Cum coquimus legumina vt fiat puls, miſtio illa, & elixatio dicitur coctio: ſed ibi non eſt forma, ſeu natura, quia manet eadem ſubſtantia: ſed eſt inducta qualitas, ob quam poteſt edi commode. Non mutantur ſubſtantiæ, ſed forma inducitur vilis ad aliquam rem, manet prior natura. Sed quando fit ſanguis, fit alia ſubſtantia ac natura. Fructus ergo cum maturantur, non fit in illa coctione noua natura, ſed inducitur alia qualitas. In priore coctione eſt noua mutatio ſubſtantialis, maturatio autem eſt tantum coctio, in qua mutatur qualitas. Hoc loco intelligimus poſteriorem coctionem, quæ ſimilis eſt mutationi, in qua non acquiritur noua ſubſtantia, ſed inducitur certa qualitas, vt obtundatur acrimonia, & quod tenue eſt, fiat denſius. Prima ergo coctio eſt ciborum, altera eſt humorum, qui mutantur, vt non ſint inimici corpori. Sic humores putridi concoquuntur, ſi corrigatur eorum acrimonia, & redigantur ſub imperium naturæ, vt poſſit eos a bonis ſeparare, & eiicere. Ex his intelligitur de qua loquamur cruditate, nimirum de ea, quæ eſt oppoſita ſecundæ coctionis ſpeciei, quam ſimilem diximus maturationi. Primæ ſpeciei ſeu coctioni opponitur ſubſtantia contraria, vt pituita eſt cruda reſpectu ſanguinis. Reſpectu alterius, qualitas contraria dicitur cruda. Vt ſi ſit incraſſandus humor, tenuior humor dicitur crudus, ſi nimium ſit craſſus, dicimus crudum eſſe ob craſſitiem. Idem intelligendum eſt de calido & frigido. Poſterior ſpecies in duas diuidi poteſt ſpecies. 1. quando res ſemicorrupta reuocatur ad priorem naturam. 2. quando non poteſt reſtitui. Exemplum prioris. Vt ſi vinum incipiat aceſcere, poteſt corrigi, vt maneat prior ſpecies. Vbi factum eſt acetum non poteſt reuocari. Sic in humoribus res habet. Si ſanguis incipit corrumpi interdum, ſed leuiter, vt natura poſſit reſtituere ſeparatis aliquibus partibus. Interdũ corruptio eſt facta, nec poteſt reſtitui in integrum, quia non datur regreſſus a corruptione ad habitum: ſed poteſt tamen aliquando induci qualitas benigna. Emendantur in concoctione hac multa, interdum incidimus, interdum incraſſamus, obtundimus, acuimus, & ea omnia dicuntur coctiones. Secũda coctionis ſpecies quaſi primæ inſeruit. Omnis coctio procedit incraſſando, & cocta craſſiora ſemper ſunt, quam cruda. In cauſa eſt, qui calor agens in materiam, ſemper aliquid in vaporem vertit. Mirum eſt de hoc aliquos poſſe dubitare, cum tamen Gal. in 2. Prog. Comment. 33. ac lib. 4. de ratio-

ne victus

ne victus acutorum Comment.4. idem doceat, quo fit, vt cum dicimus, aliquid tenuius fieri per coctionem, nos valde improprie loquamur. Obiiciunt alii, quomodo per coctionẽ ſanguinis oriatur ſpiritus, qui ſanguine multo tenuior eſt, & e ſpiritu cordis, animalis, qui etiam tennior eſt.2. Item chylus eſt tenuior pane, carne, &c.3. & fructus maturi tenuiores immaturis.4. item e lignis oriuntur vermes molles per coctionem. Ad hęc omnia reſponſio eſt facilis: quod de ſpiritibus dicunt, falſum eſt. Nam ſpiritus non ſimpliciter e ſanguine generatur, ſed dum ſanguis oritur vapor eleuatur, qui in corde demum coquitur. Non ergo ſpiritus eſt ſanguis, ſed eſt vapor. Is habet partes coniũctas inutiles quæ ſeparantur, & fit craſſior ſubſtantia. Chylus etiam eſt tenuior, quatenus aliena eidem ſunt admixta, ipſa autem chyli ſubſtantia pane aut carne, e quibus generata eſt, tenuior non eſt facta. Muſtum quando concoquitur fit vinum. Vinum autem fit craſſius, quod ad vini ſubſtantiam attinet, quamuis accidentium reſpectu, tenuius aliquando videatur. In coctione ſæpe aliena ſeparantur, & tum concoctum quod eſt, tenuius videtur, non tamen eſt. Debemus enim vna comparare ſubſtantiam ad ſe non ad miſtionem. Animalis ſpiritus fit tenuior ob aërem attractum, &c. Si dicas multos edere ſiccos cibos tantum, & tamen chylum fieri liquidum; reſpondendum erit hoc ideo fieri, quia multum humiditatis in ventriculo contineatur; ſi autem omnia ſimul conſideres, ſubſtantia ipſius eſt craſſior, quam antea erat. In maturatione dicimus ſemper effluere multa, fieri autem quæ maturantur tenuiora, ob acceſſionem noui humoris, qui concoctus facit, vt appoſitione fiant molliora. Cum dicuntur vermes e ligno generari, negamus, ſed dicimus ex humore fieri. Concoctionis ſpecies ſunt tres, maturatio, elixatio, aſſatio; his tribus tres opponuntur cruditates. Cruditas aliquando effectus eſt coctionis, &c.

EXPLICATIONES IN LIB. I. PROGNOSTICORVM HIPPOCRATIS:

Auctore

THOMA ERASTO D. MEDICO.

In Prognoſtica Hippocratis Prolegomena.

QVÆDAM ab initio capita præmittenda ſunt προλεγομένων loco, breuiſſime tamen iis tactis e quibus fructus ad nos redit. Inſcriptio indicat libri argumentum, indicat enim illa nos percepturos quem euentum morbus ſit habiturus. nõ certum eſt, an Prorrheticorum liber ſit Hippoc. Diſcere hoc e libro poſſumus, qua ratione prædicere poſſumus, quem euentum morbus ſit habiturus. Vide Hippoc. vitam a Sorano deſcriptam. Vide lib.3. cap.1. de difficultate ſpirandi Gal. vbi enumerantur genuini libri Hippoc. item 3. Epidem. Comment. 1. affirmat hunc lib. eſſe Hippocratis genuinum. Continet profundam & grauem prognoſeos doctrinam. Tertio de argumento dicendum, quod generaliter ex inſcriptione intelligere poſſumus. An morbus ſanabilis ſit vel non, num ſit æger moriturus, quo tempore, & quo modo, vel num ſuperuicturus, qua die, vel quo modo ſit conualiturus. Non docet omnium morborum euentus cognoſcere, ſed tantum acutorum. Vide infra lib. 3. Prognoſt. 38. & Comment. Gal. in prog. 1 lib.2. in hoc opere. Vide cap.9. lib.3. de difficultate reſpirationis Galen. Ergo hic ſigna, e quibus iudicare poſſimus de fine acutorum, & eorum, qui ex acutis fiunt exſpectabimus tradita. De aliis morbis nihil, vt chronicis, mulierum affectibus, & ſimilibus. Docet ex ſignis apparentibus in acutis iſta cognoſcere. Signum eſt nota in ægroto apparens, in ſenſus cadens, & indicans rem inſenſibilem, i. quæ tunc non ſentitur. Eſt autem artificioſum ex pacto & conuentu, vt limes in agro, aut naturale. Sic in feſto Martini crux, gladius & chirotheca hic appenditur, oſtendens quemuis tum liberum eſſe, & licere cuiuis ingredi & egredi, &c. De talibus non eſt ars, conſiſtunt enim in voluntate hominum. Naturale vel eſt cauſa rei ſignificatæ, aut effectus, aut ab eadem cauſa venit, a qua res ſignificata oritur.

Inſcriptio & argumẽtum libri huius.

Libri huius vtilitas.

Libri huius author.

Libri argumentũ ſpecialius expreſſum.

Quorum morborũ ſigna tradat.

Signum quid ſit.

Signũ duplex.

Signũ naturale triplex.

Effectus. Cauſa. Exemplũ tertii generis. *Alia ſignorũ diuiſio.* *Ordo quaelis.* *Medicina tres partes.* *Cur inſanabilibus morbis ad hibeantur remedia.* *Quo ſit ordine liber hic legendus.* *Ab obiectionem tacitam reſponſio.* *Morbi curabiles in certis incurabiles fiũt.* *Interpretis officium.* *Expoſitor & ὑφηγητὴς differunt.* *Interpretis vitium.* *Palam falſa defendẽtes.*

Talia ergo ſigna hoc nomine aliud ſignificãt qnia perpetuo illud, quod eſt res ſignificata comitantur & cum ea quaſi indiuulſe cohærent, &c. nulla alia fingi poteſt connexio cum re ſignificata. Si videamus fumum procul, ignem intelligimus ſubeſſe. Si videamus nubes atras, denſas, videmus ibi pluere, licet pluuiam nõ videamus. Interdum etiam nota vel eſt effectus, aut cauſa, vt ſi veſpere quis Iridem viderit, dicet ſerenitas ſequetur. Nam quod eſt cauſa ſerenitatis, eſt etiã cauſa Iridis. Talia in morbis infinita ſunt, quæ nec ſunt cauſa, aut effectus mortis, ſed ab eadem cauſa, a qua mors, inducuntur, generantur & fiunt, vt e ſputo nigro pleuriticorum, quod non eſt cauſa mortis, nec effectus, cum mors nondum adſit, ſed ob eandem eſt cauſa, ob quam mors affertur, nempe ob extinctionem caloris, mortem vicinam eſſe colligimus. Hæc ſigna ſunt medica, de quibus loquitur Hippoc. in hoc opere. Sunt ſigna coctionis & cruditatis, ſalutis & mortis, aut ſunt ſigna criſeos. 1. in excrementis conſideramus. 2. cum ex his, tum e facie, decubitu, voce, reſpiratione. 3. poſtrema vide in lib. de criſibus. Continentur tribus generibus, nempe accidentibus excretis, & operationibus læſis, de quo vide lib. de locis affectis. Talia ſigna quid ſignificent, exponit in hoc libro. Eſt fere ordo, qui fuit in Aphoriſmis, ſeruauit tamen eum qui ſibi viſus eſt optimus. Quæritur quo ordine legendus ſit hic liber in arte medica. Vide finẽ primi Cõment. de Meth. diagnoſtica, prognoſtica & therapeutica: ſunt partes tres medicinæ, vt inde patet e loco citato. Prognoſtica pars tantum continet ſigna, e quibus præſentia, præterita. præteritorum autem cognitio non admodum aliis prodeſt, ſed Medico fere tantum gloriam parit, &c. Et futura cognoſcimus. Præſentium cognitio ſeu dignotio, potius ad diagnoſticum, quam prognoſticum pertinet. Curare morbum non poſſimus arte, niſi cognoſcamus eum. Præcedere ergo debet prognoſis, vt videamus, an ſanabilis morbus ſit, vel inſanabilis; inſanabilibus enim remedia non adhibemus, niſi cũ præfatione, ne æger nimium crucietur: ſæpe hoc modo quid adhibemus etiam in deſperatis. Prognoſtica ergo præcedit therapeuticam, quæ poſtrema eſt. Non quidem ſtatim ab initio an æger ſit moriturus, ſcimus, hoc tamen e morbi cognitione ſcimus, vtrum aliquando ſit curatus ex ſua natura, nec ne? progreſſu temporis autem dicet Medicus, vel moriturum ægrum talem, aut euaſurum, licet non ſimpliciter ex ſua natura ſit incurabilis. Sic podagra curari poteſt, non autem in eo, qui iam pedes nodoſos habet. Practici ergo recte deſcribunt, prius morbum ſufficienter, vt cognoſcant antequam curationem tradant. Interpretis officium eſſe Gal. ait, obſcuras dictiones exponere, vide Cõment. 2. expoſi. 56. lib. 1. Epidem.. Item in primo Comment. de fracturis, & in t. lib. 3. Aphoriſ. Verba obſcura & ſenſum authorũ exponebant quidam omiſſis cauſis, & hoc ait expoſitoris officium eſſe. Vſum tamen ait obtinuiſſe, vt etiã cauſæ & demonſtrationes iam adferantur. Diſcrimen facit inter expoſitorem, & eum qui per diexodon rem tractat fuſe ordineq; in peculiari libro. Debet expoſitor hoc facere, licet non ſit vera ſententia. Hactenus enim expoſitoris facit officium, ſi eius falſitatem aut veritatem demonſtret, facit hoc non quatenus expoſitor, vere expoſitor dicitur & proprie. Si quis tamen nimis accurate de placitis authoris diſputet, omnino non facit expoſitoris boni officium. Nihil in hoc opere eſt, quod non ſit veriſſimum. Cauſæ & demonſtrationes adferuntur ſingulorum, ſed breuiter, qui defendunt palam falſa, hos comparat Gal. cauſidicis decipientibus iudices ſuis paralogiſmis & falſis ratiunculis, &c.

Prognoſticum I.

Præfatione cur vtatur. *Prima ratio.* *Spei bonæ in morbis commoda.* *Aliud cõmodum.*

Vtitur præfatione forſan propter Methodicos, qui negabant præuiſionem futurorum pertinere ad Medicum. Medici namq; officium aiebant in hoc poſitum eſſe, quod in benevalentibus, præſentem ſanitatem conſeruare, aut in ægrotantibus corruptam reuocare deberet, ſed potius ad vates, vt Gal. exponit. Oſtendit ergo, vtile eſſe, vt ſit exercitatus in præuiſione futurorum, tribus rationibus. 1. Nam ægri Medico promptius parent. 2. Medicus etiã præuidendo, quæ ſunt ægrotantibus euentura, facile obuiam ire poterit in tempore. 3. Deniq; internecionis crimine vacabit, &c. t. quæ ad id faciunt, vt æger ſe committat Medico, & obſequatur, vtilia ſunt. Ex prædictione colligit æger, Medicum ægrotantis naturam nouiſſe. Ergo ſe obſequentiorem exhibet Medico, & ſic morbus facilius tollitur, &c. at præuiſio futurorum hoc facit, ergo vtilis eſt. Optimum eſt Medicum ſtudere præuiſioni & prædictioni, nam æger ſic iudicabit, Medicum exacte morbum cognoſcere, & erigetur in ſpem magnam, & ſe libenter committet Medico. Ægri ſæpe magis propter ſpem bonam conualeſcunt, quam ob medicamenta. Spiritus enim redduntur alacriores in bene ſperantibus, & tota natura facilius morbum ſuperat, in male ſperantibus torpent omnia. Medico etiam credit, libenter ei obtemperat, & ſimul ſpe plenus facilius euadet, quam alii. In templo Apollinis ob ſolam confidentiam ſunt ſanati, qui ſanari aliâs non potuerunt, vt Gal. teſtatur quodam loco, propterque bonam ſuã ſpem, oblata ſumſerunt a Medicis, quæ alias numquã ſumſiſſent. Bona igitur ſpes

etiam

etiam reddit ægros obſequẽtiores, &c. Cum ſpiritus ſunt alacriores, etiam natura alacrius oppugnat morbum, & æger facilius conualeſcit. Non videtur ſcripſiſſe propter Methodicos. Vide cap 4. lib. qui Medicus ſeu introductorius inſcribitur apud Gal. Methodicæ ſectæ Themiſor Laodiceæ Syriæ fuit author primus, accepta ab Aſclepiade occaſione. At Hippoc. eum præceſſit 400. annis. Forte intelligit per methodicos tales, qui tum fuerunt eius ſententiæ, cuius poſtea fuerunt Themiſon & ipſius ſequaces, qui reiecerunt cauſarum inquiſitionem. Tales enim etiam fuerunt Hippoc. ætate, licet cum Methodicis nõ idem ſenſerint per omnia, qui aliquot ſæculis poſt Hippoc. obitum demum orti ſunt, &c. προνοίαν, prouidentiam ſignificare ait Gal. vt ſit non tantum prouidere euentum, ſed etiam ad illum aliquid facere vt recte fiat, quod præuiderat. Ἐπιδεῖναι eſt μελετᾶν, quod ipſum eſt ἀσκεῖν exercere. Vide 1. Epidem. textu puto 48. Oportet cum diligentia, non obiter tantum curare, vt poſſimus futura præuidere & prædicere, &c. Vide Aphoriſ. 19. lib. 2. vbi dicit, periculoſas, non certas & tutas eſſe prædictiones in acutis, ideo difficile eſt prædicere. Dubitatur ergo, an velit Hippocrates hoc loco, vt præuideamus tantum, ſed tantum verba repugnant, dicit enim ideo ſtudẽdum præuiſioni & prædictioni, vt æger ſelibentius nobis committat. Si nihil dicamus, quomodo ſe magis poterit nobis æger committere? Vult ergo, vt prædicamus prudenter tum, cum ſcilicet nobiſcum ſingula penſitauimus, non tamen ſtatim ab initio, ſed in tractu curationis demum prædicendum. Signa enim tam ſalutis, quam mortis, nõ ſtatim ab initio apparent ſemper. Cum ſcimus qui ſit morbus & in qua parte, iam poterimus dicere, quomodo ægrum inuaſerit, & omnia ſymptomata recenſere, quæ ipſemet æger & aſtantes reticuerant. Omittũt autem & reticent ægri non tantum ea, quæ difficulter agnoſci poſſunt, vt ſunt morborum ſedes in profundo corporis poſitæ, earum cauſæ & affectiones, ſed etiam ſæpe cauſas προκαταρκτικάς, eaq; accidentia, quæ ipſiſmet ſenſibus euidentia ſunt, &c. Quærunt quidam, an ſit præuiſio futurorum, & an diuinatio, & num diuinare nos velit Hippoc. Cicero ait de diuinatione, quod inter homines verſetur diuinatio, & hoc ſit ab omnibus hominibus creditũ, ideo nobis nõ dubitandum eſſe. Sed reuera dubitare poſſumus. Ariſtoteles non putauit eſſe diuinationes, ſemper enim tales prædictiones refert in cauſas naturales, vt in temperaturam talia refert, aut quia fortuito quid fiat, aut quia ſæpe circa id verſamur multo tempore, quod nobis in ſomno ſæpe occurrit. Alii retulerunt ad inſpirationem diuinam, talia ſomnia, quod refutat Ariſtoteles, nam ſi talis eſſet, inſpiraretur potius ſapiẽtibus & bonis, quam citra exceptionem omnibus. Vide librum de memoria & reminiſcentiã. Vbi futura dicit ſperari & imaginatione apprehendi, &c. Memoria non præſentium, ſed ſenſus eſt. Eſt ergo præteritorum. Ars ſperandi & diuinandi multum inter ſe differunt, futurorum etiam non eſt memoria, &c. Diuinatio non datur vt ars. Futura enim neceſſario aut contingenter eueniunt, de neceſſariis non loquimur hoc loco. Contingentia quatenus participant naturam communem, etiam hic non ſunt controuerſa, vt an homo hominem generaret. Sed de indiuiduis, vt qualem hæc editura ſit infantem. Medici præſagiunt cum cauſæ naturales iam incœperunt: Sic etiam Nautæ, Agricolæ, Politici. Vide Comment. Gal. in lib. Prorrheticorum, vbi dicit Medicum non prænunciare, niſi cum cauſæ incœperunt eſſe, quæ ab aliis non, ſed ob paruitatem a ſolo medico intelligi poſſunt. Exemplum ibi proponitur de phrenitide, vt cum adeſt principium, dicamus, homo ille cras furiet, &c. ita ex vrinis de cruditate, ſalute & morbo, &c. Politici cum aliquid viderunt accidiſſe inter principes, tum ex paruis iudiciis illis, quid moliuntur, & an bellum ſit futurum intelligunt, ob ortam nebulam paruam, nautæ qui ventus ſit flaturus, &c. Talia autem non vocarunt vaticinium: nam vaticinium veteres eorum tantummodo eſſe iudicabant futurorum, quorum cauſæ penitus ignorarentur, vt ſi quis videat auem hoc modo volare, prædicat futurum bellum, &c. Hanc diuinationem riſit Ariſtoteles, & omnino ridenda eſt. Et tum eſt prophetia inter Chriſtianos, & oracula inter Ethnicos Reſponſio. Eſt ab inſpiratione vel diuina, vel diabolica, nam diabolus non amiſit ingenii acumen, ſicut homo, & videre vi ſui intellectus poteſt multa, antequam alii hæc nouerunt, ſunt etiam Dæmones agiles admodum, nam quæ vident Conſtantinopoli facta, mox ea hora hic recenſere poſſunt, quæ forte poſt menſem demum alias homo hic auditurus eſſet. Tale ergo vaticinium veterum eſt potius, paſſio quædã animi, quam habitus vel ars: qui miracula fecerũt, hic ſolũ potuerunt, cum ſpiritus illos impelleret. Ergo Apoſtoli non fuerunt tali habitu aut arte præditi, vt ex eo hæc facerent. Vates hodie ſæpe falluntur. Galenus qui ex cauſis proximis, quæ iam agere incœperunt futura præuidebat, numquã ſe deceptũ in prædicẽdo ait. Hippo. vult ſi prædicimus, vt ex certa cauſa medica, in ſenſus incidere prædicam⁹. Vide lib. 2. prædicationũ Prorrheticorũ, &c. Numquã voluit Gal. vates appellari. Vide lib. Eraſti cõtra Stathmionẽ, &c. Fecerũt veteres duplicẽ diuinationẽ, Artificialẽ, vt auiũ garritũ & ſimilia, & nõ artificialẽ, ſeu naturalẽ, & iudicabant per inſpirationẽ Deorum illam fieri. Vide lib. Plutarchi, Cur oracula defecerint. In Platone ſumma fuit eruditio: qui autẽ hodie volunt eſſe Platonici, fere nihil præ-

Obiectio contra præfationis expoſitionem.
Secta Methodicæ primus author.
πρόνοια.
Ἐπιδεῖναι καὶ μελετᾶν.
Reſpõſio ad obiectionẽ ex aphoriſmo propoſitam.
Quando prædicere debeamus.
Cicero & Ariſtoteles nõ idem de diuinatione ſentiũt.
Prædictionum ex diuinatione, cauſa iuxta Ariſtotelem.
Aliorum ſententia & eiuſdem refutatio.
Medici quando præſagiũt.
Politici cur præſagiant.
Vaticiniũ apud veteres, &c.
Ad obiectionem. Reſponſio.
Diaboli ſolertia & agilitas.
Quando Apoſtoli miracula fecerint.
Prædictionum Medicarũ fundamẽtum.

Diuinatio nis cauſa iuxta noſtros Platonicos.

ter meras habent chimæras. Sic vocarunt mundum animal, & quo quiſq; mirabiliora fingere potuit, tanto melior Platonicus eſſe videtur. Spiritum illi fingebant in illo magno animali eſſe, qui prænunciaret futura, &c.

Prognoſticum 4.

Altera cauſa, ob quam præuiſioni præuidere debet Medicus, qui videt. Alteram præuiſionis vtilitatem perſequitur. Cum enim Medicus ægri affectionem exquiſita ratione agnoſcit, tum quoſdam prohibebit affectus, qui eam affectionem ſiue morbū ſequi ſolebant, quorundam etiam prohibere magnitudinem: denique omnibus rectius proſpicere & præcauere poterit, ſicut bonus gubernator per futuram tempeſtatem, &c. quod ſit futurum in morbo, rectius poterit occurrere. Ad quam reddimur apti, vt faciamus facienda, illi ſtudendum Medico. At præuiſio talis eſt, Ergo ei incumbere debet, &c. Ex arte non poſſumus methodo morbum curare, niſi eum cognoſcamus. Quomodo enim contrarium illi opponemus, ſi eum non cognouerimus qualis ſit? Ex præſentibus autem ſymptomatis, quomodo morbus ſit ſolitus moueri & deſinere, &c. colligimus. Ideoq; nihil omittimus ad eius curationē pertinens. Vide librum de Arte Hippoc. Morbus aliquando anteuertit naturæ actionem, vt ſunt peſſimi, deinde æger ſæpe tardius Medicum aduocat. 3. Denique morbus ſuapte natura curabilis nō eſt, vt cancer in aliquo loco, vbi excindi nequit propter vaſa aut ſimiles circumſtantias, &c. Si hæc duo non ſunt, tum Medicus quem cognoſcit morbum, eum etiam curare valet, ſi curabilis ſit, ſi videat nimium moueri, occurret in tempore, & retardabit, &c. Vt poſſimus igitur omnia facere, quæ morbus poſtulat, ad ſui ſublationem, debemus ſtudere præuiſioni: Cum 1. nimis magna copia humorum eſt. 2. cum turgent humores, cum acquieſcere debent. 3. Cum cauſa morbi in loco valde nobili colligitur. 4. Cum cauſa morbi habet aut acquirit malignitatem quandam. Ob hæc enim 4. augentur morbi. Si veniamus ad peſtilentem, non curabimus vt alium, ſed extinguemus malignam illam putredinem, quando magna humorum copia adeſt, & per conſequens ſuffocationis periculum, mox ea ſecta tollemus. Ex præſentibus cum futura præuideamus, rectius curare poterimus. Fieri non poteſt.] Si poteſt recte curare futura præuidens, cur non omnes curat? Reſpondeo: Curabit cum eſt curabilis morbus. Cum autem quidam ſint incurabiles, opus eſt prædictione, qua non eſſet opus, ſi omnes poſſent curari. Prædicendo oſtendemus, nos non in culpa eſſe, & nos tutabimur ab infamia. Molietur] id eſt, inſtituet curationem, & faciet quæ debet, &c. Recte inſtituere curationem & ſanare differunt. Sæpe enim recte agendo tum finem nō conſequimur, aliâs poſſemus reddere homines immortales. Aliæ etiam artem artes non ſemper aſſequũtur finem, vt Orator non ſemper perſuadebit. Medici eſt ea facere, quæ ad morbi ſanationem pertinent, ſi modo ſanabilis eſt. Si fieri poſſet, vt omnes ægros ſanaremus, melius eſſet ſanationi ſoli ſtudere, quam prædictioni, &c.

Cur Medici non ſemper ægrotos reſtituant, &c.

Cur aliquādo morbi augeantur

Præuiſio futurorū ad curationem vtilis.

Ad obiectionem reſponſio.

Officiū & finis differunt.

Prognoſticum 5.

[illegible] &c.

In hoc textu exponit, cur moriantur quidam ſine culpa Medicorum, deinde quæ ſpectare debeamus in ſingulis morbis, & deniq; tertiam prædictionis vtilitatem oſtendit: nempe quod Medicus præuidendo & prædicendo, ægros morituros aut conualituros eſſe, omnem hac ratione calumniam vitabit, nec ſuſpectus eſſe poterit, quod forte ſua culpa interierit æger, &c. Aliqui non vocant Medicos, niſi cum æger deploratus eſt. Alii vocant, ſed antequam exploretur morbus, qui arte expugnetur, moritur æger, hi moriuntur ob Medicum non citius vocatum. Si in tempore morbum cognouiſſet, remedio morbi incrementum inhibuiſſet. Tales ſua ipſorum, non Medicorum culpa intereũt. oportet conſiderare quantum ſuperet morbus naturam & quatenus; ſic enim prædicemus an ſit victurus nec ne, ſi error non committatur. de hoc vide expoſit. Aphoriſ. 1. lib. καὶ τὰ ἔξωθεν. Nihil debemus nunciare ægrotantibus, quod ipſis diſplicere poſſit, nec quicquam facere quod ipſis diſpliceat, aut eos offendat, quantum eius fieri poteſt. Hic vnus eſt modus e quo ex præſentibus futurum, nempe mortem aut ſalutem præuidere poſſumus. Deinde videndum an morbus quid diuini habeat. Videtur namq; morbus aliquando non ita malus, & tum paulo poſt æger moritur, nam in morbo hoc erat quiddam diuini, nec poſſumus id e corporis ſignis, ſed aliunde obſeruare. Vide Gale. de diuino. Veteres diſſenſerunt. 1. intellexerunt quidam iram Deorum, & ſic exponunt, conſiderare oportet, an hic morbus a Deo ſit inflictus. Refutat Gal. non eſſe dicendum quod nobis videtur, ſed an authoris mentis hoc ſit conſentaneum. At Hippoc. nullibi facit cauſam morborum, iram Deorum. Nos ſcimus prouenire ab ira diuina, ob peccatum. Quoſdā Deus immittit mirabili modo, quoſdam naturali progreſſu. Per peccatum redditi ſumus idonei, vt ægro-

Alia cautela obſeruanda in prædicēdo

Diuinum hoc loco quid ſit iuxta veteres.

Refutatio ex Galeno.

Cur homines morbis obnoxii ſint.

ægrotare poſſimus. Medicus Chriſtianus hortari debet ægrum, vt precibus a Deo ſanitatem ſibi reſtitui petat. Vide Eccleſiaſticum. Primo ad Deum, deinde ad Medicum eſt fugiendum, vt morbus pellatur. Alii expoſuerunt eſſe amoris quendam affectum, quidam enim laborarunt ob amorem, qui nullis remediis curari potuerũt; talem affectum vocarũt diuinum quiddam eſſe. Vide hiſtoriam de Antiochi filio, qui Stratonicen amabat. Galenus etiam hãc expoſitionem reiicit. Vide lib. ad Poſthumum, vbi Gal. ſic cladem curauit. Alii per diuinum dies decretorios aut eorum cauſam intellexerunt, quod etiam improbat Gal. Hippoc. ait obſeruandũ eſſe diuinũ. Loquimur ergo de eo, quod alicubi tradidit; at in ſuis legitimis lib. nihil dixit quod huc transferri poſſit; niſi cælum ſit terra, quem diuinum vocant. Per vocem hanc, diuinum, inquit Galenus, ambientis conditionem intellexit, velut in 3. Aphoriſ. cum ait: ſi hiems aquilonia fuerit, ver vero auſtrale, febres acutæ fient, æſtate lippitudines, dyſenteriæ, inprimis mulieribus, & iis qui natura ſunt humidiores, &c. Vide lib. 1. Epidem. Comment. 2. textu 4. Cælum erat procelloſum & ſubnubilum, vocat ibi cælum aërem, & alibi ſemper diuinum vocat cælum. Monet ergo non tantum conſiderandam morbi magnitudinem, ſed etiam an aliquid peculiare & malignum habeat ab aere. Hoc anno pleriq; pleuritici, quarto die ſunt mortui, licet ab initio non magni facerent morbum, qui videbatur eſſe paruus. Videndum an morbus habeat occultam etiam malignitatem, temporis aut aëris, & victus ratione contractam. Diuinum] id eſt, ob præcedentem aëris & victus rationem, e quibus malignitas talis humoribus inducta eſt, &c.

Medici Chriſtiani officium.
2. Alia expoſitio.
3.
Diuinum iuxta Gal. hoc loco quid ſit.
Scopus Hippocratis, & admonitio bona.

Prognoſticum 8.

Poſt præfationem ad rem ipſam deuenit, oſtendens, qua ratione certis e ſignis præludeamus, & prædicere poſſimus. Ordinem ſeruat fere ſic, vt a notiſſimis incipiat, & in proœmio eorum quæ in medicatura fiunt, hunc ordinem ſibi ipſi præſcripſit. Diagnoſi] eſt autem diagnoſis præſentium cognitio, teſte Gal. in Comment. lib. 1. prognoſt. textu quinto, &c. prognoſi & therapeuſi conſtat Medicina. Legendum ergo illud proœmium. Nihil notius facie, ab eius ergo ſignis, quæ Gal. teſte vim obtinent maximam, &c. incipit. Eſt autem optimus ægri vultus, quando ſui ſimilimus permanet: vel, facies eſt optima, quando ei, quæ, ſecũdum naturam eſt, ſimilima exiſtit. Et viciſſim deterrimus, ſi quam maxime in contraria vertatur. Ea vero, quæ inter optimum etiam deterrimum habentur, ſic iudicabis. Si propiora ſint optimo, meliora, ſi deterrimo propiora, peiora exiſtunt. Media autem inter hæc ſunt, quæ pari vtrinq; interuallo, ab extremis diſtant. Optimum ergo eum vultum eſſe dixit, qui ſit ei ſimilimus, qui ſecundum naturam ſit. Peſſimum vero vultum per ſigna & iudicia peculiaria, nobis iam in ſequentibus exponet. Facies occurrit Medico primum, deinde omnes facile ipſius mutationes obſeruantur, nulla etiã pars corporis eſt, in qua facilius appareant morbi & ſigna certius morborum & animi, quam in facie. Nam facies conſtat e valde diſſimilibus partibus. 1. carneis, oſſeis, neruoſis, &c. Ergo incidunt in eam magnæ variationes, in tanta diuerſitate cutis, 2. pertenuis eſt, & vicina cerebro. Cutis faciei videtur nihil eſſe aliud, quam caro quædam exiccata, & multo magis coniungitur carni, quam in aliis partibus. Quod ergo carnoſæ partes patiuntur facilius, apparet in facie, quam in aliis partibus quibus cutis non ita continua eſt, ſicut in facie. Mutatione ergo in carne facta, mox apparet in cute faciei: hæc enim continua eſt, cum ſubiectis faciei muſculis, & præterea valde tenuis exiſtit, quæ cutis quędam eſſe videtur: ſicut ſanguis & ſpiritus affecti ſunt, ita apparent in facie, ſi ſanguis ſit multo ſpiritu plenus, non tantum ruber, ſed viuidus & floridus eſt calor faciei. In aliis partibus in quibus cutis quaſi diuiſa eſt a carnibus, nõ ita facile translucet ſanguinis ſpiritus, aut aliorum humorum color, ſicut in facie, cuius cutis quaſi cum carne continua eſſe videtur. Affectum cerebri tanto facilius facies iudicare poteſt, quanto ei eſt propinquior, ideo hoc videmus ſæpius euenire. Trium principum viſcerum ſeu partium affectus, maxime in facie apparent: in dignotione & prognoſi, ſemper a notiſſimis eſt incipiendum. Secundum naturam] communem hominum. Monet Hippoc. non ſolum de communi natura omnium, ſed etiam de propria vnius cuiuſq; præcepta artis conſideranda eſſe. Et cum ait partes affectas conſiderandas eſſe, cum beneualentibus, non alienas intueri debemus, ſed eius ipſius, qui affectus eſt, &c. Si prius nouiſſemus qualis ægri fuiſſet facies, antequam ægrotaret, non neceſſum eſſet ad cõmunem naturam confugere. Quidam fere ſemper pallent, alii rubent, alius acutum naſum habet, quem videntes, putamus ob morbum adeo acuminatum eſſe. Cognoſcendum ergo hoc ab aſtantibus, & ſi non poſſimus, demum ad communem naturam confugiendum erit.

Cur in facie morborum ſigna facile appareant.
Faciei cutis.
Quãdo color ſit viuidus in facie.
Cur humo rationes nõ etiã in aliis partib. non ita facile appareant.
Cur facies cerebri affectus indicare poſſit.
Quãdo ad naturã cõmunem deueniendum ſit.

Prognoſticum 9.

Oſtendit ſigna ſex, per quæ facies maxime diſſimilis faciei ſani hominis deſcribitur. Meminiſſe debemus eorum, quæ prius dicta ſunt, nempe debere nos faciem conferre ægroti cum ea qualem ſanitatis tempore, qui iam ægrotat, habebat. Nam ſi natura ſimus ſit illi naſus, aut aquilinus, vel ſubrectus; tũ etiam in morbo acutior erit, nec ita malũ tunc eſt ſignum, ac ſi morbi in hæc acuties ei inducta eſſet, &c. quæ partim viſa, partim tacta deprehendimus. πρόσωπον νεκρῶδες deſcribitur cadauerosum, nam hæc in nuper mortuis videntur ſigna. Vocant faciem Hippocraticam, in qua hæc omnia, aut pleraq; apparent.

Facies Hippocratica.

Eſt periculoſa, quia lõgiſſime diſtat a ſani hominis facie. Epilogiſtica ratio eſt, cum e notis, vulgo per experientiam quid concludimus: analogiſmus, cum e meris cauſis effectum cõcludimus. Eſt Epilogiſmus ſi dicam, facies cadauerosa & periculoſa, nam experientia id docuit; cum veras cauſas indicamus, analogiſmus eſt. Vide 4. de ratione victus acutorum Com. 44. Iten. lib. de ſectis. cap. 5. & cap. 1. lib. de Compoſ. ſecuodum genera.

Analogiſmus & Epilogiſmus differunt.

Analogiſmus inquit Galenus, quæ ab euidente auſpicatur, rei obſcuræ cognitionem faciens: Epilogiſmus veto communis ratio eſt, & omnium aſſenſu conſpecta, aut conceſſa. De Epilogiſmo & analogiſmo manifeſtum diſcrimen.

Manifeſtum diſcrimen.

Epilogiſmus fere τὸ ὅτι, analogiſmus τὸ διότι adfert.

Cur naſus fiat acutus

Acutus naſus in extremitate gracilentus exiſtit, quod ita accidit, cum partes oſſeæ carnoſæ humidiores inter ſe coniunctæ ſunt, tunc oſſeæ ob ſubſtantiam terreſtrem perſiſtunt, carnoſæ autem humidioreſq; facile conſumuntur, & in ſeipſas ob ſpiritus & ſanguinis inopiam collabuntur. Hic ergo affectus, ſub oculos cadens, cognitu facilimus eſt. Ait autem Gal. accidere hæc ſymptomata, vel ob aliquã cauſam conſumentem partes animalium carnoſas, vel ob debilitatem natiui caloris, qui nequeat in extremas corporis partes extendi, ſed in viſceribus ſolis adbuc exiguus ſuperſit, &c.

Alia cauſa

Humores quãdo abſumantur.

Naſus acutus eſt ob exteouationem & abſumptiooem a calore factam, aut ob refrigerationem: hæc fieri ſigna dicit Gal. alibi etiam ob humorum tenuitatem, ob expultricis robur, & retentricis debilitatem, &c. ablutio humorum fit, cum ſint valde tenues, quod fit, cum calor magnus eſt, & pori ſunt aperti, quod fit in temperie calida.

Extenuatio duplex.

Naſus acutus quidem dicet.

Extenuatio duplex eſt, critica & ſymptomatica, quæ vi morbi fit, non ob externam cauſam; nunc enim non adeo mala eſt, & de hac loquimur hoc loco. Naſus acutus indicat conſumptionem magnam ſpiritus & ſanguinis ſub cute hærentium. Collabitur ergo naſus, nam omnes partes quaſi tument ob ſanguinis & ſpiritus ad ea loca concurſum.

Cadauera cur appareant collapſa

Omnia ergo cadauera, niſi colligantur in iis per accidens flatus, ſunt magis collapſa, quam alia corpora. Naſus aliâs in extrema parte parum babet carnoſi, ſed cartilagine tegitur, & tuto ſpiritus aut calor exſiccatur in ea parte, & abſumuntur; relinquitur ergo pallidus & acutus naſus: ſic etiam in quibuſdam cum iraſcuntur valde, & ſanguis & ſpiritus abeunt, boc fit.

Cur aliquãdo ipſæ carnes abſumantur.

Si iam cum ſpiritu & ſanguine etiam carnes abſumantur in aliqua parte ſicut fit, quando collabuntur tempora, cum ſubiecti muſculi iam ſunt abſumpti, &c. adhuc maius malum eſt: nam calor eſt magnus hoc efficiens, & pauci ſuperſunt ſpiritus, alii in abſumptorum locum noui ſuccedunt, aut partes nequcunt attrahete ſanguinem & ſpiritus, quia nimium ſunt refrigeratæ, & debilitatæ, aut quia ob debilitatem nimiam noui ſpiritus generari nequeunt, quod etiam malum indicium eſt, aut natiuus calor non ſe extendere poteſt ad eas partes, ſed ſere circa principes partes tantum eſt collectus.

Oculi cauus quid ſignificent.

Oculorum concauitas unde fiat.

In oculis multum ſpiritus & humoris eſt: caui oculi fiunt ob eaſdem cauſas, ob quas naſus acuitur, & quanto humidiores molliores que ipſo naſo exiſtunt, tanto etiam promptius cauari poſſunt, &c. Cum ergo celeriter abſumuntur, & oon reſtituuntur intra diem, cum non affluunt ſpiritus, vt prius, aut oculus iis non nutritur ſicut ptius; prius penntiam ſpirituum eſſe, alteram non nutriri partem indicat, ſimul ac etiam abſumuntur maius malnm erit. Oculi profuodius iacent, cum bumores & ſpiritus a quibus turgebant, aſſumpti ſunt calore maligno vt ſic maneant excanati.

Aures cur frigeſiant ſtacutis

Aures cur inuertantur, contorqueantur, & breuiores fiant.

Aures ſi quis ab initio morbi frigidas babeat, quod tactu cognoſcendum eſt, & videantur breuiores redditæ, & auricula retrorſum flecti. (λόβος eſt, quicquid in aliqua re vel ſummum vel infimum eſt, & dicitur ἀπὸ τοῦ λαμβάνειν, quod eam partem apptcheodimus cum manum admouemus) tum ſpiritu & ſanguine priuatur auris, & quia aures ſunt cartilaginoſæ, facile in iis iſta abſumuntur, cumque ſunt exiccatæ, facile contrahnntur, vt coriacia omnia.

Collapſa tempora.

Fouea in facie

Collapſa tempora] quia ſpiritus & ſanguis cum carne, quæ inuiſibilis eſt, conſumitur. Hi muſculi habent neruos, & fibras nerueas ſatiſque multum ſanguinem, & cum conſumuntur, fiunt velut foueæ qnædam, nam a calore conſumente quaſi euaporant; in auribus, quæ ſunt natura frigidæ, etiam frigus apparet.

Cutis dura & tenſa.

Reſpõſ ad obiectionẽ.

Cutis dura] Cotia enim exſiccata fiunt tenſa, contracta, dura, &c. Si quis ergo rugoſam frontem habeat, tum vnum e ſignis iſtis habet. In Epidemiis dicitur, omnem extenuationem primum laxare, poſtea tendere; cum quæ io cute ſunt vacuantur, cutis fit laxior, vt cum ex vtre quod effunditur: cum autem ſolida pars vacuatur, contrahitur ſicut corium admotum igni, cũ recreatur pars, impletur ſanguine. Si ergo extenuatio laxat, quomodo fiet

tenſio hæc primis diebus febris. Cutis circa frontē.] Conſumptio magna adeſt, cum inſtar corii fit contenta cutis, quæ tantum vacuant, primò laxant, cum autem & natiua humiditas præſertim lenta etiam abſumitur, tum pars dureſcit. Contrarium facit nutritio. Hic loquitur de vacuatione fiente per vehementem caliditatem, abſumentem ſpiritus & ſanguinem, quibus partes nutriuntur. ariditas in cauſa eſt, vt indureſcat & contenta fiat. 6. ſignum. De colore periculoſiſſima hæc ſunt ſigna, ſi ab initio morbi appareant. Si autem longo tempore homo ægrotet, non mirum eſt corpus conſumi, parteſq; extremas refrigerari. Sicut ergo per morbos diuturnos talem fieri multum non adeo periculoſum eſt, ita nec in terra frigida, hieme, ſenectute. Nam per morbum minus periclitantur ii, quorum naturæ morbus conuenit, aut ætati aut tempori, &c. quam quibus non competit aliqua ex his ratione, &c. Aphoriſ. libro ſecundo, aphoriſmo 34. &c. etiam in prædictionibus extat hæc ſententia, tum pallidum & nigrum tantum ibi poſuit colorem, hic autem quatuor. Si non in particula, ſed in tota facie appareat talis color, tum eſt periculoſiſſimum. Pallidus eſt miſtum quid ex albo & flauo ſeu viridi. Hic autem eſt liuidus. eſt autem color quidam ex virore palleſcens. fit ob extinctionem caloris natiui, præſertim in iis, in quibus multa bilis eſt. Niger] in iis qui ſuffocantur, aut in quib. ſanguis ſurſum fertur aliqua occaſione, tū vere ſinunt effluere per carnes ſanguinem, qui refrigeratus ibi talem efficit colorem. Talis etiam apparet in contuſione color, eadem de cauſa, quia effluxit & refrigeratus eſt. fere in omnibus cadaueribus hic color apparet, non tamē ſemper in facie, ſed in aliis partibus, vocant Todtflecken. Cum partes fere ſunt mortuæ, tum ſanguis facile effluit e vaſis, & ſic fit iſte color. Prout ſanguis eſt craſſus, pituitoſus vel aliter affectus, magis vel minus nigreſcit, aliquando plumbeus eum plus habet candidi, ſeu pituitæ modo liuens, &c. oritur ab extinctione natiui caloris:

Quæſtio vel potius obiectio. Cur cutis durā circa frontem. Reſponſio. De qua vacuatione loquatur. Pallidus color. Color liuidus cur fiat. Cur niger color in facie ſæpe appareat, & in aliis corporis partib. Todfleckē. Plumbeus color in facie quando appareat.

Prognoſticum II.

Sunt peſſima, ſi non fiant ab externa cauſa: tum enim non adeo malum hoc eſt. Addit ergo hic quandam correctionem: Si ſigna ob morbi vim adſint, tum moritur æger, ſin ob alias cauſas hæc in facie oriantur, tum periculoſa quidem ſunt: præſtaret quidem ne tales propter cauſas, vires ab initio morbi exſolui, minus tum periculum eſt, ſi ob externam cauſam, quam ſi morbi malignitate hæc fiant. Τοῖσιν ἄλλοις σημείοισι. non tamen ſtatim ex iis pronunciandum eſt, moriturum eſſe ægrum. Recenſet tales cauſas externas tres. Cum igitur iſta apparent, tum oportet etiam alia ſigna conſiderare, vt vrinas, ſputum, pulſum, &c. e quibus intelligemus, vel ob vigilias, alui profluuium, & quamlibet immoderatam vacuationem, vel ob inediam hæc apparere: quædam naturæ tales ſunt, quæ niſi habeant cibum ſuo tempore, tales maculæ apparent; Vide lib. 10. Methodi exemplum de iuuene, qui cibandus erat in ipſa acceſſione. Qui habent multum flauæ bilis, in his apparent talia, niſi cibentur ſuo tempore. Vide 2. de victus acutorum. Fit etiam in iis, in quorum ventriculo multa flaua acris bilis colligitur & regurgitat ex hepate in ventriculum, nec in Inteſtinum deiicitur. nam mordetur orificium ventriculi, inducitur facile leipothomia, oculi cauantur, aliquādo etiam Epilepſia quidam corripiuntur. Cauſa huius mali non eſt naturæ proſtratio & ablatio, ſicut in iis, in quibus ob morbi vim iſta apparent, ideo non ſunt tam periculoſa: quia autem fieri poteſt, vt ambo concurrant, nempe externa aliqua cauſa, corpus afficiens, tum etiam febris conſumens, diſtinctio ſumenda erit e ſubſequente die & nocte. Si enim a ſola exteriore cauſa, talis vultus exiterit: correctionem per diem & noctem adipiſcetur: ſi vero ex affectione in corpore, tum vel talis permanebit, aut etiam deterior euadet, &c. ἐν ἡμέρῃ τε καὶ νυκτὶ, &c.] Cum a tali cauſa fiunt, ob ſubitam iram, vehementem terrorem, nam in his ſpiritus tantum retrahuntur, & paulo poſt iterum in partes effunduntur; radix enim facultatum, Ipſum cor adhuc firmum eſt. At in alteris abſumuntur, & noui reparari non poſſunt, ob debilitatem virtutis. Cum primum alui profluuium ſiſtetur intra 24. horas, calor ſeſe colligere poterit. Cum ob morbos iſta ſymptomata fiunt, tum natiuus calor admodum debilitatus eſt, & cor non poteſt regenerare alios ſpiritus, quibus, nutriantur partes. Natura ergo non ſufficit concoquendo morbo, vt extremas partes reficiat, nouoſq; ſpiritus & ſanguinem ad eas mittat. Si ſputa bona appareant, & naturæ victoria in excrementis, tum iudicabimus nō ob morbi vim, ſed propter aliud quiddam accidiſſe: prouidebimus ergo ori ventriculi aliquādo. Vide cap. 6. lib. 12. Methodi, vbi iubet vinum generoſum exhibere. Vna die nocteque] cum dabis cibum, ſi vigilarit, obſeruabis poſt 24. horas, quæ ſit facta mutatio. Si ſint iſta ſigna propter externas cauſas, omnino fiet mutatio intra 24. horas, &c. quod ſi non mutetur facies, aut ſigna etiam deteriora fiant, tum vi morbi hæc ſigna adſunt. Semper tamen malum eſt priuari ſanguine & ſpiritibus, etiam in ſanis, &c. peſſimum vero cum ob morbum. Si enim primis tribus diebus potuit hactenus abſumere ſpiritus & ſanguinem, tum non tantum ſupereſt ro-

Limitatio prius traditorum. Deſcripta faciei externa cauſa, &c. Cur quidā inediā ferre nequeant. Ratio. ἀρχῇ.

... ſuum. Morbi principiũ apud Medicos. τῶν ἀνθρώπων, &c. Quænam interrogari non debeant. Quomodo interrogãdi ſint ægroti. Talium acutorum morborũ exempla. In quibus oculi aliquãdo promineant.

boris, vt vincere poſſit morbum, morietur ergo. Inter initia] ſcilicet acuti morbi; initium intelligit hic tres primos dies. Aliâs principium 1. pro inſultu morbi primo, & eſt breuiſſimum. 2. pro primis tribus diebus. 3. totum tempus quo cauſa morbi adhuc eſt cruda. Hic in ſecundo ſignificato intelligi debet. Neq; ex aliis ſignis] ſi non poſſis inſpicere lotium non exceptum, & alia, &c. tum debes interrogare: quæ ergo poſſumus ex arte cognoſcere, non debemus interrogare, ſic enim videbimur mirabiles, ſi ſciamus quæ ægri ſciunt, nobis dicta non eſſe. Omnia ergo ſunt conſideranda, ſputum, pulſus, &c. & ea tantum interroganda, quæ ex arte cognoſci nequeunt, tũ dicemus, tu vel vomuiſti, aut vigilaſti, prout nobis videbitur ad hoc vel illud eſſe pronus æger, tum autem ſe libentius committet Medico, ſi talia audiat: ſi non poſſimus diſtincte dicere, quæremus, num vigilaſti, aut non comediſti? &c. Si per indicia cognoſcamus alia, non eſt neceſſum interrogare: aut ſi interrogemus, ſic interrogabimus, ac ſi vidiſſemus. Summa eſt, vt cum ad ægrum venis, faciem contemplare, ſi ſit ſimilis ſani faciei, ſalubris eſt morbus, & indicat robur naturæ: ſi autem ſint iſta ſigna ſimilia peſſimæ faciei, non ſtatim dices eum eſſe moriturum, ſed prius perpendes, quam ob cauſam acciderunt hæc ſymptomata, ſin autem vi morbi fiunt, eum moriturum dices: nam natiuus calor non coquet morbum, qui primis ſtatim diebus ita naturam diſtinxit, vt extremas partes non amplius poſſit viuificare. Certe ſi morbus non potuit ab integro adhuc calore vinci, quomodo crudus a debilitato vincetur? Tales ſunt 1. febres ſyncopales, de quibus 12. Methodi. & 2. colliquantes 3. peſtilentes. 4. quæ ex putredine æruginoſæ bilis oriuntur. 5. quæ ex certo motu atræ bilis oriuntur. Rariſſime enim ex his euadunt. qui ob certum motum huius bilis febricitant, nõ tamen in omnibus apparent hæc ſigna, nam qui ſuffocantur, in iis potius oculi prominent, cum ſanguis aliqua occaſione ſurſum vergit. Vide 12. Methodi cap. 6. vbi dicit de tenuitate humorum, & imbecillitate retentricis & robore expultricis, &c. Accidunt hæc ſymptomata, cũ debilitas retentricis, humores tenuiores, & febris calida adſunt: nam ob debilitatem ſubinde aliquid inuiſibiliter excernitur, maxime cum humores admodum attenuati ſunt. Deinde febris facile conſumit tenuiſſimos humores, ac minus tenues extenuat, & ſic fere numquam vacuatio deſinit, ſicut in continuis vomitionibus, alui fluoribus, & immodicis vrinæ vacuationibus. Talis autem vultus dicta de cauſa nequit eſſe in morbo pituitoſo, vel etiam in plethorico, propter exuberantiam ſanguinis, &c. potius enim inopiam in corpore eſſe oportet, ac dolorem & curas præcedere, e quibus humor colligitur bilioſus, &c.

Prognoſticum 12.

Quomodo chronici finiantur. Cur talis vultus in morbo longiore ſit minus periculoſus.

Quid facies ſignificet ab initio dictum eſt, ſi non ob externam cauſam talis facta ſit; iubet autem expectare ſpatium vnius diei, ſublatis illis externis cauſis. Vide part. 2. textu 35. lib. 6. Epid. dicit malam faciem, etiam in paruo morbo eſſe pernicioſam, diligenter ergo ſemper inſpicienda erit. longi morbi nõ mutantur ſubito, oportet autẽ præuidere Medicum quæ cito fiũt, & præter expectationem. Mutationes autem in chronicis etiam obſeruari poſſunt ab ægrotantibus & aſtantibus. Morbi etiam longi raro finiuntur per criſin, ſed per diſſolutionem cauſæ, ergo non prædicere in iis poſſumus criſin. In longis etiam multifariam erratur, ergo prædictio futura eſſet fallax. De acutis vide lib. 2. Aphoriſ. 19. denique alibi docuit, quæ ſint in chronicis exſpectanda; ideo de his in præſenti opere non agit. Tamen præcipit in acutis, & non dicit eam talem efficere faciem. Reſp. nõ percipit in acutis, niſi cum vires poſſunt ferre, aliâs minime quæritur cur poſt triduum ſit minus mala hæc facies, ſi ſit ob externam cauſam, quam ſi ab initio ob morbi vim. Si quis decubuerit per dies plures, & ſuccedat talis facies, videtur quod minus poſſit recolligere æger, quam ſi ab initio fuiſſet. Reſp. quæ paulatim fiunt, facilius corrigi poſſunt, quã quę ſubito. Si ergo talis facies primo fiat, robuſtis adhuc viribus, oſtẽdit morbum naturæ eſſe moleſtiſſimum, ſi progreſſu temporis fiat, indicatur quidem morbum malum eſſe, non attamen tantum, vt ſubito talem faciem inducere potuerit. Hic aliam addit limitationem ad priores. Vide Comment. 1. Prorrheticorum de morbi principio. πεπαρταῖς videtur abundare, nam in aliis non legitur. De quibus dictum] an ob cauſam aliquam manifeſtam, hæc facies talis facta ſit. Dixit quid facies ſignificet talis primis diebus tribus: nunc exponit, ſi poſt tertium diem appareat, quid agendum ſit. Hic oportet cautum eſſe Medicum, & quærere num aliquid præceſſerit, poſtea reliqua ſigna conſideranda erũt. Si ob vigilias & mœſticiam talis facta ſit facies, nõ ſtatim dicendum, talem eſſe moriturum. Si primis diebus fiat vi morbi, poſſumus dicere abſq; aliis ſignis, eum moriturũ eſſe. Si enim ab initio ſtatim morbi malignitate talis facies inducta fuit, tum nõ tantum roboris ſupereſt, vt natura iam debilitata morbum vincere poſſit, quæ ſtatim ſub initio ab eodem proſtrata fuit, &c. Cum ergo ab initio adhuc valens morbo reſiſtere non potuit, quomodo nunc debilitata eundem concoquet & ſuperabit? ſi poſt triduum non ſimpliciter licebit. Per principium

hic

hic manifeſte intelligit tres primos dies Hippoc. ſi antiquior morbus fuerit triduano, i. ſi exceſſerit principium. Inquirenda ſunt] num aliqua cauſa externa adfuerit: ſi adfuerit, non adeo metuendum, ſi non adfuerit, nec tum quidem pronunciare quid poterimus, niſi prius etiam alia ſigna conſideremus, e quibus ſingulis, quid certi colligamus.

περὶ τούτων &c.

Prognoſticum 13.

Αὐγλῶ non ἀρχλῶ legendum. ſi lucem fugiant, &c. ἀλαμπεῦς, ſine ſpiritu & luciditate. Recitat 11. ſigna in oculis apparentia, quorum cauſæ adferendæ, nam epilogiſticam vnam poſſumus adferre, quia hæ ſunt, præter et contra naturam.

Epilogiſtica omniū ratio vel cauſa.

Fuga lucis] ſi fiat morbi ratione, non ob externam cauſam, omnes ſani cum intuentur magnam lucem, tum debilitantur oculi; quid ergo in ſanis ob nimium ſplendorem accidit, id in ægris ob paruā lucem ēt accidit. Loquitur ergo de iis, qui conſuetum lumen intueri etiam nequeunt, vt eſt lux diei per feneſtras ingrediens. Si fumus mordet oculos, aut adeſſet ophthalmia, alia eſſet ratio, &c. Pernicioſum] nam tale accidens fit ob cerebrum inflammatum, aut ob ſpiritus viſorii penuriam, aut ob magnam debilitatem viſiuæ facultatis, &c. Magna lux diſſipat ſpiritum viſorium: indicatur ergo nihil aut parum ſupereſſe iſtius ſpiritus, cum diſſipatur a paruo lumine, eſt ergo inſitus ſpiritus, & facultas multum debilitata. Non ſimul accidunt omnia, nam caui oculi, & tumentes, quorum amborum hic facit mentionem, nūquam ſimul ſunt. Laehrymas fundat] non ob dolorem aut mœſticiam, ſed ratione morbi acuti, & præter volūtatem, malum eſt. Vide 52. lib. 4. Aphoriſ. vbi dicitur, quid ſit præter voluntatem. Legitur etiam in 4. Epidem. ἀκουσίως pro ἀπροαιρέτως. Malum] nam indicant retentricem non poſſe conuertere nutrimentum in ſubſtantiam oculi, ſed calorem colliquantem id conuertere in vaporem, & humiditatem: vel ſignificant imbecillitatem ſummam retentricis, quæ retinere nequit, quæ retinere ſolita erat. In morituris fere poſtremo retētrix interit, hinc ſudores, laehrymæ & ſimilia. 3. Peruerſio] vnius aut vtriuſque oculi verſus naſum, vel ſurſum, &c. cum non ſeruant ſuum naturalem, in quamcumq; partem trahatur malum; nam cum fit hoc, neceſſe eſt muſculum oculi, a quo prius mouebatur, conuulſum, aut reſolutum eſſe. cum enim contrahitur, contrahit eum in eam partem: cum reſoluitur, tum ab altero muſculo in oppoſitam partem trahitur. Habet autem oculus ſex muſculos, a quibus mouetur, & adhuc eſt ſeptimus, qui facit, vt oculum fixum habere poſſimus. Cum hoc fit per morbum in oculis, indicatur cerebrum valde laborare, & per conſequens ægrum valde periclitari. Habetur etiam in Epidem. 3, & Coacis prædictionibus. Item. 11. & 12. 1. Prorrheticorum. 4. Si alter fiat minor oculus, tum indicat, extingui facultatem, a qua regitur, Gal. teſte. Si fit minor: minor fit ob abſumptionem ſpirituum & humorum, & reſiccationem eorum, quod tum fit, cum coctrix valde debilitata eſt, cum in altero tantum fit, nam vel vna tantum pars cerebri eſt male affecta, aut reſpondet affectioni alicuius in eodem latere viſceris, vt ſi lien maligne afficiatur, tum ſiniſter oculus magis extenuatur: nam natura non poteſt vtrique oculo ob intus grauiter laborans ſuccurrere: viſceris ergo, quod traxerit in conſenſum cerebrum affectum, alter oculus indicat. Quæ ipſis] ſi nō tantū venulæ, ſed intermedia ſpatia ſint rubra. (Rubedo Gal. teſte, præcipue copiam aut inflammationem ſignificat) cum ſanguis valde attenuatus eſt, inflammatus exſudat in oculum, aut cum cerebrum eſt inflammatum, aut cum adeſt copia, quæ exprimitur per venulas, & per rubedinem efficit, tum etiam malum eſt; ſi enim ſulæ venulæ ſunt rubræ, non adeo malum, cum ſæpe fiat fere in cerebri quauis inflammatione, niſi cætera etiam ſigna adſint. Venæ] In oculorum albo, ſi nigricent & liueſcant. Fere in omnibus febribus venæ rubent, & fit cum vapor in caput aſcendit, præſertim in calidioribus, ſi ſanguis in venulis liueſcat & nigreſcat, denotat refrigerationem ſanguinis, nigredo tum etiam a vehementiſſimo calore fieri poteſt, ſed raro: nam ſæpius extinctionem caloris quam nimiam vſtionem ſignificat. Cum ergo extra venulas non effunditur, ſed in iis liueſcit, tum extinctus calor eſt in oculo vicino cerebro: Ergo & cerebrum patitur ob extinctum calorem, non ergo faciet officium, & homo ſuffocabitur licet nihil aliud adeſſet mali. Λήμη eſt excrementum quiddam ex alimento ſemicocto, & poſtea corrupto, eſt album factum, non aſſimilatum, & ſimile quiddam puri. hæc ſordes eſt ſanguinis imperfecta tranſmutatio, quo oculus debebat nutriri, qualis fere picis eſt. generatur etiam e materia lachrymarum in oculis cocta, & apparet præſertim in iis, qui cerebrū habent plenū, vt in pueris dormiētibus, cū per oculos exire velut mucus nequit, coquitur a calore calido, in iis ſæpe qui humidius cerebrum habēt, tales ſordes apparent. Malum] Indicatur debilitas alteratricis, ſeu coctionis. Eſt ſimilis materia eius ſordibus, quæ dentibus adnaſcuntur. Vide lib. 4. Aphoriſ. 53. non poteſt alimentum coquere adfluens, licet perparum adfluat, præſertim in acutis fere ſemper, nam ſanguis ille alimentarius a calore præternaturali magna ex parte abſumitur, ſi certe multū afflueret, oculi

Limitatio.
Signum 1.
Triplex ratio.
Lucis maioris effectus.
2.
Limitatio.
Ratio duplex.
Lachrymæ & ſudores in morituris vnde.
3.
Oculorum peruerſio vnde fiat.
Oculorum peruerſio quid indicet.
4.
Oculi cur fiant minores.
Cur alter aliquando tantū minor fiat.
5.
Oculus alter minor factus quid ſignificet.
6.
Nigredo contrariis a cauſis fieri poteſt.
7.
Ratio.
A ſigno manifeſto.
Manifeſta ratio.

8. non eſſent cani: Cum ergo quod pauculum eſt, nequit coquere, eſt valde debilis. Oculi inſtabiles.] Qui continuo ſunt in motu, & in omnes partes mouentur. Malum.] Nam indicat motum ſpiritus valde in cerebro, & ideo periculum ſecuturi delirii, vel quia acuti vapores pungunt muſculos oculorum, ideoque mouentur. Cum autem tales vapores adſunt in cerebro, magnum eſt etiam incendium, & per conſequens magna adeſt cauſa, cum cerebrum ſit alias frigidum, & etiam magnum periculum. Vide Prorrhet. Comment. 2. textu 11. Et in Coacis prædicti. vbi etiam fixorum oculorum facit mentionem, fiunt ob conuulſionem, cum omnes tenduntur muſculi, & ille affectus tetano reſpondet proportione. loquitur de oculis, non de palpebris, quæ ſi moueantur, ſæpe non ita malum. Vocant hunc affectum equum, ſi tamen per morbum accidat, & non natura ſeu conſuetudine, etiam non bonum: cum autem

Oculi cur ſint inſtabiles. Quid portendant. Oculi cur aliquando ſunt fixi.

9. muſculi mouentur, qui adhærent duræ membranæ cerebri, peſſimum. Promineant.] Ob laxatos muſculos & neruos viſorios, quaſi extra ſuum locum procidunt; aut quia ſpiritus & vapores ingruentes, eum quaſi extrudunt, ſic tamen ſi fiat, vt in vomitu & ſimilibus motibus, tum non æque malum eſt, ac ſi ob relaxationem muſculorum & neruorum id accideret, cum ſunt reſoluti muſculi, tum fit hic affectus a capite, ergo cerebrum valde affectum eſt. Valde cauti.] id eſt, magis quam per initia eſſe viderentur; tum oportet maximam adeſſe copiam ſanguinis & ſpirituum, quæ non facile poterit induci, primo triduo. Ὄφεις αὐγμῶσι.] Apud Gal. non loquitur hæc verba, ergo ab aliquo inſerta videntur. hæc ſententia etiam in

Oculi cur tumeant & promineant. Limitatio. Oculi immentia cur mali.

10 Prorrheticis Coacis prædicti. ponitur non lucentes: Ergo extinctus calor natiuus & ſpiritus. Die Augen ſeindt jhme ſchon gebrochen. ἀλαμπεῖς, quales alibi ἀμαυρούς, id eſt, cum in oculis nihil apparet. 2. Cum oculus eſt turbidus, fit oculus ἀμαυρός. obſcuritas vna eſt ſine oculi turbatione, alia, quando eſt oculus turbatus; cum eſt hebetatio ſine turbatione oculi, & apparitione, tum ſpiritus valde imminutus eſt: ſi ſit turbatus, tamen etiam ſpiritus abeſt, & vapor miſtus in oculis. Extrema ergo debilitas adeſt, nam miſta & corrupta ſunt omnia. Sic calor in vrina extinctus ſi ſit, tum fit turbida, & nihil ſuo loco, vt prius manet, ſed omnia diffluunt, ſine ordine, & ſunt confuſa. Sic etiam in oculo. In acuto autem hæc fieri nequeunt ſine magna cerebri affectione. Totius faciei.] Etiam in Aphoriſmis de hac re dictum. quatuor ſunt mali, croceus, liuidus, plumbeus, niger. In quibus flaua bilis abundat non in venis faciei, non facile fit plumbeus, &c.

Oculi ob ſcuri cur fiant. Obſcuritas oculorum quid portendat. Oculi quando in acutis obſcurentur.

Prognoſticum 14.

Ὑπόφασιν dicemus apparitionem potius quam ſuſpectionem. Cum ægri non exacte claudunt oculos inter dormiendum, videtur oculus retrahi ad ſuperiora, & ſic album apparet. Malum] vix enim per diem vnum, aut alterum ſuperuiuunt. Hoc ſignum poſtremo recitatur, quia non occurrunt talia, niſi cum ſunt vicini morti, eſt ergo ex iis quæ poſtremo accidũt. Sic cum ob externam cauſam fiat hoc accidens, non ita malum, vt ſi ob famem, triſtitiam, purgationem, &c. aut ob aliquod potens ſpiritum & ſanguinem abſumere, hæc etiam poſſunt facere vt non claudantur oculi. Si nihil horum ſit, quærendum, an ſic ſit ſolitus dormire: ſi ſic adſueuerit, non metuendum nobis eſt, ſin ob cauſam externam ſic dormiat, tunc ea oblata rurſum claudere poterit, & non ſimpliciter eſt letiferum. Si vi morbi acciderit, valde letale eſt, nam vix e millibus vnus euadit. Vide Aphoriſ. 52. lib. textu, ſignificat humores & ſpiritus partium prope conſumptos, aut neruos & palpebras, per retractionem neruorum, eſſe conuulſos. Palpebræ enim ſunt valde membranoſæ, & cum contrahuntur, non poſſunt facile iterum claudi: cum ergo eſt exſiciccata aut conuulſa palpebra, nõ amplius ſicut prius extendi poteſt, inferior moueri nequit, tanto deterius ſignum eſt, ſi oculus ſemiclauſus moueatur, tum enim conuulſionis ſignum eſt manifeſtiſſimum, &c. Præter ſuperiora ſigna, etiam dormientium oculos inſpicere debemus, an ſcilicet palpebræ non ſunt clauſæ. Significat ſummam cerebri debilitatem & conuulſionem muſculorum oculos claudentium. Vide Gal. explicat. Imbecillitas ſi in cauſa eſt iuxta alios, potius clauderetur oculus. Nerui qui veniunt ad muſculos oculorum, conuelluntur. Si non conuelluntur ad ſuperiora, etiam apparet aliquid deinde, quod raro fit: poſſit forte etiã adſcribi reſolutioni, & dicere poſſumus facultatem adeo imbecillam eſſe, vt nequeat amplius oculum contrahere, aut claudere palpebram. In hominibus ſanis multi muſculi agunt per quietem, qui non agunt per vigilias, ideo clauduntur oculi. Sic muſculi agunt etiam in reſpiratione, & multi ſtrident dentibus, quod non fit niſi muſculi contrahantur aliqui. Deinde alii quieſcunt; & hoc fit tantum in quibuſdam, non in omnibus, &c. Siue ſit in cauſa ſiccitas neruorum, aut debilitas facultatis, ſequitur cerebrum valde debilitatum & ægrum morti vicinum eſſe.

Prognoſtici huius Limitatio. Alia cauſa. Ob externam cauſam. Quando accidens hoc ſit letale. Oculi ſemiclauſi quid indicent.

Prognoſticum 15.

Duo adhuc faciei ſigna adfert, poſtea tranſit ad alia, quæ in corpore apparent. Peruertantur] id eſt, curua fiant. Vide 49. lib. 4. Aphoriſmorum, &c. vbi fere repetitur aut legitur eadem ſententia. Reliquorum ſignorum] Si hæc ſola adſunt, vix poterimus certi quid pronunciare, ſi autem alia etiam, præſertim ſigna deteriora iam enumerata adſint, & in Aphoriſmis etiam expoſita, tum pronũciare poterimus quid certi, nempe moriturum eſſe, ſi palpebram viderimus conuulſam, diſtortam, &c.] Hactenus de conuulſis partibus nunc ſi labra] iam de reſolutis ſi iacent ore aperto, ſuſpenſum, id eſt, reſolutum. candicantia, id eſt, pallida, &c. Peruerſio, inquit, iſtarum partium, quandam intentionem conuulſiuam, aut reſolutionem in altero muſculorum, oculos claudentium, iuxta Gal. indicat, &c. Si hæ partes conuellantur non vi morbi, ſed ex affectu in facie exiſtente, nõ ita periculoſum. Cum autem vi morbi, indicant cerebrum ita grauiter affectum eſſe, vt hæ partes conuellantur ideo moriturum ægrum, præſertim ſi virium debilitas adſit. Idem per reſolutionem ob morbos acutos, ſignificatur, nam etiam hic vehemens affectio eſt in cerebro. Frigida & pallida] nam calor natiuus ita imbecillus & extinctus eſt, vt nequeat amplius ad labia extendi, mors ergo vicina. Pallor indicat recurſum ſanguinis intro ad cor, vt in iis qui animi deliquium patiuntur, frigent, terreſiunt, &c. ſi præterea frigida ſint, iam extreme malum eſt. Oportet videre an ſint conſtantia ſigna, quod ſpatio 24. horarum diſcimus, & deinde an cum aliis coniuncta ſint. In animi deliquio, iſte pallor non ita conſtans eſt, & fit viribus nondum ita proſtratis. His addi poteſt collapſio genarum, ſeu buccæ, nam vtrinq; velut foueæ fiunt, ob conſumptionem ſpirituum & ſanguinis. Ab initio & toto morbi decurſu, hæc obſeruabimus apud ægrotos, &c. cum facies Hippoc. apparet ab initio, indicat morbum dominari naturæ, certum ergo naturam eſſe victam, licet ad hoc aliquantulum reſiſtat. Si progreſſu morbi hoc fiat, non ita oſtendit naturam eſſe victam, nam qui diu ægrotat, & parum edit, neceſſario conſumitur, & præſertim in acutis, humorũ, ſpirituum, carnium, conſumptio fit, licet cor & viſcera non adeo patiantur. Poſſunt ergo reſtitui calores externarum partium, calore cordis nondum paſſo. Cum ergo fit progreſſu temporis talis facies, non eſt certum vtrum fiat ob cordis calorem patientem, an vero fiat hæc conſumptio, ſicut in ſanis febrientibus. Si ab initio ſic fiat, fit ob vitiatum cordis calorem, eo enim ſaluo, non poſſent intra triduum externæ partes tantopere conſumi, quia monuit ſupra eſſe obſeruanda ſigna totius corporis; poſt ergo faciei ſigna, nunc alia percurrit.

Labrum ſuſpẽſum.
Limitatio.
Pallor quid indicet & cur fiat.
Cur aliquando in facie fouea quadã appareant.
In morbi progreſſu.
Calor externarum partium quando reſtitui poſſit.
Quot & quæ ſigna obſeruãda in ægrotis.

Prognoſticum 16.

Semper obſeruandum, ne ſit ob externam cauſam, aut æger ita conſueuerit decumbere: quærendum igitur, an vigilia, vacuatio præceſſerit, vel nũ ſic ſit ſolitus dormire. Sæpe enim ad dormientes venimus, quidam pueri vix dormiunt niſi proni, alii ſupini, quia ſic adſueuerunt, alii ob laterum dolorem, & ne tũ quidem adeo periculoſum. Oportet obſeruare ægrum cubantem, qui cubet in latus alterum. (Non enim debet cubare ſupinus, tamquam reſolutus: cum enim incumbit laterum alteri, tum neceſſario adeſt robur facultatis per muſculos corpus firmantis, cum vero in latus cubare, aut vertere ſe nequit, ob ſummam debilitatem fere id fit, quod certe malum eſt:) & brachia aut crura paulum reduxerit. Si ſic eum deprchendere bonum eſt, ſic enim & ſani cubant: probat epilogiſtice, caput habent parum inflexum ad anteriora, & non dormiunt plane diſtentis cruribus, ſpina etiam mediocriter debet eſſe inflexa, inſtar medii arcus. Nam muſculi fere omnes nõ ſint prorſus tenſi, nec omnino laxi, & membra quæ poſſunt diſtendi & contrahi, habent muſculos oppoſitos, qui muſculus contrahitur, alterum laxat, ſic vt digiti non debent eſſe extenſi in palmam, & nõ contracti in pugnum, tum enim muſculi habẽt medio modo. Poteſt etiam hoc de aliis corporis partibus dici, non tantum de brachiis & digitis. Ideo addit debere totũ corpus molliter poſitum eſſe, id eſt, mediam figuram in decubitu ſeruare, vt nec extentum ſit nimis, vel contractum. Corpora enim molliora non ſolent intendi, &c. vt videmus in pedibus: hæc figura omnes muſculos in medio habet, i. nec prorſus tenſos, nec plane cõtractos muſculos & incuruatos, iſta cubandi forma habet, & omnium in hac minime defatigatur vlla pars, quæ hoc modo cubat. Media muſculorum forma numquam aut tardiſſime fatigatur, i. pars omnium minime fatigatur, cum eiuſdem partis muſculi, nec ſunt tenſi, nec incuruati nimis. Qui ſupinus iacet, non poteſt mediam retinere figuram omnium muſculorum, ſunt enim dorſi muſculi extenti, & fere etiam pedes, & per conſequens laborant, & fatigantur. Laudabilis eſt ſitus in latus alterutrum, &c. primo incumbendum in dextrum latus, poſtea in ſiniſtrum: mane autem antequam ſurgas, rurſus cubandum in dextrum, vt quidem voluerunt veteres, ſed iſta non videntur magni momenti, nam incubandum potius ei lateri, ſicut adſueuimus, quod interrogandum erit ex æ-

Quandò prauus decubitus nõ ſit periculoſus.
Decubitus laudabilis qui ſit.
Decubitus talis cur ſit bonus.
Decubitus ſupinus cur malus.
Improbatio.

groto. Reductis.] Vt non habeant extremam figuram, & ſint nimium extenſæ, decubitus in ægris ſimilis ſanorum eſt optimus. Eſt ratio epilogiſtica: analogiſtica eſt, quia muſculi non defatigantur, & indicio eſt morbum non cogere muſculos vt ſuam mutent figuram, tales valde vrgentur a morbo, cum muſculi ſuam mutant figuram naturalem.

Prognoſticum 17.

Decubitum bonum deſcripſit, quia non omoes ſciunt, quomodo ſani debeant cubare, non deſcripſit faciem ſanam, quia hoc vltro notum eſt, quæ ſit recta facies non autem qui bonus ſit decubitus. Vide lib. 1. de motu muſculorum, vbi multa ſunt ad decubitum pertinentia.

Supini decubitus incommoda.

Corpus fere ſua ſponte ſupinum iacet, ſed tamen in tali decubitu muſculi extenduntur, qui aliâs non extendebantur, & grauior aut difficilior eſt etiam reſpiratio. Si quis non poſſit in latus cubare, tum muſculi ita ſunt debilitati, & facultas motrix, vt non poſſint corporis molem in latere continere, &c. Nũc docet, qui ſint vitioſi decubitus. ὑπτιον ἀγαθόν.] Hoc dicit comparatione præcedentis decubitus, qui erat optimus. Minus.] Nam muſculi multi hic ſunt extenſi, habentes extremam figuram, qui contrahunt ſunt muſculi contracti, qui extendunt extenſi, deinde reſpirationem difficiliorem facit hic decubitus, nam in latere facilius reſpiratio fit. Vide 6. ſectione, problem. 4. dicit optimum decubitum adiuuare coctionem Ariſtoteles.

Cur ægroti in latere aliquando cubare nequeant.

Decubitus quatenus hoc loco cõſideretur.

Hippocrates hic conſiderat decubitum, non quatenus alia adiuuet, ſed quatenus ſit ſignum bonum vel malum: docere quibus ſignis debeamus de morborum euentu indicare, quoad decubitum. Et hic quaſi medius decubitus inter bonnm prius dictum, & ſimpliciter malum.

Prognoſticum 18.

Nunc deſcribit malum: ſi æger ſe nequeat ſupra puluinar continere, cum ſupinus iacet, ſed decidat a puluinari ad pedes, vt aſtantes eum rurſum attollere in puluinar cogantur. Malum.]

Ratio.

Nam animalis facultas eſt debilitata, ergo pondus corporis deorſum deſcendit, præſertim ſi puluinar aliquando ſit altius. Animalis facultas,] i. corpus regens, velut extincta & abolita eſt. Virtus muſculorum, non poteſt corpus in altiore loco continere, ſicut prius. Virtus ergo cerebri multum debilitata eſt.

Limitatio.

Semper addendum, niſi hoc modo dormire conſueuerint, quidam enim etiam ſani, quoties fere ſe vertunt, ſemper nonnihil decidunt. προπετής: procliuus, vt a parte altiore decidat. Grauius.] Illo quod proxime præceſſit, & erat quaſi medius decubitus. Ergo hic iam eſt malus, licet nondum peſſimus.

Cauſa morbifica qua facultate ſequatur.

Naturalis facultas coquit cauſas morborum, cum ergo illa adhuc valet, nondum deſperabimus.

Prognoſticum 19.

Quid ſigna hic propoſita denotent.

Sequitur iam ſignnm aliud, quod non tantum animalis, ſed etiam naturalis facultas vitiatæ, vt plurimum talis ἀλυσμὸς, fit ob os ventriculi male affectum, vt ſupra patuit, eo autem non bene habente, coctio perfici recte non poterit, & intemperiei ſignum eſt. Indicant vitium facultatis coquentis, nempe alteratricis, forte alteratrix ideo conſtare nequit, quia malignum quid in corporis profundo latet. Quomodo iſtam inquietudinem & alia mala pariat. Certe ore ventriculi male affecto, quæ coctio bene percipi poſſit, neutiquam video. Pedes nudos.]

Limitatio.

Si valde calidos protendat, vt ſæpe fit in febribus, vt refrigerentur nihil admodum mali, vt ſi humor calidus ad pedes decubuerit, ob quod fiat, non idcirco totum corpus laborat: ſi autem non ſint calidi, & tamen æger ferre nequit vt ſint tecti, tum adeſt malignitas occulta in morbo, quæ inquietos & anxios reddit ægrotos, & iſta nudatio etiam obeſt, non prodeſt, malignitas iſta in profundo corporis latet, & ſequentibus. ἄλη.]

ἀλυσμὸς in ægris quid indicet.

Cum ſubinde mutat ſitum decubitus, & manus, ceruicem & crura non more ſolito componit, ſed has partes inæqualiter diſpergit, ſedet, iacet, &c. Cum æger hoc affectu corrumpitur, ſignificat affectum interne latentem, ob quem ægri quieſcere nequeunt. Fit hæc inquietudo ſæpe ob affectum os ventriculi, cum roditur ab acribus, aut aliâs præter naturam afficitur, vel talis inquietatio etiam ob virium debilitatem fit, teſte Gal. nam quomodocumque cubent, in omni fere poſitu & loco ſe grauari ſentiunt, ideoque alium ſemper quærunt. Inquietudo ſemper oritur a cauſa maligna, præſertim exiſtente in parte nobili.

Prognoſticum 20.

Per χανὸν, tantum malum, quod iam ſequitur adhuc prius, & plane mortale eſt, ſi ſemper hiet aut hians dormiat. Dormimus hiantes. 1. ob conſuetudinem. 2. ob narium obſtructionem,

onem, cum enim reſpiratio ſit neceſſaria, natura omnia facit, vt eam conſeruet, ſi nulla ratione fieri queat. 3. quia multi opus habent vehemente reſpiratione, vt ebrii, & aliâs bene repleti, qui vix poſſunt per nares ſibi ſatis aëris attrahere: quod ſi autem hiſce de cauſis iam dictis, hians dormiat, id non valde periculoſum eſt. 4. ob reſolutionem claudentium os muſculorum, qui ſuum ortum a parte ſuperiorum faucium habent. Etſi talem ob cauſam æger hians dormiat, vel vigilet, magno periculo tamen labium grauitate ſua deorſum fertur, cum muſculi ſunt reſoluti. Si etiam inter vigilandum os apertum habeat, adhuc peius eſt. Vide Veſal. lib. 2. cap. 15. item cap. 5. & 20. lib. 11. de vſu partium, de his muſculis. Si muſculi hi adeo ſunt debilitati, qui adeo ſunt vicini cerebro, totum corpus eſt valde debile. Si os inter dormiendum ſemper hiet, tum hoc debilitatis eſt ſignum muſculorum os claudentium, ſicut paulo ante etiam de muſculis palpebras committentibus eſt expoſitum. Vide ſupra expoſit. prog. 14. lib. 1. Labrum inferius non eſt graue, & tamen non poteſt ſeorſum trahi, ideo maxima debilitas adeſt. Decubitus talis etiam ſitim facit, nam ingreſſus aëris continuus exſiccat fauces, quod non fit ſi per nares attrahantur: deinde linguam fœdat, deſiccat, indurat, & in febricitantibus etiam denigrat: nam fuligo non poteſt vacuari per os commode ob aërem ſemper occurrentem, & ſordes adhærentes dentibus, ita exſiccant præſertim æſtate, vt vix amplius abradi poſſint. Fere tales ſurgunt, & os eluunt, quia amaror & limus quidam ſentitur. Poteſt etiam quid mali ingredi in tali cubitu, vt pulueres ex tabulatis, cineres, culices, &c. Cuidam adoleſcēti ebrio ingreſſus eſt ſerpens ſic dormienti, qui poſtea cruciatu magno eſt extinctus: fumus etiam ex lumine in conclaui apud ægrotos ingreditur in tali decubitu ſi os hiet, ac ſæpe excrementa in pectore, quæ per ſpiritum reiiciuntur, denigrat. Debet os mediocriter apertum eſſe, ſic vt nihil ſubingredi poſſit, ratione muſculi, vt habeant aut retineant figuram mediam: præſtat tamen omnino claudi, ne quid ingrediatur, plus enim hinc boni quam mali, e clauſione, & diſtenſione muſculorum oritur. Loquitur de eo oris hiatu in quo muſculi contrahentes ſunt reſoluti, aut aperientes os ſunt conuulſi. κεχηνότα a verbo χαίνειν, quod eſt hiare, dehiſcere, &c. Vnde κεχηνότες pro ſtultis habentur, qui ore aperto ſemper incedunt, &c. Si æger aliquando ſic dormiat, non ſtatim mortale, nam & ſanis aliquando accidit. Si vero ſemper, cum adeſt debilitas tanta, vt muſculi ſint reſoluti. Per vigilias muſculi plus facultatis recipiunt, quam inter dormiendum, debebant tamen adhuc tot vires remanere inter dormiendum, vt os claudi poſſit: ſed vix tantum ſupereſt virium, vt mandibula per vigilias claudi poſſit, clauditur tamen, ſed difficulter per vigilias, &c.

Ore hiante cur dormiamus ſæpe.

Aphoriſmi ratio.

Talis decubitus incōmoda.

Aliud incommodū.

De quali oris hiatu loquatur.

Cur os raro hiet in vigilantib.

Prognoſticum 21.

Crura reducta.] Verſus nates. ξυγκεκαμμένα, a σὺν & κάμπτω, quod eſt flecto, curuo. διαπεπλεγμένα. πλέκω, quaſi perplexa, vel circumplexa. Eſt decubitus valde deformis, itaque vix vllus ſic cubat, niſi deliret, indicat ergo fere delirium. Eſt figura violenta, ideo nō diu durat, inſanit ergo, qui & adeo turpem & difficilem decubitum eligit.

Prognoſticum 22.

In omnibus addendum, ſi non ſit adſuetus. Super ventrem.] Vel delirium ſignificat, vel dolorem circa ventrem. Eſt eiuſmodi decubitus, qualem prudens nunquam eligit, inſani ergo tantum eligunt, præſentibus præſertim medicis aut aliis honeſtis viris. Eſt quaſi affectus quidam animi delirantis, aut ſi citra dolorem ventris & delirium quis ita cubet aliis præſentibus, magnam impudentiam talis decubitus denotat. Interrogatus ergo, an conſueuerit ita cubare pronus, aut doleat ne venter, ſi non propter hæc ita decumbat, iam fere dicere poſſumus delirium adeſſe.

Prognoſticum 23.

Poſtremum eſt de decubitu, quod poſſet etiam inter ſequentia numerari. Acuto laborans circa ſcutum, cupit quieſcere: ſi cupiat erectus ſedere, quid magni ſubeſt, a quo ad id impellitur, vt ſedeat erectus, vel inquietatio, vel anguſtia in reſpiratione, vel delirium vt neſciat quid agat: quidam erecti ſedent, vt facilius reſpirent. Si autem hoc malum eſt in leuibus, multo magis eſt in acutis morbis. Morbus enim debilitat, & deinde ſymptomata. Omnes peripneumonici ſunt orthopnoici, nam ignis in pulmone eſt: ergo non poteſt commode ſatis dilatari & ſatis attrahi aëris, & hoc ſymptoma eſt proprium peripneumoniæ. Videtur ergo non adeo periculoſum eſſe, ſicut in aliis morbis acutis, quibus non proprie ita competit. Gal. aliter legit ob cauſam dictam, nempe in peripneumonia eſſe malū, vt in acutis peſſimum, nam

Cur peripneumonici difficulter ſpirent.

vocat morbum vehementiſſimum eſſe, quibus alienum ſymptoma hoc acciderit, delirium indicat. Caput cum corde laborare, ſi ob difficultatem reſpirationis in ſtatu ſurgat æger, tum peius eſt aliis acutis, quam peripneumonia, in qua illud frequenter accidit: ſi autem ob aliam cauſam, &c. ſcilicet æger in ſtatu ſurgat, vt ob minimam inquietudinem, delirium, tum peſſimum eſt in peripneumonia, nam oſtendit omnino extremam eſſe, & plane incurabilem. nam in peripneumonia nunquam tanta eſt inquietatio aut delirium, ptopter quod æger ſurgat in ſtatu, niſi omnino ſumma ſit, &c.

Prognoſticum 24.

Stridor dentium quid.

Furor quādo fiat.

Cerebri valde debilitatis nota.

Cur tales conuulſiones raro interdiu accidant.

Qui nimis muſculi cōuulſioni ſint inprimis obnoxii.

Cur quidā ſemper oculis nictent.

Si audias dentibus ſtridentem, præter conſuetudinem, prædices delirii & mortis periculum eſſe, plerumque enim vtrumque fieri ſolet per acutos morbos. Si autem iam deliret & ſtridat dentibus, dices mortem proximam eſſe. Stridor dentium ſpecies quædam conuulſionis, conuelluntur enim temporales & auſpicatorii muſculi, ex vno latere magis, quam altero. Perinde ac ſi duo aſpera ligna inter ſe affricarentur. Stridor eſt affectus conuulſorum muſculorum os claudentium, ergo ipſorum cerebrum eſt affectum, & humores ſeu vapores adſunt acres cerebrum ſtimulantes vt talem motum efficiat. Si humor ſit valde calidus, etiam furor fit, vel cum tales vapores incidunt in membranas caſque pugnantes vellicant, cum voluntas non amplius muſculos regit, ſed inuitis nobis ſic contrahuntur, & tunc extrema adeſt cerebri imbecillitas. Fit præcipue ſomni tempore, &c. Quilibet aliquam partem cæteris debiliorem habet, ſi ergo muſculi maſticatorii ſunt debiliores, qualibet e cauſa facile læduntur, præſertim per ſomnum, quando vapores multi ſunt in capite, hos muſculos mordentes, quos iſto motu conantur excutere. Per vigilias diſcutiuntur, per ſomnum ſere retinentur, & cum ſæpe hi muſculi ſunt natura debiliores, eos ferre nequeunt. Cerebrum male affectum primo eos muſculos conuellit, qui conuelli præ cæteris aptiores ſunt, hinc ſæpe in morituris digitus conuellitur non facies, quia natura erat digitus debilior, & minus potuit cæteris iniuriæ reſiſtere. Sic etiam ſanitatis tempore aliam partem, alia citius lædi videmus. Hinc alii podagra, alii non laborant, alii etiam peculiaribus morbis laborant, ob cauſam nunc expoſitam. Quidam ſemper nictant, quia eorum muſculi claudentes oculum ſunt debiliores, ergo defatigantur cito, & quicqnid influit moleſti mox ſentiunt & mouentur, quod in aliis non fit: quod eſt nictatio in oculis, eſt ſtridor dentium in dentibus. Furorem.] Nam indicat valde inflammatum cerebrum, coniunguntur ergo membranæ; & fit inſania, quando ſtridor eſt cum delirio iam annectus eſt morbus, nec ſignificat delirium, ſed iam adeſt. Sridor ſine delirio ſuturū delirium indicat, & etiam periculum mortis. Stridor vero cum delirio, mortem iam vicinam eſſe denunciat.

Prognoſticum 25.

Vlcerum conſideratio.

Quidam acutis laborantes vlcera habent vel in morbo vel ante morbum nata, quæ diligenter Medico ſunt obſeruanda. Ex vlceris temperie & calore præuidebimus an ſit æger moriturus, an vero morbus nondum eo proceſſerit. Non moritur niſi vlcus ſit factum aridum, liuidum, pallens, denudandum ergo vlcus & mutationes obſeruandæ a medico. Deinde vlcus non amittit colorem natiuum, cum nondum vicina mors eſt, l cet morbus ſit inſanabilis ſua natura. Sciemus ergo licet moriturus ſit, nondum tamen moriturum, niſi vlcus decolor ſit. ob debilitatem coctricis vlcus non nutritur, nihil enim amplius adfluit: ideoque fit ſiccius, & ob extinctionem caloris inducitur hic color vlceri. Non vnus tantum color in vlcere apparebit ſemper, ſed pro diuerſitate humorum in corpore, & pro læſionis modo ac menſura, color mutabitur, &c. Alii putant ob affluxum humorum ad vlcus id fieri videtur, tum ob caloris extinctionem potius fieri. dicit enim ſi ſit ſiccum, ergo non adfluunt multi humores, alias non ſiccum eſſet, ſicut Hippoc. eſſe ponit.

Prognoſticum 26.

Motus quorundam ægrorum. Subiectū laborātis affectu.

Nulla in verbis obſcuritas eſt, & ſententia ſatis clara, cauſa autem obſcura. Oportet Medicum etiam inquirere & conſiderare, quid æger agat manibus, nam quaſi venatur ſæpe, alias abigunt velut muſcas, nonnunquam de pariete quid legūt aut vellunt. Floccos, &c.] Talia ſunt in valde acutis mala in vehemente capitis dolore, peripneumonia, phrenitide. Affecta hic eſt phantaſia & oculi; cum enim velut pulex apparet, putat æger ante oculos, quod eſt in oculo. Si conſtet mens, non facile ſaciet hoc æger, affecti ergo ſunt oculi & ipſa ratiocinatio. Vide cap. 1. lib. 4. de locis affectis, interdum ob ipſum caput affectum, alias ob crudi-

tatem

ratem ventriculi, cum vapores craſſi & obſcuri influunt in oculum, & quieſcunt in humore vitreo, tum impediunt traiectionem aliarũ imaginum. Si macula ſit in ſpeculo, tum omnes imagines talem habebunt. ita ſi nõ ſit vapor pellucidus in humore vitreo, aut albugineo, cum id fit. Si vapor ſit mobilis, videtur eſſe extra oculum quod eſt in oculo, vt pulices, muſcæ, ideo conantur abſtergere. quæ intra nos ſunt non videmus, niſi inter ipſam rem, & cryſtalloidem humorem ſit ſpacium, nihil tale poteſt conſpici, nam oportet vt illuminetur medium. Vapores multi aut e pulmonibus, aut cerebro, vt in phrenitide, pulmonia & febri acuta, &c. & tale efficiunt ſimulachrum, cum ſcilicet purus in oculis humor exhalationem illam cõcipit, ab eaque inficitur, defioitur ad oculos. Etiam ſanis hominibus aliquando talia apparent, hypochymata vocanr. (Hypochyma, cum inter corneum & cryſtallinum humorem quid eſt, vel concreſcit, quod viſionem impedit) cum vapor circa corneam tale quid apparet, quando autem humor penetrat per oculum, cum ob ventriculi cruditatem vapores ſecundum membranas aſcendunt in oculum, tum paſſio eſt ſimilis hypochymati. quocunq; vertitur oculus, etiam eo vertitur obſcuritas illa. obſcura in medio oculi macula facit vt res videantur perforatæ, in ſuffuſione iam ipſi tunicæ eſt aliquid affixum. Qui ſani ſunt mente non ſæpe faciunt: cum enim bis aut ter fruſtra abſterſerunt, deſiſtunt cogitantes eſſe in oculo. Solem intuens, poſtea videtur ſibi binos orbes, aut alias res videre. Ægrotantes autem, cum non tantum oculus eſt affectus, ſed etiam phantaſia, cum nõ poſſiot intelligere vitium eſſe in oculo, ſemper pergunt. Malum.] Nam vehementis in capite morbi ſignum eſt, qui iam corruperit rationem, aut ſaltem phantaſiam. Non eſſet ita malum, ſi æger intelligeret eſſe in oculo. Parte autem principali tantopere laborante, valde periculoſum eſt, præſertim in morbo acuto. quidam tamen ſunt liberati, ſicut Galenus ipſe & Theophilus Medicus. Phaotaſiæ munus eſt, rem quamuis ab altera diſtinguere, & differt a ratiooe. Poteſt ratio lædi, manente integra phantaſia. Acutis.] Valde aut in ardentibus, &c. Siue e ſtragulis & veſtibus feſtucas tollat, aut in aëre quid veoetur. Læſi vehementer cerebri ſigna ſunt, & ob vehementem æſtum, magnam copiam vaporis, qui in caput attollitur, cum dolore capitis fiunt. His ergo indicatur temperiem cerebri iam a dolore corruptam eſſe. Si enim temperamentum eius nõ ſit læſum, tum non apparebunt, quia humor vſtus melancholicus in iis maniam facit. Hæc apud ægros ſunt obſeruanda. Gal. dixit ſpiritum animalem lucidum effluere, & aërem mutare, qui poſtea extenſus ad rem viſam, ſit inſtrumentum ipſius viſionis. Si quis funem extentum longum in altera extremitate tangat, in omnibus partibus ſentitur: ita ſentit cerebrum, quando attingit illud aër illuminatus. Sed non ita habet. Si ſic fieret, non fieret viſio per tenebras, tum in remotiore loco ignis eſt, tum enim licet aër circa oculum non illuminatus ſit, tamen videmus illum ignem. Anima in cerebro ſeotit per neruos, inſtrumenta ſenſuum proprie non ſentiunt. Vide 8. de vſu part. cap. 7. & lib. 7. de Placit. Hipp. & Plat. cap. 6. & 8. item in priocipio lib. 13. Methodi, vbi dicit requiri duo ad ſenſionem; inſtrumenti ſenſus alterationem, & eius perceptionem, quæ fit in cerebro, non in inſtrumento; inter dormiendum non percipit anima: nam facultas aoimalis eſt magis contracta. Si quis meditabundus alterum videat, neſcit ſe illum vidiſſe licet imago in oculũ aut ſonus io aurem ſit ingreſſus: qua percipiat cerebrum, vix dici aut intelligi poteſt, cum quæ dicta ſunt de fune extento vtcumq; rem explicant, quæ alias obſcuriſſima eſt. Anima quaſi extenta per neruos ioſtrumenta ſenſuum & quaſi percipit alterationes. Sic ad motum duo ſunt neceſſaria, imaginatio concipit, voluntas imperat, vt fiat motus. Cum igitur oculus eſt alteratus, & anima non intelligit eum eſſe alteratum, delirat æger, &c.

Affectus huius cauſa.

Hypochymata.

Paſſio hypochymati ſimilis.

Cur ægrotantes abſtergant ſæpe.

Phantaſiæ munus.

Symptoma tum horũ cauſa.

Quid ea portendãt.

Prognoſticum 29.

Nunc e reſpiratione docet ſigna capere de ſalute ægroti. Pulſus autem ignorauit aut neglexit, ideo præcipue agit de reſpiratione paſſim. Reſpiratio habet vſum, vt ſeruet innatum cordis calorem, ea ergo læſa pro læſionis modo periculum eſt. Vide lib. de vſu reſpirationis, & lib. 3. de læſa reſpiratione, vbi hic locus explicatur. Non recenſet omnes difficultates accidentes inter reſpirandum, ſed eas tantum, quæ certam habent ſignificationem, nam alias in Aphoriſmis, in 4. & 6. Epidem. & in 2. de victus rat. acutorum perſecutus eſt. Si recte diſtinguantur, raro fallunt. Reſpiratio eſt motus compoſitus ex inſpiratione & exſpiratione, per quem refocillatur vitalis calor: niſi enim ille ſit cum hoc permiſtus, non amplius eſt vitalis, per exſpirationem ſuligo educitur, ne calidior circa cor hærens, calorem vitalem extinguat. Tres ſunt eius cauſæ, neceſſitas, inſtrumentum, & facultas, neceſſitas quia reparatio caloris requiritur, ſunt autem inſtrumenta, nares, palatum, &c. quæ mouentur, cum adeſt facultas illæſa: non reſpiramus niſi quatenus neceſſitas vrget, ideo modo raram, modo magnam, frequentem, celerem reſpirationem habemus, prout maiore vel minore reſpiratione opus ha

Reſpirationis vſus.

Exſpirationis vtilitas.

Reſpiratio cur aliquãdo impediatur.

bet vitalis calor. Cum facultas eſt læſa & cerebrum non facit officium, tum vel intercipiuur reſpirario, licet neceſſitas adſit, vt in magna apoplexia; aut impedite reſpiramus. Vide librum de difficultate reſpirationis.

Spirationis tres præcipua differentia.

Differentiæ tres ſunt primæ ſpirationis. 1. magna cui opponitur parua. 2. frequens, crebra denſa, cui rara. 3. celeris, cui tarda. Magnitudo in ſpacio motus, cum arteria multum dilatatur in pulſu, pectus in inſpiratione. In frequentia & raritate ſpectamus tempus, quod inter finem expirationis, & principium inſpirationis intercedit. Cum enim minima quies inter exſpirationis finem & principium inſpirationis datur, tum illa quies inter expirationem & inſpirationē intercedit celeritate. Ambulans dicitur facere paſſus magnos, cum plurimum diducit pedes, & hoc poteſt facere tarde aut celeriter: hæc enim in tempore conſiderantur; frequens cū ſæpe pedes promouet, frequenter incedit, qui quam primum ad mutum ſeu alium terminum ſibi præfixum peruenit, nulla interpoſita mora, ſtatim regreditur, ſiue iam celeriter vel tarde incedat, paruos aut magnos paſſus faciens. Contra incedit rarius, qui aliquamdiu iuxta terminum ad quem quieſcit. Si celerrime iter faciat, & indeſinenter, nullaq; interpoſita mora, erit celeris & frequens: ſi in fine aliquamdiu quieſcat & tarde procedat, tardas ſimul & raras faciunt ambulationes & non ſæpe repetit: frequentia in crebra repetitione conſideratur, raritas cū interponitur magna quies. Celeritas & tarditas in ipſo motu quo ſcilicet ipſa fit exſpiratio & inſpiratio, conſiderātur. Frequēs.] Creber, denſus, cum nulla interpoſita quiete, poſt vnam reſpirationem, mox alia repetitur. Eſt autem nuncium quoddam reſpirationis.

Spiratio frequens in acutis quid denotet. Cur fiat.

Si ergo in morbo acuto frequenter quis reſpiret, ſignificat hoc dolorem aliquem adeſſe, alias non ſic reſpirabit, nam vna reſpiratione magna tanū attrahit, quantum ſufficit refrigerationi cordis aliquamdiu. Si autem ob dolorem non poſſit pectus diduci ſatis, vt attrahatur, fit inde frequens. Dolor eſt in partibus, quæ mouentur in reſpiratione, aut in iis quæ eas attingunt, vt ſi tumeret lien, hepar, &c. hæ dolentes frequentiorem efficiūt reſpirationem, non enim tantum deducimus pectus, quia inter diducēdum offendimus partem dolentem, veluti os ventriculi. Parum ergo diducimus, ne dolor magnus oriatur: parum autem ſic attrahimus aëris, ideoq; frequenter eſt reſpirandum, vt frequentia recompenſemus id quod in parua inſpiratione attrahi nequiuerat, &c.

Pleuriticorum ſpiratio.

Pleuritici ſpiritum valde frequentem habent, & ſi pectus multum diducūt, tenditur pleura, & dolor oritur. Frequens.] i. ſolito frequētior. Si digitus inflammetur, etiam dolor oritur, cum arteria in eo mouetur, Es klopffet/ es zucket/ cum enim eſt tumor, occupat partem, in qua arteria moueri ſolebat, per motum partes tumefactæ, quaſi concutiuntur. Si arteriæ motus eſſet in noſtra poteſtate, etiam efficeremus tūc frequentem, minusq; paruum propter dolorem, ſicut in reſpiratione. Non omnis denſa eſt parua, ſed etiam magna, vt in iis videre eſt, qui ſe multum exercuerunt, præſertim cum inflammatio ſimul & dolor adeſt, vt in peripneumonia, pleuritide, in qua tum ob dolorem non licet ſpiritus magnos trahere, nihilominus tamen maiores facimus, quam ſi ſolus dolor adeſſet.

Crebra & magna ſpiratio quando fiat.

Si crebro ſpiret & mediocriter magnos ſpiritus ducat, cum dolore ſimul adeſt inflammatio. φλέγμανσις non eſt proprie inflammatio, ſed incenſio. Si abſq; dolore poſſent reſpirare pleuritici, haberēt ſpiritus magnos, & non adeo crebros. φλεγμονὴν.] i. incenſionem. Septo ſuperioribus.] Corde, pulmone, aut in cauitate. Magnus & rarus.] Frequens reſpiratio diuiditur in paruam & magnam, celerem & tardam. In acuto qui habet febrem, rara & parua non inuenitur: nam aëre multo eſt opus refrigerante qui in parua & rara inſpiratione attrahi nequit, ſed ſemper vel magna vel crebra, quia multo frigido aere in talibus opus eſt: ideo hic non meminit eius quæ non accidit.

Magna & rara ſpiratio cur delirium ſignificet.

Delirium.] Non animaduertunt ſe opus habere, ſed obliuiſcuntur: animus enim in aliud eſt totus intentus. Vide lib. 1. de difficultate ſpirandi. Si vero ſpiratio ſit rara & ſimul parua, tum ea natiui caloris, qui fere nulla refrigeratione opus habet, extinctionem ſignificat. Et cum rara & parua ſimul eſt, haud dubie quoq; frigida erit. qui inter ambulandum ſerio quid cogitant, aliquando nonnihil ſubſiſtunt, ac fere ſimile quid ſis accidit quod delirantibus, qui magnos aut raros ſpiritus trahunt. Si attentiſſime quid quis cogitat, rariſſime ſpirat, quod magis in aliis obſeruamus, quam in nobis ipſis. Quod ergo nobis ſanis hic accidit, idem mente motis euenire ſolet, magnitudine reſarciunt illā raritatem. Omnis delirans trahit magnos & raros ſpiritus, ergo quidam trahens magnos & raros ſpiritus delirat, non autem omnis; qui enim aliquam in rem valde cogitantes ſunt intenti, etiam hoc modo ſpirant, licet non delirent. Tales & vniuerſaliter atentes, particulariter ſeu per accidens tantū conuertuntur. Animus non poteſt vtrique rei ſimul intentus eſſe.

Spiritus frigidus in acutis quid indicet.

Frigidus.] Sumitur hæc differentia ab eo quod expiratur in acuto morbo, ſiue ſit paruus, frequens, magnus vel rarus: ſi ſit frigidus ſemper indicat mortem proximam, expiratur fuligo, quæ calida eſſe debet: ſi frigida, tum calor natiuus eſt extinctus, admouemus manum, vt ſentiamus, an ſit ſpiritus calidus aut frigidus. Extinctio eſt manifeſtiſſima cū eſt magna, frigida & rara: ſic.n. multa fuligo expiratur, quæ debebat eſſe calida. Dubitatur cur ſpiritus ſit frigidus, cum cor caleat præter naturam, difficile eſt reſpondere, dicunt ob cerebrum frigefactum exire aërem e cere-

bro,

bro, qui refrigeret eum qui e pectore paucus exit. Circa cor æſtus quidem eſt, ſed corde paulo remotiores per quos ſpiritus tranſit antequam efletur, partes ſunt refrigeratæ: ergo ſpiritus permeans calidus licet adhuc refrigeratur, antequam ad fauces perueniat; iſtarum ergo partium, quæ alias natura cæteris ſunt calidiores, calore extincto, neceſſe eſt parum ſupereſſe in corde caloris natiui, ideoq; vicinum morti ægrum eſſe.

Prognoſticum 28.

Quæ ſit bona ſpiratio: εὔπνοιαν hic vocat naturalem ſpirationem. Ea vero indicat neq; thoracem, neq; cor, pulmonẽ vel præcordia, aut partes his vicinas, vt ventriculũ, iecur, lienem male affici. Cũ igitur ex his nulla admodũ afficitur, neq; tanta caloris copia infeſtat, vt premi videatur æger ſibi: nec etiam contra inſitus calor extingui, tum certe magna ſpes ſalutis in morbis eſt acutis. In iis enim ob febrium magnitudinẽ, & ob inflammationẽ proptie dictam pericula hæc imminent. Iam dicitur, vt non tantum mala prædicere, ſed etiam præuidere bona poſſimus, non tamen ſtatim dicemus conualiturum, qui bene ſpirat: poteſt enim paulo poſt lædi ſpiratio. Ex mala autem ſpiratione prædicemus mortem, quia non poteſt facile bona reddi, ſicur bona mala fieri poteſt. Ægri nõ poſſunt adeo inculpatam habere reſpirationem, vt ſani: ſi autem ſit tam bona, quam eſſe poteſt in acutis, tum indicat rem non peſſimo loco ſitam, in acutis præſertim, qui febrim habent. ὅσα ξὺν πυρετοῖσι.] Hoc adiicit vt hos acutos diſtinguat a cõuulſione, tetano, & ſimilibus acutis, qui ſunt abſque febri, coniunctam, adiunctam, vt in apoplexia, epilepſia, & ſunt improprie acuti; proprie dictus acutus, vel eſt febris, aut cum febri, & ex ſua natura celeriter mouetur, & ad ſtatum cito peruenit. Vide lib. Aphoriſ. vbi de diſtinctione acutorum ſatis eſt dictum. Loquitur de acutis, qui intra 40. dies deſinunt. Ex acutis naſcuntur, qui ad 60. 80. dies durant: id fere fit cũ ii qui initio acute ægrotarunt, decima quarta die non integre indicati ſunt, ſed morbi reliquiæ ſunt relictæ: tunc enim non tantum tales, ſed etiam aliquando chronici fiunt morbi ex iis qui ab initio erant acuti, vt hydrops, quartana. Oſtendit ergo ſe de iis hic loqui, qui naſcuntur ex acutis, & cum finiantur intra 40. dies: nam ſi ex acuto fiat quartana, marcor, tabes, ſuppuratio, hydrops; nõ multum erimus ſollicit de reſpiratione, nam poterunt mori ægri, licet commode ſatis reſpirent. Morbi enim diuturnitas in res paulatim abſumit, idq; tanto fit facilius, ſi æger velut ſenex, natura iam debilior exiſtat. Indicat morbum nondum vehementer afficere cor, aut membra vicina, cum adeſt libera reſpiratio: corde autem adhuc valido, bona ſpes ſalutis eſt, licet nõ ſit certa ſpes, niſi adſit cum ſignis coctionis. Mala ſigna fere ſemper certius ſignum ſunt, quam bona, niſi ſimul ſint multa.

Cur e mala ſpiratione mortem prædicamus.

Malorum ſignorum ſignificatio.

Prognoſticum 29.

Tradidit hactenus ſigna ab accidentibus corporis; nunc ſigna ab excrementis e corpore, & primo numerat ſudorem inter ea. Sudor eſt excrementum aqueum tertiæ coctionis, quod prouenit in mutatione ſanguinis in membra, cum membra ſanguinem attrahunt, tum ſanguinis illæ partes, quæ non poſſunt in carnes & membra mutari, quæ ſunt excrementa tertiæ coctionis. Vide lib. 1. de ſanitate tuenda cap. 12. in tertia coctione eſt aqueum excrementum & terreum, alterum ſudor, alterum quod adhæret cuti: aqueum aliquando inſenſibiliter effluit, & tamen non vocatur ſudor: nihil eſt aliud quam vrinæ illa pars, quæ cum ſanguine permiſta eſt, &, cum effluit, ſudor eſt. Sudoris ergo materia humor eſt potulentus in cibis & potibus. Omnis ergo humor aquoſus nutrire non potens materia eſt vrinæ & ſudoris. Generatur etiam e vaporibus, cum multi ad cutem euaporant, & cutis facta eſt frigidior, cum illi denſantur in guttas, ſicut in balneis videmus in parietibus. Potus etiam non totus in vrinam & ſudorem conuertitur, quia habet in ſe partes nutrire potentes. Calor humidus eſt efficiens cauſa ſudoris, ſiccus etiam, ſed externus, non internus. Vide lib. 1. de flatibus, & 1. de morbis, de ſudoris generatione. Cum in ventriculo & hepate coquitur alimentum, cum ſeparatur aquoſum, & vel a renibus attrahitur, vel cum ſanguine per venas diſtribuitur, & ſudor fit. Per ſanitatem non ſudamus, ſi nihil agamus, aut ſi nõ verſemur in nimio calore: ſi eadem eſt materia, cur nõ ſemper ſudamus quæri poteſt, ſicut ẽt mingim⁹? Reſp. Magna copia eſt vrinæ, minor pars huius cũ ſanguine per corpus totũ diſtribuitur, ergo in vno loco nõ multũ colligitur, ergo a leui calore poteſt in vaporẽ cõuerti. Cyathus plenus aqua in aliquot dieb. ſoli expoſitus vix exiccabitur, effuſus aũt in tabulã cito exiccatur: ita accidit in ſudore, qui ſæpe inſenſibiliter trãſpirat. Cũ calor natiuus impetu fertur, & hanc materiã verſus cutim propellit, antequã in vaporẽ vertatur tum ſudor fit. Inter dormiendum ẽt natiuus calor ſolet eo propellere materiam redundantem, præſertim cum in cibis in ventriculo coquendis non amplius occu-

Excremẽta tertiæ coctionis quæ ſint.

Vrina & ſudoris materia.

Cur potus nõ totus in ſudores & vrinã vertatur.

Sudoris efficiens cauſa.

Sudor quĩ fiat.

Sudor qui fit periculoſus.

patur. Aliquando ob imbecillitatem retentricis fit ſudor, qui eſt valde periculoſus. Differentiæ a ſubſtantia, craſſus, lentus: a quantitate, copioſus paucus, particularis vniuerſalis: a qualitate ſenſibili, colore, ſapore, odore: qui fœtet, indicat putredinem circa cutem, item a tactu. Frigidus aut calidus ſudor. item a tempore, diei & noctis, dum morbus crudus in principio, augmento, ſtatu, declinatione, in die decretorio. Obſeruanda etiam forma, an guttæ magnæ vel paruæ ſint. Sudores omnes ſiccant corpus, nam auferunt humiditatẽ in corpore exiſtentem, & aliquando vtiliter, alias inutiliter fit.

Quid e ſudoris colore poſſit colligi.

Sudor cur aliquando ſit cruentus.

Iubet hic obſeruare, quatenus euentum ſignificant. Vide lib 1. de ſanitate tuenda. Si ſudor flauus apparet, humores ſub cute hærẽtes, flauos ſignificat, ſi albus, pituitam ſub cute eſſe. Vide libr 3. de hiſtoria animalium, cap. 5. quod quidam cruentum ſudant, quia ſanguis ita viuatus, vt fere totus in ſerum ſit conuerſus. Poterimus excipere in pannis & in vaſis, vt videamus colorem. Hic quinq; ſpecies ponit, e quibus nos etiam alias vult intelligere. Prima eſt optimi ſudoris, qui quatuor conditiones habet, e quibus duas Hippoc. ponit. 1. quod fit in die decretorio, iudicatorio. Vide aphoriſ. 36. libr. 4. Si ante diem decretorium, cum adhuc morbus eſt crudus. 2. qui exterminat febrim, nam effectus eſt optimus. 3. debet ſudor vniuerſalis eſſe, & e toto corpore fluere, nam adeſt febris vehemens, & corpus totum afficit:

Cur ſudor bonus vniuerſalis eſſe debeat.

quod ergo hunc morbum vniuerſalem tollit, debet vniuerſale eſſe, nempe ſudor, alias pars tantum cauſæ morbificæ per particularem tolletur, & æger facile in recidiuam incidet. 4. Erit calidus: frigidus enim ſiue particularis vel vniuerſalis ſit, ſemper malus eſt. Boni etiam ſunt.] Adhuc bonus eſt, cuius tres ſunt conditiones. 1. ex toto corpore. 2. febrim ſaltem minuat, ſi non totam tollat. 3. ſit calidus. Nun tollit ex toto, quia non fit in decretorio die, ergo tantum diminuit, ideo non perfecte bonus eſt.

Morbifica cauſa non ſemper tota per vniuerſalem ſudorẽ vacuatur.

Aliquando in ipſo decretorio vniuerſalis non tollit, ſed minuit tantum, quia materia non tota fuit cocta, ſed ſuperfuerunt partes lentæ & craſſæ, nondum co ctæ, aut quia non ſatis copioſus erat. Vide lib. 4. Aphoriſ. 36. de diebus iudicatoriis. Cum homo febricitat, tum calor influens e corde in ſingula membra in omnibus locis natiuum vitiat. Aliquãdo prodit etiam in die non iudicatorio ſudor bonus. Eſt etiam tertia ſpecies, cum alleuiat morbum, ſed non prodit e toto corpore, tum etiam bonus, minus tamen bonus altero, qui e toto corpore fluens, morbum minuebat: cum e toto quidem corpore exit calidus, ſed morbum non tollit aut minuit, quarta ſpecies ſudoris conſtitui poteſt, & eſt fere ambiguus, malus tamen, quia nonnihil debilitatur: nam vna etiam vacuantur ſpiritus. Contra inutiles.] Nec boni nec mali non fluit e toto corpore ſudor, & non minuit febrim. Si nihil fit.] i. nec tollat, nec minuat, vel non e toto corpore profluat.

Sudor febrim non minuens.

Vide 56. Aphoriſ. 4. lib. ſi ſudor non minuat febrim, in acuta mortem, in mitiore longitudinem ſignificat. Non eſt bonus, nam nihil confert. Sudor particularis videtur bonus. Vide 38. Aphoriſ. lib. 4. morbus eſt in vna aliqua parte: ergo eius partis ſudor debebat prodeſſe, qui e parte laborante effluit. Reſponſio: Sudor hic in acutis malus potius quam bonus, in aliis autẽ morbis particularibus aliter habet res: in acutis autem etiam vniuerſalis morbus, debet ergo vniuerſalis eſſe, alias nõ dominatur natura toti materiæ in omnibus partibus. At aliqua vna pars inflammatur interdum, vt hepar, ventriculus, licet ex eo loco prodeat non vtilis eſt, nam ſi ob rectam actionem natura prodiret, prodiret ex omnibus locis. Deinde licet vna aliqua talis pars inflammetur, tum mox cæteræ partes ei conſentiunt, quo fit cum, non tantum pars inflãmata laboret, ſed etiam reliquæ vt ſudor in talibus vniuerſalis potius, quam particularis eſſe debeat. Indicat ergo materiam in eo loco vel eſſe multam, aut retentricem valde debilitatam, talis ſudor particularis. Peſſimi.] Alias duas recitat ſpecies. Prima eſt frigidorum, ſiue ſit ſudor particularis, vel vniuerſalis. Vide 56 lib. 4. Aphori. vbi ratio expoſita eſt. Materia potulenta eſt calida, nam primo in hepate alteratur, poſtea eſt cum calore in venis.

Sudor frigidus quid indicet.

Ergo natiuus debilior eſt, quam vt exteriores calefacere poſſit, ſi ſudor frigidus effluit. Si calor cordis ita diſperſus eſt, & non poteſt 1. calefacere ob ſuam debilitatem, extrema frigent, & hæc materia per eas partes trãſiens, facile ab iis frigefit. 2. Deinde cum humor frigidus eſt diſperſus, per corporis habitum, & ſudor adhuc calidus permeans per humorem hunc frigidum, refrigeratur, cum & fit frigidus ſudor. 3. cum cutis ob aliquam cauſam eſt frigida, tunc licet ſudor calidus ad eam perueniat, in cute tum refrigeratur. Sed in iis quæ ſtragulis tecti ſunt, fieri hoc non poteſt. 4. cum humor frigidus in corpore collectus eliquatur a calore, & expellitur ad cutim, etiam fit frigidus ſudor. In acutis magnus eſt calor, qui ſi non poſſit calefacere materiam, tum indicium hoc eſt, ingentem eſſe humorum copiam, aut natiuum calorem non extendi ad calefactionem corporis partium.

Cur ſudor frigidus in acutis periculoſus.

In acutis ergo ſudor frigidus fere mortem denunciat, licet e toto corpore profluat. Cum vero febris mitior eſt, tum facultas nondum conſumpta forte progreſſu temporis hos humores coquere poterit, morietur æger, nam fere extinctus eſt calor natiuus. Si ab copia, morietur rurſum, antequam coquere morbum poſſit. Morbus etiam ſalubris ob temporis tractum, fieri poteſt inſanabilis, nam multi poſſunt fieri errores. Longe facilius ergo acutus occidit, in quo ſudor frigidus apparebit. Si

calor

calor febrilis potuit frigidum & pituitoſum liquare, quomodo frigidus eſſe poterit ille ſudor? Reſp. Calor poteſt aliquando hactenus calefacere, vt liquet, non tamen calorem imprimere, vt calidus prodeat ſudor. Ita ſolis calor poteſt liquefacere glaciẽ, nõ añt eam aquam ad tactũ calidam reddere. Non enumerat omnes ſpecies, quas tamen intelligere poſſumus ex iis quas hic poſuit. Sudorem circa caput ſyncopen ſignificare, ait Gal. Et ſi frigidus circa caput exeat, tum non tantum ſyncopen fore, ſed iam etiam incipere ſignificat, Gale. teſte, valde pernicioſam ſyncopen, ſi circa pectus aut pedes, non ſemper malus. Particularis circa caput inprimis pernicioſus, quod experientia conſtat, nam in acutis rariſſime euadũt. Harum partium ſudor cũ reliquæ non ſudant, indicat moleſtiam cordis, in qua prompte ſic ſudant, nam omnium fere viſcerum affectiones, cito & primo in facie apparent, quæ fere nihil eſt, quam indurata quædam cutis. Natura mala & bona mittit, cum ergo cor affectum eſt, tum ſicut ſanitatis tempore plus ſpirituum ſanguinis, humorum ad ſuperiora mittebat, etiam nũc mittit mala, & ſic exprimuntur per cutim, quæ circa iſtas partes hærent, & fit ſudor. hic autem cum indicet cor valde affectum eſſe, intelligimus iam fere actum eſſe de homine, præſertim in acutis morbis.

Sudor circa caput quid indicet.

Prognoſticum 30.

Videtur hoc nõ eſſe Hippocratis caput, etiam Galeno teſte. Tum quoq; ſunt mali] Sed hoc nõ erat neceſſum repetere. Milii inſtar.] Nec hoc debebat repetiiſſe, ſiue guttas magnas, vel paruas habeat, circa caput ſemper malus. Miliaris ſudor eſt, qui habet granula bullulaſq; inſtar granorum milii, vel euius guttulæ flaueſcunt inſtar milii. Prior tamen videtur melior expoſitio qui cum magnis guttis diffluentibus prodeunt, ſunt boni ſi per totum corpus effluant. Per phlegmonem hic intelligimus quamlibet incenſionem, non inflammationem tantum a ſanguine factam. Fiunt ergo ob vehementem æſtum aut ob exſolutam retentricem.

Sudorẽs qui boni.

Prognoſticum 31.

Tranſit nunc ad conſiderationem pectoris: hypochondria viſcera præcipua cõtinent, quæ in morbis conſiderantur. Poſſumus multa indicia ſanitatis & mortis colligere ex hypochondriis, niſi ſuffocentur, aut alias ægri cito intereant, ſemper in hypochondriis indicia occurrunt. Male conuertitur præcordiorum ſitus, quia præcordia ſunt ſeptum tranſuerſum, & φρένας vocant, quia hæc pars læſa ſtatim inducit deliria. Vide lib. de locis affectis, reliquæ partes non inducunt deliria, ſicut φρένες. Conferre hæc pars videtur plurimũ ratiocinationi, nam hac læſa mox læditur ratiocinatio, nam per neruos ſextæ coniugationis, coniũgitur cerebro. Septum tranſuerſum præcordia & φρένες ſæpe idẽ ſunt. Hypochondria quidã Ilia vertunt, quæ ſunt partes ad latera vicinę oſſi ilii, quib. cingimur, nõ ergo hypochondria. Hypochõdria alias eam partẽ, quæ ſub coſtis mẽdoſis, alias vt hic, quicquid in hypochondriis cõtinetur. Eſt ſpatium de vno latere vſque ad alterum] i. quod eſt ſepto tranſuerſo, vſq; ad vmbilicum, cum contentis viſceribus, in dextro hepar, in medio ventriculus, in ſiniſtro lien. 1. cum nullo dolore afficitur. Nos vno verbo dicere poſſumus ea hypochondria eſſe ſaluberrima, quæ naturaliter habentibus ſint ſimilia. 2. eſt molle. 3. eſt æquale. æqualia hic non ſecundum vnam tãtum qualitatem intelligi debent, ſed quæ naturalem eandemq; affectionem habent, in caliditate, indolentia, gracilitate, intentione, tum illa pars naturaliter habet. Molle cum nihil renititur tactui, & non eſt tenſum. Æquale, quod æqualem habeat altitudinem, & cum nullus apparet tumor, dolor indicat cauſam præter naturam adeſſe, quæ ſit vel intemperies, aut ſoluat continuitatem, inæquale eſt, cum aliquid præter naturam adeſt, alterum attollens, alterum deprimens, niſi forte ſecundum naturam aliquando, altera pars ſit pectoris longior, alia breuior. Si hæ conditiones adſint in acuto laborante, magnam habet ad ſanitatem ſpem; nam in his viſceribus fit coctio. 1. quod eſt inflammatum,] Tum erit dolor. 2. Si doleat.] Nondũ inflammatum ſit, ob intemperiem magnam, aut copiam humorum, & flatuum, qui pariunt ſolutionem vnitatis, quæ duplex eſt, qualitatis & quantitatis. 3. Si abſq; dolore ſit extentum, ſint flatus & humores intendentes non tamen, vt dolorem faciant; nec enim omnem intenſionem dolor ſequitur. 4 malum eſt etiam hypochondrium, ſi inæqualiter diſpoſitæ partes dextræ, comparatione ſiniſtrarum vel contra, & videtur peius eſſe, ſi tumor in dextra ſit, tum hepar, in ſiniſtra tantum lien laborat. Si in vna parte ſemper molle, in altera durum, in vna parte doleat, in alia non; etiam dicitur inæquale eſſe hypochondrium: æquale eſt 1. cum ad viſum nulla eſt inæqualitas. 2. cum ad tactum æqualiter molles ſunt partes dextræ & ſiniſtræ. 3. cum nullus percipitur dolor in nulla parte: ita ſi vna pars frigeat, altera caleat, non eſt æquale hypochondrium: in hypochondrio eſt officina totius coctionis, & morbi coquuntur a facultate;

Hypochondriorũ cõſideratio vtilis.

Hypochondria quæ contineãt.

Hypochondriorũ bene habentium conditiones.

Dolor quid indicet in his partib.

Doloris plures ſunt cauſæ.

Vnitatis ſolutio duplex.

Tumor in dextro hypochõdrio periculoſior.

quæ maxime viget in hypochondriis. His ergo male habentibus, æger in acutis præſertim non poteſt non in magno periculo eſſe. Dextræ partes cõtentæ ob mobilitatem viſceris, maius malum indicant, nam diutius officio lienis carere poſſumus, quam hepatis, licet neutro, tempore multo carere poſſimus.

Prognoſticum 32.

Pulſatio in hypochõdriis quid indicet.

Ἐλπὶς, id eſt, expectare oportet, nam mala non recte ſperamus, ſed potius timemus. Pulſatio indicat: vel per θόρυβον perturbationem intelligere videtur, qua non tantum æger, ſed etiam Medicus turbatur ſæpe, id eſt, periculoſam aliquam affectionem, tali pulſatione notam, quæ & ægros & Medicos turbet. Delirium.] Nam ſepto tranſuerſo cerebrum facile cõſentit. Prompte igitur ab ipſo laborante & pulſato delirium infertur. Inſpiciendi ergo oculi an celeriter moueantur. Dixit pulſationem talem vel perturbationem vel delirium ſignificare; nunc vero exactius determinat, docetq; quando delirium, quando item ſola perturbatio futura ſit.

Oculorum obſeruatio.

Sumitur vero hæc determinatio ab oculorum motu. Et ſupra dictum eſt, oculorum muſculos in primis cerebri affectiones ſentire. Cerebrum vero ſepto tranſuerſo, ori ventriculi, aliiſq; neruoſis membris cõſentit. ſi ſunt valde inſtabiles, erit deliriũ; ſi naturaliter habeantur, tantũ erit turbatio. Quidã palpitationem per pulſationẽ intellexerunt, alii motum arteriarum in hypochondrio poſitarũ.

Arteria pulſatio quando percipiatur.

Arteriæ omnes habent ſpacium, in quo dilatentur & conſtringãtur. Hoc ſpacium ſi occupetur ab humore aut tumore aliquo, tum percipitur motus, qui alias non percipiebatur, & ſentitur in qualibet inflammatione carnoſa; nam in ſuperficie cutis, non ſentitur, quia ibi non eſt arteria, ſit maxime quando pus generatur tũ enim cum materia caleſit, admodum inflatur etiam ſpacium illud in quo arteria moueri cõſueuit, intercipitur aut anguſtius redditur: talis ergo pulſatio (pulſatio fit in hypochondriis, ob motum arteriæ magnæ, ſpinam perreptantis) in hypochondrio indicat magnam inflammationem, aut diſtentionem partium illarum, vicinæ igitur partes, vt iecur, ventriculus, perturbantur, i. in periculoſam affectionem incidunt, aut prompte delirium infertur.

Delirium efficere quid poſſit.

Turbari corpus totum poteſt ſine delirio, & delirium etiam eſſe abſque magna turbatione; ob incenſionem ſanguinis in arteriis, etiam inflammatur cerebrum, & delirium fit magnum. Poteſt pulſus ab ægris & Medicis percipi. Arteria inflammata magna, inflammãtur omnes eius rami, aliquando ſentitur in biliosis talis pulſus paulo commotis, præſertim ſi ſit ventriculus vacuus. Turbatio fit ob morbi vehementiam, oculi inſtabiles ſunt, oculorum motiones non tantum hac in re, ſed in aliis morbis omnibus, in quibus delirii ſuſpicio eſt, exactiſſime nos obſeruare conuenit,

Oculorum inſtabilitas vnde ſit.

cum membranæ cerebri ſunt inflammatæ, & pungūtur a vaporibus mordacibus, ſtatim communicant affectum oculis cerebro vicinis, & cito illi hoc ſentiunt: ergo turbatio non tantum in partibus iam inferioribus conſiſtit, ſed aſcẽdit ad ſuperiores, eſt ergo delirium non ſimplex, ſed graue. Furor eſt inſania ſine febri proprie, ideo vehementer delirare Gal. hic ſignificare ait. Maniæ nomine trifariam vtitur Hippo. 1. Delirium denotat in quo furiantur, ſicut in phreneticis. 2. Deſipientiam quamlibet cum ſebri & ſine febri, licet non ſit vehemens, vel ſit etiam vehemens, oriturq; a flaua bile vſta, quæ in cerebro continetur. 3. ſignificat etiam mite melancholicum delirium. Vide lib. 6. Aphoriſ. 21. Hic ſignificat vehementem deſipientiam ob ſpiritum natiuum calefactum & ſanguinem in arteriis, & ad caput ſublatum, quod ſignificat vehemens delirium; poteſt etiam indicare mitius delirium. Spiritus vitales & arteriarum ſanguis admodum ſunt affecti in tali pulſatione & delirio.

Prognoſticum 33.

Pulſatio in hypochondriis cur fiat.

Oedema dolens.

Pulſatio fit ob motum arteriæ magnæ ſpinam perreptantis. Nunc aliud vicinum declarat. φλεγμονή: non tumor a ſanguine eſt, ſed incenſio abſque tumore hic eſt. Oedema idem apud Hippoc. quod tumor quilibet frigidus (œdema ſolet Hippocrates omnem præter naturam tumorem appellare. Recentiores vero Medici eum tantummodo tumorem ita vocant, qui dolore vacat, & prementi digito cedit: quem vero tumorem recentiores Medici inflammationem vocant, eum Hippocrates œdema durum ac dolens appellat, Gal. teſte) plerumque non dolet, proprie ſi ſumatur, ſed fere calidus tantum. Oedema dolens eſt phlegmone, ſeu tumor a ſanguine natus.

Duritiei tres cauſæ.

Durum fit tribus modis, ſiccitate, repletione, congelatione, non ob ſiccitatem nec congelationem, ergo ob repletionem. Peſſimum] nam in hypochondrio viſcera multa continentur, lactes, arteria & vena magna. Si omnes hæ partes ſunt inflammatæ & tumefactæ, periculum eſt maximum; ſi pars tantum, tum vel dextra vel ſiniſtra eſt inflammata, & comparatione harum lien cum ſit minus principale membrum, minus eſt periculi ſi laboret, quam ſi hepar laboret: hoc enim grauius affecto, vix paucis diebus viuere

poteſt

poteſt animal. Inflammationes in liene fientes, fiunt a ſanguine craſſiore & frigidiore, ideoque morbus minus eſt acutus, quam ſi in hepate fiat: ſi etiam hepar inflammetur, vniuerſus ſanguis in corpore inflammatur. Liene laboráte ſæpe per annum ſuperſtes manet adhuc animalis ſanguis, qui continetur in liene, influit ex hepate & poteſt inflammari, poſtquam ex hepate iam egreſſus eſt. Quando citra acutum morbum inflammatur lien, ſæpe curari poteſt, & fere ſemper. Dolens.] Non meminit doloris, videtur autem intelligere inflammationem hypochondrii in parte interna, nam ſi in externa parte eſſet, rubra eſſet. Inflammationes ſiniſtri lateris dicuntur periculoſiores eſſe, quam dextri, vt in pleuritide, quia ſunt valde vicinæ cordi, & ideo hoc facile inflammatur: ergo & lienis inflammatio debebat periculoſior, aut æque periculoſa eſſe, atq; hepatis. Reſponſio. Intelligunt eas, quæ ſunt intra thoracem ſiniſtri lateris; lien aũt extra thoracem eſt, ergo & eius inflammatio, non periculoſior eſt, quam ſit hepatis etiam extra thoracem exiſtentis. Si altera pars inflammetur,] i. viſcera ibi contenta. Per œdemata hypochondrii intelligit Gal. viſcerum tumorem in hypochondrio contentorum, nam ſi muſculos aũt cutim etiam cum muſculis intelligamus tãtum, tum hoc non ita periculoſum eſt, pars enim nec eſt princeps, vel nobilis. Si pars altera ſit inflammata tantum, fieri poteſt, vt euadat; facilius tamen euadet, ſi ſiniſtra, quam ſi dextra ſit inflammata.

Inflammatio lienis citra morbũ acutum.

Oedemata hypochondriorum.

Prognoſticum 34.

Acutus morbus non tamdiu manere poterit, donec coquatur, ſi ab initio ſit inflammatio, ſiue dolens œdema in hypochondriis. Hunc locum non ſimpliciter, ſed cum limitatione accipiendum Gal. monet. Si ſcil. interna grauiter afficiantur, aut inflammentur, vt eſt iecur, ventriculus, lien, peritonæum, initio morbi, tum cito ſecuturam mortem: Si enim ſoli muſculi inflammentur, vix eorum inflammatio eam inferre poterit, niſi admodum inſignis ea ſit, aut magna virium debilitas adſit, aut Medicus male curet, vel ipſemet æger erratum aliquod committat.

Prognoſticum 35.

Si febris habeat, non decreſcat, ſed perſiſtat, & continue eum vexet. Tumorum præter naturam aliqui 1. reſolutione inſenſibili. 2. coctione, eum in pus vertuntur. 3. tranſmutatione ex vno in alium locum. 4. induratione finiuntur, cum in ſcirrhum vertuntur. Ergo etiam inflammationes hypochondrii ſic finientur aliquo ex his quatuor modis. Si non ſit vehemẽs, reſoluetur, aut magn⁹ in acuto nõ reſoluetur, aut in flatũ vertetur: nã acutũ tãdiu nequit ſuſtinere æger, donec reſoluatur, vt. n. reſoluatur multo tẽpore op⁹ eſt. Nõ reſideat.] Vni⁹ ſolutionis ſpecies, quia totus humor finiatur per reſolutionẽ, quod forte per febrim nõ magnã accidat, vt pars ſaltẽ reſoluatur, ſi vere reſolueretur, ẽt proportione minueretur. Minor ſit tumor, cum tenuioribus partib. reſolutis craſſæ manẽt, & ſic ſit ſcirrhus. Si nõ ſit mutatio in ſcirrhũ, quod his verbis innuit, καὶ τὸ οἴδημα μὴ καθιστάμενον, & febris maneat, tum pus generabitur. Si enim ſanguis præter naturam in aliquam cauitatem effundatur, ſuppuratur, vid. lib. 6. Aphoriſ. 20. (Omnis tumor præter naturam curatur, ſi humor a quo fuerat generatus, diſiiciatur. Si hoc non fiat, ſi ipſi humores aliquanto temporis ſpatio in loco, vbi tumorem generarunt, cunctentur; tum per qualitatem futura eſt mutatio interdum ad putredinem, vt in cadauere, cum nihil ad concoctionem natura molitur: interdum vero cum ſcil. vires valent, in pus mutatio fiet. Recte ergo additur, niſi deſiſtat œdema, cum enim interea diſcutitur, ſuppuratio non fit) quo vacuato liberabitur æger; quod non fiet, niſi febris non ſit magna. Senſus eſt, ſi tam diu duret, non fiet ſcirrhus, iam enim exſpiraſſent tenuiores partes, reſtat ergo alio transferatur, vel pus fiat. Tumores cum febri durantes mediocri ad 20. dies, non ſunt valde calidi, ideoq; vix ante 20. incipiunt ſuppurari, nam qui ſunt in ipſo pectore in loco magis calido, non ante 14. diem ſuppurantur. Si autem hi vix 14. quomodo illi qui ſunt in frigidioribus locis, tam cito ſuppurari poſſent? Si reſoluerentur intra hoc tempus, imminuerentur, ſi in pus verterẽtur, etiam aliquid diſcuteretur. Hominis ætas fere quinq; partes habet, inter quas vna τῶν καθεστηκότων, qui ſequuntur τὴν ἀκμήν. Sunt illi qui iam incipiunt decreſcere, & faciunt omnia opera iuuenum, ſed imbecillius, ab anno 36. vſq; ad 49. ſunt παρακμάζοντες, qui iam deſcendunt. καθίσταμαι, non eſt conſiſto, ſed ſubſiſto, id eſt, nonnihil decreſco.

Tumorũ præter naturã quadruplex ſolutio.

Cur magnus tumor in acutis nõ reſoluatur.

Scirrhus qui generetur.

Prognoſticum 36.

Aliam rationem ſolutionis tumorum adfert, nempe tranſpoſitionem ad alium locum, per fluxum narium. κάρτα ὠφελέει, &c.] Præſertim in hepate, aut lienis inflammatione. Sed hoc ſit in 1. periodo dierum decretoriorum, i. in primo ſeptenario, pleriſque ſanguis erumpit primis ſeptem diebus, paucis nono & vndecimo, pauciſſimis decimoquarto: nam ſi diutius duret, non poſſumus ſeparare fluxum e naribus: nam in inflammatione extra venas in car-

Tumoris ſolutio per tranſpoſitionem.

Sanguinis fluxus per nares qui præuideri poſſit.

nes effluit,& cum iis infigitur,tum difficilis eius eſt reditus in venas, vt in caput poſſit aſcēdere:debet ergo fieri antequam ſit impactus,nam poſt ſeptimum admodum raro fit. Vide Prog. lib.3. Prog. 11. quibus hoc eſt futurum,incipiunt dolere capite, & oculi obtenebrantur: nam natura ſanguinem verſus caput transfert, quem cum natura nequit ferre, vacuat per nares. Capiós dolor.] Repente obortus in decretorio die,&c. indicant naturam pellere ſanguinem ex affecto loco verſus caput. Dolor fit ob diſtenſionem membranarum. Caligo oculorum ob vaporum craſſitiem in oculos. Intelligimus, ſi pridie æger nihil habuerit in capite mali, & iſta in decretório fiant,naturam tentare criſim per nares. Galenus ait in aliis haberi exemplaribus in primis periodis, non ſingulari numero. in primis periodis, i. in primis duobus quaternariis,intelligere nos oportebit.

Cur caput hic doleat.

Oculorũ caligo.

Prognoſticum 37.

His qui ſunt.] (Docet ab ætate quando ſanguinis fluxũ prædicere debeamus) Infra vigorem] tum.n. (nam hac ætate Gal.inquit, ſanguinis plurimũ adeſt, facultas item valentior, & calor copioſior,quam in aliis exiſtit) ſanguis abundat, & plus ebullit,& vires magis vigẽt, quam in aliis. Poſt non admodum vtilem talem ſolutionem per fluxum ſanguinis ſperabimus,ſicut in iuuenili ob cauſam dictam.

Prognoſticum 38.

Tumorũ duo genera in acutis eſſe poſſunt.

Alius tumor durus & dolens, alius mollis & non dolens. Hunc iuniores Medici proprie appellãt Oedema, quia poſſunt eſſe cum acuto morbo : nunc agit de iis qui non adeo calidi ſunt,& quid faciant in acutis,cum in hypochondrio, & parte inferiore apparent aliquanto. Tardius finiunt & calidus minus periculoſi.(talis tumor diutius durat, quia frigidior eſt, nam calore coctio fit, minore autem cum periculo eſt, quia dolore vacat, & vires non exſoluit) graues & moleſti ſunt magis. Oedema proprie ſumptum eſt a flatu, aut a pituita, aquoſa præſertim,cum ſunt a flatu, non valde periculoſa ſunt, niſi ſint ſymptomata. Craſſior pituita efficit ſcirrhum,ſicut etiam melãcholicus ſuccus. Aquoſa pituita nõ facit febrim, deinde non vertitur in pus,hic autem loquitur de tali tumore, qui poſt 60. diem ſuppuratur. Intelligimus ergo Oedema non purum hoc loco,ſed quod conſtet e pituitoſo ſanguine. Tumores frigidi, non tamẽ ſine ſanguine,ſed a ſanguine pituitoſiore, tales humores non fiunt duri, niſi tenſum quid ſit, & quod in partem cauam influxit, vt veſicam eam tendat. Sic enim tympanite durities fit in cauis non in aliis; ſic aquoſus non facit duritiem, ſi ſit per partes ſparſus, ſed tantum humor craſſior id facit. dolor in his tumoribus fit ob tenſionem, quia partes a ſe inuicem abscedunt, quod in molli ſubſtantia non fit,tales ergo ſunt ſine dolore, & tales cedunt prementi digito. Duo ſignificant, tardum iudicium, & periculum non magnum: nam vires non exſoluunt propter dolorem qui non eſt coniunctus, cum natura ob viſus ſenſum male afficitur,ſicut in duris moleſtiſq; Oedematis,in morbis acutis,ſanguis & ſpiritus eo defluunt,& cor quaſi ſpiritibus orbatum relinquitur. vel hinc igitur quam Oedemata præſertim in acutis periculoſa ſint, videre licet. Etiam febres non adeo malignas habent hi tumores,quæ proſternere ſolent naturam: cum duris autem coniungitur vehemens dolor,qui proſternit vires.

Quædam Oedemata minus periculoſa.

Materia ſcirrhoſa.

Oedemata quãdo ſint dura.

Duri humores peiores.

Prognoſticum 39.

Hinc patet per hypochondria Hippoc. intellixiſſe partes eas quæ ſubiacent tantum nothis coſtis vſque ad vmbilicum, nam quæ ſunt ſub ipſis, vocat hic reliquas ventris partes,&c. Si expectanda eſt ſuppuratio, ergo Oedema non eſt ſimplex. Tale namque ſuppurari numquam poteſt. Si febris interea ceſſet,tum humor ita frigefactus eſt, vt non ſit ſpes ſuppurationis,& ſi alias vacuetur,etiam non ſuppurabitur: cum autem febris adeſt, & non minuitur tumor, tum ſuppurabitur. non negat poſſe etiam citius ſuppurari, ſed inquit ad ſummum 60. die incipient talia œdemata,ſi prius nõ incœperint,cum ſupra Prog. 35. de œdematis calidioribus ageret,niſi febris deſineret,a die 20. fore ſuppurationem eorum dixit. Nunc autem de frigidioribus agens,ſexageſimum diem eorum ſuppurationis limitem poſuit. Iam alia etiam inter hæc media incidunt qui quadrageſimum diem alium terminum ſuppurationis habentia, pro vt plus vel minus calidi aut frigidi participant, tardius ſuppurantur, quia ſunt frigidi, nam pars minima ſanguinis eſt,qui ob humoris frigiditatem,& aquoſitatem difficulter ſuppurari poteſt. Non ſolum vero œdemata qui in hypochondriis fatigant,ſi tam diu durent ſuppuratura ait, ſed etiã ea quæ in reliquo ventre ſunt. Hinc autem colligitur etiam hypochondria eſſe quaſdam ventris partes, quod ſi 60. die non incipiat ſuppurari, nequidem ſuppura-

tionis

tionis ſpes eſt. Sanabitur æger vel per ſuppurationem, quæ 60. die ſi non incipiat, fruſtra ſuppuratur, vel per vacuationem. Pus eſt humor quidam medius inter vere concoctum, & vere putridum.

Pus qualis humor ſit.

Prognoſticum 40.

Hic per concluſionem quandam repetit, quæ de calidis & frigidis dixerat: hic dicit ſi magnus ſit, ſupra vero qui totum præcordium hypochõdrium occupat: etiam tumores molles ſæpe interitum adferunt, ſed tardius & minus frequenter, quam alii.

Prognoſticum 41.

Dixerat eandem eſſe rationem reliquarum ventris partium: poterat ergo quis cogitare etiam in reliquis partibus ita ſuppurari tumores. Sed reliquæ partes ventris minus calidæ ſunt, & fere frigidior ſanguis eo fluit. ἀπόςασις, tumor qui in pus cõuerſus, foueam ſub cute paranit, & partes a ſeſe ſeparauit. Hic pro tumore ſumitur, licet fouea nulla adſit, & partes nondum ſint extenſæ. Partes ſub vmbilico ſunt in loco frigido, ergo in iis ſuppuratio vix fit, i. tardius & rarius, ſanguis etiã ad calidiores partes fluit, non facile ad artus extremos; tales ergo tumores in iſtis partibus minus ſuppurantur quam in thorace, quia ſanguis minus calidus eſt, & etiam ipſe locus.

Prognoſticum 42.

Sanguis ſub vmbilico tardius in pus vertitur, & ẽt ibi raro per ſanguinis fluxum ſoluitur talis tumor; ſed in ſuperioribus partibus exiſtens, vt in hypochondriis facilius per ſanguinis fluxum ſoluitur. In ſuperioribus,] i. in tumoribus fientibus ſupra vmbilicum: non tantum tumor inſpiciẽdus, ſed an ſanguinis fluxu aut ſuppuratione ſolui poſſit: & ſi ſuppuratione poſſit, qualis nam ea ſit futura.

Prognoſticum 43.

Quomodo & quales ſint tumores qui ſuppurantur, videndum: aliquando foras abſceſſus vergit aperta cute, alii intro rumpuntur, alii intro & extra. Si foras tendens, i. ſit paruus, in acutum tendat, & valde foras vergat, optimum eſt: nam vitioſi humores debent a nobilibus excedere foras, ſi ſint parui. 2. bonum eſt, nam non magna pars debilitatur & extẽditur. 3. multum foras vergens in acutum tendentes, indicat hoc robur facultatis; foras tumorem expellentis, nam natura valida eſt humorem foras protrudens, & humor ipſe calidus eſt & tenuis, alias nõ ita in akũ tolleretur. Vide lib. 6. Aphoriſ. quia autem calidus eſt, efficit morbum breuiorem. Magnæ, latæ, & planæ, &c. ſunt peſſimæ ſuppurationes inter eas quæ foras vergunt, nam non ſunt ita malæ, vt eæ quæ introrſum rumpuntur. Tumor magnus indicat magnam cauſam, & multos vitioſos humores. Lata indicat frigidiorem & magis pituitoſam materiam, quæ non prompte cedat naturæ, aut forte etiam naturæ debilitatem.

Abſceſſus optimi nota.

Tumor magnus quid indicet.

Prognoſticum 44.

Nullus eſt bonus] nam ruptio fit in partes multo nobiliores, & deinde medicamentum iis commode adhiberi nequit, ſicut externis, i. ex iis tumoribus, qui intro rumpuntur, tũ enim pus ingreditur in cauitatem ventris, vbi copioſius collectum eſt; eum exitum non habeat, aſcendunt vapores putridi ad cor, & multa mala pariũt ſi intra peritonæum ſit pus collectum. Pus & ſanguinem aliquãdo per media oſſa tranſponit natura, cum licet nos ignoremus viam. Si pus per inteſtina deſcendat, ea abradet, ſi vero in ieiuno & tenuioribus quid puris ſit, tum id alimoniæ diductionem vitiat, atque in ventriculo coctionem debilitat, & dyſenteria fit; ſi in ventriculum influat, corrumpuntur cibi, qui cum eo miſcentur. Siue ergo pus ſeruetur in vẽtre, vel inteſtina ingrediatur, ſemper nocebit multum. Optima] id eſt, minus mala, ſine dolore ſcil. cutis. 1. cum in muſculis ventris, & in cute nihil mali eſt, id eſt, cum ſic ad interiora rumpitur, vt nihil relinquat mali in muſculis, quod tactu percipiemus, & ex colore. nam ſi ſit mutatus in eo loco, vitiata caro ſub cute eſt. Peſſimum eſt, cum intro & foras rumpitur, id eſt, quando rupta eſt interior & exterior pars: ſic enim geminatur malum, nam nec ſedem, nec velut initium refectionis vllum natura obtinuit reparandis ruptis, quo tanquam ſolo firmiora iaciat fundamenta replerionis; nam caro noua generari nequit ab exteriore cute, aut inte-

Peſſima ſuppuratio.

riore quæ eſt perforata, non ergo regenerabitur, quia deeſt fundamentum: vlcus ergo non ſaneſcet, & perpetua ſanies generabitur. Communicat] id eſt, non relinquit vicium in cute, vide 41. lib. 6. Aphoriſ. vbi dicit pus aliquando non apparere ob craſſitiem loci aut puris. Argilla debet imponi loco ſuſpecto, & quo loco citius ſicceſcit, ibi pus in profundo continetur. Tale pus cum intro illabitur, ſæpe rigorem adfert. Si ſciremus ſubeſſe pus, forte ſecare poſſemus, alias quis ſecaret?

Prognoſticum 45.

Puris optimi nota quatuor.

Notas quatuor boni puris tradit. 1. candidum. 2. æquale. 3. leue. 4. vt non fœteat. Habet tamen ſemper aliquid fœtoris. Pus eſt quiddam non omnino expers putredinis, cum ſanguis per locum inflammatum diſperſus eſt, & iam extra ſua vaſa poſitus eſt, non multo tempore ſuam temperiem, quam intra vaſa habebat, ſeruare poteſt. Vide Aphoriſ. 20. lib. 6. mutatur igitur, aut etiam putreſcit ſicut fere alia omnia alieno in loco vehementius calefiunt. Cum igitur natiuus calor multum a ſua temperie receſſit, velut in cadauere, ſanguis putreſcit: cum vero aliquid adhuc roboris obtinet, permiſta quædam commutatio de cauſa naturali & præternaturali efficitur. Cauſa enim naturalis concoquit, præternaturalis putrefacit. Ac vtra magis harum exuperat, per eam neceſſario ſigna coloris, odoris & conſiſtentiæ accedunt; ergo non ſimpliciter a ſolo calore natiuo generatum, ſed habuit comitem alienum ac putridum.

Puris cauſa efficiens.

Materia concepit principium putredinis, antequam a natiuo alteraretur, ergo adeſt odor aliquis fœtidus. Omnia enim putrida ſunt ſi quæ natura ſua non ſunt fœtida, nec per admiſtionem fœtidæ rei, cum fœteant ea, certe putreſcunt. Cum ergo ſanguis non fœteat ſua natura, cum fœtet, putreſcit, quod minimum fœtet, fit ſi calor natiuus maxime vicerit in generando pure.

Pus quomodo generetur.

Natiuus calor cum agit in ſanguinem ſemiuiciatum, & cum non poteſt ob vicium contractum integre mutare, confert ei qualitates eas, vt quaſi fiat ſimile ei alimēto, a quo pars nutriebatur. Æquale.] Non ſit alia pars craſſa, alia ſubtilis, hoc enim imperfectam coctionem arguit, debet æqualiter tenue eſſe, non vna parte rubrum altera non, vna fœtens, altera nō, &c. tunc natiuus omnibus dominatur partibus. æqualiter leue] nō ſit aſperum, ſic enim non integre dominatur. Album.] Nam debet ſimilitudinem habere eius alimenti a quo partes nutriuntur, aluntur autē partes alimento albo: indicat abſolute natiui caloris dominium in hanc materiam, & alienum calorem parum egiſſe. Si nigrum, natiuus non potuit mutare vel ob imbecillitatem aut materiæ malitiam: ſi aſperum, tum non prorſus dominatur natiuus, eſt ergo malum, non tamen peſſimum adhuc. candidum & inæquale, bonum eſt ſed non optimum, quia vna conditione deceſſit ab optimo, & ſic in cæteris. Quæritur quomodo albedo in pure generetur, nam pus in iecoris carne & in renibus generatur candidiſſimum, cum tamen hę partes non ſint albæ, ſed vna quæq; pars aſſimilat ſibi alimentum; iuuenum animalium carnes ſunt albiores, nam ſeniorum ſunt nigriores. Caro hepatis & renum non eſt candida, & venæ quæ in his partibus ſunt, non poſſunt pus efficere, ſed fit a carne hepatis, debebat ergo eſſe rubrum pus in iſtis partibus. Cum quid putreſcit fit album vt videmus in ſitu, daß graw vnd ſchimlich iſt. Pus laudabile multo candidius eſt ſemine cum tamen ſemen generetur a glandibus albiſſimis, non ergo videtur color ſemper reſpondere parti mutati. Coctio præcipue fit a neruoſis partibus ſeu ſpermaticis, cumq; hæ partes mutant alimentum (vis alteratrix in ventriculo & iecore molitur concoctionem, mutans alimentum in iecore quidem ad ſanguinem, in ventriculo vero ad idoneum ſanguini humorem) efficiunt id album, vt eo nutriri poſſint ſecundum Medicos: ſitus ſeu caries etiam albeſcit, & velut capillamenta ſuper rebus apparent, vt videmus etiam in attamento, videtur ergo a putredine fieri iſta albedo.

Situs cur albeſcat.

Situs albeſcit, quia multus aër recipitur & miſcetur & quaſi congelatur cum vapore.

Cur quædam putreſcentia non albeſcant.

Multa putrida etiam non albeſcunt, vt ſitus, quia aër non ſic cum iis permiſcetur: quædam putrida potius nigreſcunt, vt poma putrida, pyra, &c. bilis putrida etiam non albeſcit. quoties humor aptus nutrire partes corporis, a natiuo aut ſimili ei alteratus eſt neceſſario candeſcit; ſi alteretur ab alieno, induit formas valde diuerſas, ſeu colores, prout multū diſcedit, aut parum a natiuo, albeſcit. nam omnes corporis noſtri partes albæ ſunt magis & minus, ſi ſubſtantiam conſideremus, & de partibus ſpermaticis nemo dubitat: ſed de carnibus etiam nō eſt dubium, nam caro ſecta in laminas tenues, apparet alba ſi ſit ablvta. nam quod abluitur, non pertinet ad ſubſtantiam carnium, eſt perinde ac ſi quis linteum intingat in aquam rubram,

Carnium verus color cur non appareat.

Verus carnis color nō apparet ob humorem admiſtum, caro iecoris & lienis etiam albeſcit, lien nigriore ſanguine nutritur, ideo nigrior eſt, & pus quod in liene erit, non erit tam album: cor & iecur etiam candicant, quod patet cum cocta ſunt, non tamen albeſcunt vt caro muſculorum; non ergo pus album tantum eſt, quia a ſpermaticis alteretur ſanguis inflammatus, nam in quibuſdam muſculis generatur multum pus, & non poſſumus dicere fieri a partibus ſpermaticis & fibro-

Lien cur nigrior ſit.

ſis,

ſis, fit ergo a calore natiuo cuicumq; parti conceſſo. Pus ergo non fit album & bonum ratione ſpermaticarum tantum partium, ſed etiam caloris natiui. tale pus bonum eſt, indicatur enim id alteratum eſſe a natiuo aut qui ei non diſſimilis admodum eſt; alias non album fuiſſet, quæ pars alimenti in vulnere conuerſa eſt in carnem, & mutata a ſolo natiuo, altera quæ ſuppuratur ab vtroq; calore: omnis ſanguis, antequam partem nutriat fit albus, quia eſt alteratus a calore natiuo partium. Sic etiam ſanguis ad vbera fluens, cum in lac vertitur, fit albus, quæ certe albedo a ſolo natiuo calore in ſanguinem agente, eidem inducitur, &c. Si color non ſit natiuus, tũ ſanguinem non ita in album conuertit, & ille non nutrire ſic poterit. Si caro mamillarum eſſet non alba, tum lac generaretur album a calore natiuo, quamquam fortaſſe minus fieret album.

Albedinis in pure cauſa efficiens.

Cur ſanguis partẽ nutriens albeſcat.

EXPLICATIONES IN LIB. II. PROGNOSTICORVM HIPPOCRATIS:

Auctore

THOMA ERASTO D. MEDICO.

Prognoſticum 1.

SECAMVS opus in libros, & certas partes, vt commodius citare teſtimonia poſſimus. Particula δὲ, indicat cohærere iſta cum ſuperioribus. Hydrops dictus ab aqua, quia vna ſpecies eius totam ventris cauitatem aqua replet. Tympanites nothus hydrops, quia nunquam eſt ſine aqua, licet plus ſit flatuum, quam aquæ. Aſcites autem plus aquæ quam flatus habet. Tertia ſpecies eſt tumor vniuerſi corporis, excitatus ab humore albo inſtar lactis. duæ priores fere tantum ventrem & partes inferiores occupant, ſuperiores autem tabeſcunt. Anaſarca autem fere totum corpus æqualiter occupant, ideoq; omnes intumeſcunt. Omnes fere moriuntur, qui ex acuto morbo incipiunt laborare hydrope, quando incipit a parte vacua, &c. non fit, niſi hepar ſit per conſenſum affectum; ounqnam omnino hydrops generatur, niſi ſanguificationis officium intercidat. Sicuti autem ventriculi coctio magis minúſue læditur, ita etiam in hepate accidit. Aliquando enim hepar per ſe proprio affectu, aliquando per conſenſum aliarum partium afficitur, vt probum ſanguinem oon amplios generare poſſit. Cum tamen proprio laborat affectu, multo magis impeditur ſanguificatio, quam ſi per aliarũ partium laborantium conſenſum afficiatur: ita enim non poteſt hydrops fieri, afficitur aliquando, quia morbi cauſam in ſe habet, aut quia aliarum partium affectiones communicari ſibi patitur. Conſentit aliis quia ſunt vicinæ, aut quia magnis venis, neruis, arteriis quaſi colligantur hæ partes, quæ alias non adeo ſibi ſint vicinæ. Sic autem iecur per magnas venas copulatur lieni, ventriculo, & inteſtinis. Sic quoque os ventriculi cerebro conſentit eadem de cauſa, & contra facile etiam cordi, quia vicinum ei eſt; iecori etiam ventriculus conſentit facile, quia multas & magnas ab eo venas accipit, eiq; vicinus eſt. cum affectus aliarum partium recipit hepar, dicitur adhuc fieri, & ſi nondum hepati ſit firmiter impreſſus, curabilis eſt; ſin autem in ipſo hepate ſit hydrops, vix curabitur. Duæ ſpecies hydropis ſolent poſt acutos generari. 1. cum afficiuntur partes inaoes, id eſt, lumborum: vt ſunt inteſtinum ieiunum, lactes & inteſtina tenuiora. Vocat enim partes inanes, quæcunq; inter extremam thoracis coſtam, & femoris oſſa habentur. Nam inanis videtur omnis talis ſedes, ſi eam cum ſupernis infernisq; partibus, vtriſq; oſſeis conferas, & omnis talis flaccida habetur, niſi cibo & potu fuerit quis repletus, quas cingimus ſunt inanes ab oſſibus. Lumbi dicuntur ob muſculos duos vtrinq; vnum, qui ſic vocati ſunt. Mali.] Nam non tollunt febrim, &c. morbus qui ſuperuenit alteri, atque eum non tollit, eſt malus: ſi iam etiam dolorem inferat, adhuc multo peior, & mortalis eſt. Plurimi.] Videtur igitur velle, aliquos non ab his partibus oriri, ſed hoc non vult: omnis hydrops ex acuto generatus ſit, quia hepar aut primo affectũ eſt, aut partes vacuæ, quæ

Hepar bifariam affici poteſt.

Partes inanes hoc loco.

ſunt a coſta vltima vſq; ad os ilii. In anteriore parte regio hæc fere eſt ſub vmbilico: in his partibus ſunt tenuia inteſtina, lactes, meſenterium, renes. Vult ergo poſt acutū fieri hydropem, vna aliqua aut pluribus hiſce partibus inflammatis, cum ſcil. earundem inflammatio hepati communicatur, aut debilitato ipſo hepate primario aliquo affectu.

Prognoſticum 2.

Signa hydropis per conſenſum nonnum partium.
Proprium ſignum talis hydropis.
Diarrhœa cur in tali hydrope fiat.

Tradit ſigna horum hydropum. Pedes fiunt œdematoſi, eſt incertum ſignum, nam etiam ſine hydrope fit, quādo hepar eſt affectum. Fluor diuturnus,] Hoc eſt proprium ſignum inflammatarum vicinarum partium; nam his inflammatis debilitatur hepar. In omnibus dictis partibus inflammatis venæ debiles fiunt, per quas iecur ad ſe trahit alimentum. non igitur ſeruire amplius poſſunt viſceri ad diductionem, neq; manet in ieiuno, tenuioribusque inteſtinis alimentum: nam cum ab eo tamquam debilia grauātur, ſtatim id omne deorſum pellunt, & non poteſt attrahere aut retinere ſanguinem. 1. fit ergo fluor, i. debilitatio hepatis, retinere ſanguinem non potentis ob inflammationem vicinarum. 2 obſtructio ab inflammatione facta, ob quam cibi diſtribui nequeunt. 3. ciborum corruptio & plurima bilis generatio ob inflammationem perpetuo expultricem ſtimulantem. 4. Humorum toto e corpore propter has partes inflammatas & doloris confluxio ad has partes. his etiam inflammantes fiunt obſtructiones. 2. non poteſt ergo humor diſtribui, ergo in inteſtina effunditur. 3. ob hanc inflammationem etiam vicinę inflammantur, & corrumpuntur cibi, & fit plurimum bilis arrodens, fit ergo fluxus perpetuus, & venter non detumeſcit, quia nihil educitur aquæ ibi collectæ, illa enim aqua non eſt in inteſtinis. 4. quia propter dolorem illarum partium omnis generis humores toto e corpore confluunt & iſtum fluxum pariunt.

Cur venter in hoc fluxu non detumeſcat.

Prognoſticum 3.

Partium actiones quando lædantur.

Cupiditas ſcilicet tuſſiendi, &c. Actio partis lædi nequit, niſi inſtrumentum quo perficitur actio, lædatur: ſanguificatio ergo non læditur, niſi lædatur inſtrumentū, quo ſanguis perficitur. Nunc tradit ſigna hydropis profecti primo ab hepate, ſeu ob hepatis proprium affectum. Tuſſiunt, quia iecoris moles incumbens ταῖς φρεσὶ, anguſtiam in pulmone facit non diſſimilem admodum ei, quæ fit ob defluentem e capite materiam, vt magis cupiant tuſſire quam tuſſiant; nam irritantur tantum, & deſinunt experientia in diſpoſitionis exquiſitiorem notitiam diducti & ſentientes, quam temere quid ſe per tuſſim reiecturos ſperarint poſtea, nihil enim expuunt, niſi aliquantulum ſeroſi tenuiſq; humoris, qui cuiuſdam ſudoris inſtar e vaſis ſanguinem continentibus in aſperam arteriam quaſi expreſſus fuit. Vide aphoriſ. 35. lib. 6. item. 47. lib. 7. hic non loquitur de ea, de qua in aphoriſmis. 1. ob externam cauſam, & defluxionem in aſperam arteriam fit tuſſis, & tum nihil eſt mali. 2. ab ipſomet hydrope ſtatim ab initio. 3. quia hydropis materia recipitur per meatus in pulmones, aut fit ob extinctum calorem hepatis, & eſt ἐπιγέννημα hydropis: hic loquitur de ea quæ eſt cum hydrope. Signa pathognomonica & συνεδρεύοντα differunt. Sunt etiā quædam critica, tuſſis de qua in aphoriſmis loquitur eſt, ex aſſidentibus: non enim in omni hydrope eſt, & malitiam eius indicat. Hic ſignum eſt pathognomonicum. vide cap. 6. & 7. lib. 5. de locis affectis, cum inflammatur hepar, tum comprimit diaphragma, ſi partes gibbæ, vel ſimæ tenditur deorſum, & quia alligatum eſt fibris, ſecum trahit ſeptum trāſuerſum, & ſentitur ſenſus peregrinus: inſurgit ergo expultrix, vt eiiciat, quia autem nihil inuenit, fit tuſſis inanis. Tales cum ſæpe tuſſiunt, tandem deſinunt, licet irritentur. Hoc modo in ventriculo fit ſingultus & vomitus, cum quid moleſtum percipit. Sic omnes partes aliena ad ſe depellunt. Sic in thorace cum aliquid impedit reſpirationem, tum inſurgit, & vult expellere, at hic nihil poteſt, quia nihil eſt in aſpera arteria, quod eiici poſſit. Et pedes intumeſcunt.] Quartum ſignum, quod tamen non proprie hunc hydropem indicat, nam etiam in hydrope apparet, ſicut in præcedente prognoſtico vidimus. fit hic tumor ob ſanguinem aquoſum, qui a natura eo detruditur, ideo fere ſemper primo pedes tument. Venter non deiicit.] In ſuperiore hydrope diarrhœa perpetua erat, quæ nec tumorem aut dolorem tollebat: hic vero dicit ventrem ſiccum eſſe: alimentum enim in lactibus, & tenuioribus inteſtinis, quæ nihil adhuc paſſa ſunt, ſicut in priore hydrope diutius retinetur. Cum enim firma ſint, eo non grauantur, vt in priore, &c. nihilq; niſi dura & ad neceſſitatem,] i. difficulter deiiciunt, cum ſe ipſum venter cogit comprimendo inteſtina, aut clyſteribus adhibitis. 1. in cauſa eſt abſentia cauſarum illarum, quas diximus in altero eſſe hydrope. Videntur tamen eædem cauſæ etiam in hoc hydrope valere, extrema forte excepta. cum enim hepar ſenſum hebetatum habeat, non poterunt ad hoc propter ipſius dolorem, qui idcirco magnus eſſe nequit, e toto corpore humores fluere, ſicut in altero vidimus. 2. humidi-

Tuſſis multa ſunt cauſa.
Cur pedes tumeant.
Cur venter hic non deiiciat.

tas ob quam excrementa facilius exeunt, dimittitur in locum vacuum inter peritonæum & inteſtina. Si enim aqua in inteſtinis contineretur, non tantum venter intumeſceret. Secto igitur peritonæo, aqua effluit inteſtinis nō vulneratis, videlicet ob hanc inflammationem hepar omnem exugit humiditatem, ergo excrementa manent dura. at hæc ratio etiam in altero valere debebat. Dolor qui propter inflammationem fit, facit diarrhœam, hepar autem non ſentit malum, licet ſit inflammatum, niſi diſtendatur membrana, cui inuolutum hepar eſt, non enim ſentitur aliquis dolor ponderis. Si inflammatio multum durauerit, & hepar debilitauerit, etiam ſequetur fluxus ventris tandem. hinc aiunt Medici cum inflammatione iecoris, plerumq; fluxum alui coniunctum eſſe. Extra hydropem ſemper metum, in hydrope autem illa humiditas ſæpe alio pellitur. Vide lib. 2. cap. 7. Celſi, vbi exponitur, &c. Oedemata.] Poſtremum ſignum hydropis ab hepate nati, aliquando in toto ventre, modo in hac vel illa parte (vniuerſa fere cutis intumeſcit hic, nam pituitoſo nutritur ſanguine, &c. inprimis tum pedes intumeſcunt, qui longiſſime calidis a partibus abſunt, poſtea ſubrepit accidens, illud circa ventrem omnem) & modo apparent, modo non: dum comprimitur manu, fit fouea, & poſtea reſurgit tumor ſi ſit œdematoſus, ſi a flatu non cedit digitis, aut ſaltem non relinquitur fouea, ſic dicitur ſubſidere, & rurſum tolli, vel oriuntur tales humores, & poſtea ſua ſponte iterum abeunt, & interdum fit ſæpius. Ab initio tantum hoc fit: cum enim hydrops eſt confirmatus, non amplius diſcedunt tales tumores. Hoc ſignum in altero hydrope non apparet, venter enim ibi nunquam fit minor, in hoc deſinunt humore vacuato, alióue miſſo.

Hepar quãdo dolorem ſentiat.

Pituitoſi tumoris nota.

Prognoſticum 4.

Nihil habet commune cum antedictis; poteſt tamen fortaſſe continuari, vt dicamus in hydrope etiam refrigerari caput, ſed in hoc ſecundo libro nullum ſeruat ordinem: nūc tranſit ad alia indicia in corpore apparentia. Vide 48. lib. 4. Aphoriſ. & lib. 7. Aphoriſ. 1. Hic clarius loquitur quam in aphoriſmis. Rigor in ardentibus ſæpe bonus, &c. in rigore etiam latera & cutis vniuerſi corporis frigida eſt, in chronicis quibus hieme præſertim ſenes aliquando affligantur, non eſt mirum extremas corporis partes refrigerari. Carnoſæ enim haud ſunt, & procul a viſceribus abſunt. Si autem talia in acutis fiant cū periculum adeſt, vt quidē in aphoriſmis expoſitum fuit, indicatur ignem eſſe circa cor, qui ſic ſinat latera frigere; alia autem inflammatio circa cor, ſpiritus, inſtar cucurbitulæ, & ſanguinem eo pertrahit. Relinquuntur ergo exteriores frigidæ, quæ indicant grauiſſimum morbum circa cor eſſe. 2. ob debilitatem natiui caloris non poteſt extendi ad extremas partes, frigent ergo. Cum ergo his duobus modis tantum frigeant extremæ, internis non frigentibus valde malum eſt, maxime ſi et caput ſit frigidum, in quod tam multæ arteriæ & venæ ingrediuntur. Oportet enim extremam contractionem ſpiritus & ſanguinis, aut debilitatem caloris adeſſe, ſi etiam ipſum caput refrigerari debeat: nam propter hæc vaſa poſtremo demum refrigerari debebant: nā in quolibet affectu ideo facies facile rubeſcit, &c.

Cur ſæpe externa frigeant, & interna v-runtur.

Prognoſticum 5.

Nunc docet quæ ſit optima corporis conſtitutio in acutis morbis: quæ ſit peſſima in acutis conditio docuit, iam huic optimam opponit, in qua ſcilicet corpus æque calidum, & æq; molle, licet enim in ardentiſſimis febribus forte ſit æque calidum, non tamen eſt æque molle. Calidum eſt magis in acutis, quam alias. Molle erit, cum nulla in parte eſt inflammatio, aut a flatu tenſio. tenſio poteſt eſſe a materia diſtendente indicans, crudos adeſſe humores, qui attenuētur a febrili calore. Poteſt etiam tenſio eſſe a minima ſiccitate quæ eſt peſſima in acutis.

Tenſionis cauſa & indicium.

Prognoſticum 6.

Deinde hoc etiam bonum (Morbi vis cum facultatibus conferenda ſemper erit, ſi modo in præſagiendo falli nolimus. Cum enim facultates morbo ſunt valentiores, & error nullus committitur; tum æger certo curabitur, cōtra fiet, ſi morbi maior ſit vis quam facultatum. Sicut autem onera ferentes, ab iiſq; grauati vix mouentur, at ſi onus leuius eſt, facile mouentur; ita etiam in facultate animali res habet. Cum enim valida eſt, corporis onus fert facile, ſi vero debilis, ab eo grauatur, & difficulter corporis partes ſubleuat) ſi facile de loco in locum verti poſſit æger, tunc enim eſt facultas motrix valida, & muſculi funguntur officio. Sic etiam ſi quis facile ſurgat, animalis facultas eſt quæ fert, corpus autem quod fertur, robuſta igitur eſt. ideo hominem dixerunt ἐκ φέροντος καὶ φερομένου conſtare. Spiritus & calor inſitus bene habēt, cum æger facile mouetur;

Prognoſticum 7.

Si totum corpus difficilius moueatur, cum hoc eſt periculoſius quibuſdam aliis ſignis ſupra dictis. Iſta grauitas tũ fere percipitur, cum æger cupit ambulare, aut etiam cubans, crura alio transferre. Similiter etiam cum manibus quid capere aut dimittere vult. Item in ceruice & ſpina ea percipitur, dum çorporis habitum ſecundum eas partes commutare tentat: vel ſic explicabimus, periculoſum hoc eſt niſi a peculiari ægritudine exiſtente in his partibus fiat, ſed ratione acuti morbi accidat; nam ſi propter proprium membri affectum accidat, non periculoſum eſt. facultas motrix non amplius recte habet: nam non poteſt obire ſuam actionem, ergo vel ſpiritus ſunt imminuti, & calor defecit, ergo etiam vitalis, & animalis facultas laborant. In Italia quidam viſus eſt bene habere, quod ad reliqua attinet, pedes mouere non poterat, & tum mox altero die mortuus eſt, & vrinæ ſub veſperã peſſimæ erant. Animalis facultas eſt quaſi superædificata vitali & naturali: iis ergo læſis, non poteſt animalis bene habere. Cor intra ſe gaudere & iraſci facit, &c. extra ſe pulſum: ita quælibet pars princeps aliquid intra ſe, & extra ſe aliquid operatur. Si pulſus & cuſtodia natiui caloris non habeant recte & nullus peculiaris ſit affectus in corde, indicatur nobis facultatem vitalem collabi. Sic de cæteris, &c.

Cordis actio intra & extra

Prognoſticum 8.

Si præter grauitatem corporis.] Tradidit prius indicium languentis motricis a qua muſculi mouentur: nũc addit alterius facultatis, quæ extinguitur, propria indicia. Liueſcere namque ſignum eſt calorem innatum extingui, qui emanat e corde, idcirco non ſimpliciter dicit, liuiditatem grauitati partium accedentem, mortem indicare, ſed continuo, & ſine vlla cunctatione, propterea quod vtriuſque facultatis intermorientis ſigna iam appareant, etiam digiti liueant, præſertim manuum, tum mors eſt propinqua. Vide quæ dicta ſunt de facie liuida. liuor in cute in acutis apparens, fit ob extinctionem natiui caloris qui cuſtoditur ab influente cordis, ſi ergo extinguatur in membris externis, cor eſt affectum, ideoq; ſalutis nulla ſpes adeſt. non enim tantum minuitur natiuus, ſed extinguitur. In ſuperioribus colligimus naturalem & vitalem male habere ob male affectam animalem; hic autem videmus vitalem collapſam eſſe. Si Melancholicus ſuccus cum pituita inferius eiiciatur cum excrementis, ſunt etiam liuida, & ſæpe in criſi vtiliter vacuantur talia: nos autem de eo liuore qui in digitis & vnguibus apparet, loquimur, cum præſertim nulla eſt ſuſpicio, ob contuſionem factam, aut humorem, qui ibi ſub cuticula hæreat, fieri. In morituri entibus ſæpe apparet liuor talis, quia retentrix ſinit effluere ſanguinem eo, i. ad cutim, qui refrigeratus ſub cute liueſcit, vocant maculas mortis vulgo. Vngues ſunt pellucidi, ergo facile demõſtrant nobis calorem ſubiectum. In febricitantibus cum ſpiritus & ſanguis verſus cor contrahuntur, talis liuor ibi apparet. Si citra frigus externum fiat, extinguitur calor cordis, qui non ſufficit pro fouendo natiuo calore, cuilibet parti conceſſo. Cor author vitæ affectum eſt, ergo mors expectanda eſt.

Liuor in acutis quid ſignificet.

Liuor talis cur in morituientibus appareat.

Febricitantium vngues cur liueſcant.

Prognoſticum 9.

Videtur hoc mirabile, cum nigredo ſit indicium perfectæ extinctionis non tantum inchoatæ, vt liuor. Pars in acutis nigreſcit, vel quia materia in eam decumbit, vel quia emoritur. Si fiat ob materiæ decubitum, aliudq; ſignum ſalutare adſuerit, non erit periculum: contra, ſi hæc abſint, & pars emoriatur, &c. Si ſint nigri, videndum quomodo reliqua ſigna habeant: nam ſi bene, ſciendum naturam eo mittere vicioſos humores, quorum decubitus extinguat calorem in iſtis partibus. Sæpe accidit in venenatis morbis, vt ob robur naturæ ad extimas partes materia detrudatur, & extinguat ibi partis calorem, internæ autem retinent ſuum calorem, & non patiuntur materiam retrocedere. Si tantum liueſcant, non indicatur decubitus humorum in iſtas partes, ſed extinctio caloris. nigredo hoc etiam indicare poteſt, adeoq; ipſiſſimam mortem, non autem tum, quando reliqua ſigna bona ſunt, tunc enim decubitus vicioſi humoris in eas partes euocantur, & ſpes eſt, naturam critice per abſceſſum eo detrudere vicioſos humores. nigredo autem abſq; ſignis criticis peior eſt ipſo liuore, citra omnem controuerſiam. Liuor nõ poteſt eſſe ſignum bonum, aut criſeos, vt nigredo, melior ergo ipſo eſt. Liuor indicat non materiam decubuiſſe aliquam, alias pars intumuiſſet, & extingueretur calor eius, & ægri lenius haberent: deinde non poſſent vngues vel digiti tantam humorum copiam in ſe recipere ſicut tota manus, aut aliud membrum. Vide 8. Problemat. 1. cur rigentes liueſcant, nam frigus indicat eius rigoris cauſam eſſe.

Cur digiti in acutis ſæpe nigreſcant.

Nigredo quaſi ſit mala.

Liuor cur nequeat eſſe bonum ſignum.

Prognoſticum 10.

Teſt.ũ & vaſorum contractiõ in acutis.

Retractionem harum partium videtur intelligere, cum contrahuntur teſtes, quod fit, quia ſpiritus & ſanguis vaſorum maxime arteriarũ detrahuntur ad cor, ſequũtur ergo & vaſa,& ipſum pudendum. In omni enim vehemente affectu cordis,ad cor contrahuntur ſpiritus & ſanguis,ideoq; tum rigor etiam fit. Cum igitur eo confluunt, tum valde cor affectum eſt,quod non poteſt non magnũ eſſe malum. Alii veram conuulſionẽ teſtium & pudendi intelligunt,ac tum labores & dolores indicari. Poſſunt conuelli, habent enim muſculos: Conuulſio enim eſt deprauatio motus animalis,qui nõ perficitur abſq; muſculis, & vbi animalis motus non eſt,ne quidem eius motus deprauatio eſſe poteſt. Conuelluntur teſtes ob muſculos cremacteres, ſuſpenſorios, qui ſint vaſis ſpermaticis inuoluti. Habet etiam pudendum vtrinque muſculos binos,facientes ad erectionem,& expreſſionem humoris, qui eſt in virga.

Motus animalis inſtrumẽta.

Nulla pars corporis eiius conuellitur teſtibus, niſi aliquæ partes ſint valde debiliores. nam omnes fere muſculi habent contrarios,quos fratres vocant, alius enim digitum claudit, eius frater oppoſitus,diſtendit. Soli autem muſculi teſtium & pudendi non habent oppoſitos, vt cum contrahuntur,non habent oppoſitos,a quibus laxentur, ſed laxantur tantum grauitate pudendi. Facile igitur leui de cauſa hi conuelluntur,nam in aliis partibus alter oppoſitus muſculus obſiſtit,ne conuellantur,niſi admodum violenta ſit conuulſio. Cum ergo per acutos morbos conuelluntur,indicium naturam grauiter laborare, hoſq; labores primo has partes ſentire,& paulo poſt futurum, vt etiam reliquæ partes conuellantur, quod ſine dolore fieri nequit, indicant periculum mortis; nam non tantum cor, ſed etiam cerebrum eſt affectum. Harum conuulſio eſt initium conuulſionis futuræ in aliis partibus. Poſſumus hoc cognoſcere ab adſtantibus, nam nunquam inſpicimus teſtes, præſertim in adultioribus.

Prognoſticum 11.

Quid ſomnum inducat.

Si quis dormiat mane in tertiam diei partem,&c.] Proponit tres ſomni ſpecies,e quibus de euentu morbi in acutis iudicamus,in ſequente proponit quartam & peſſimam. Quicquid ſomnum inducit,facit hoc,quia ſpiritus reddit quietos & immobiles, & quod hoc nõ poteſt; non adſert ſomnum. quicquid reddit ſpiritus inquietos,vigiliam facit. Diurnus ſi fiat mane ante meridiem,eſt adhuc vtcunque tolerabilis, ſi fiat poſt meridiem, peior eſt. Somnus nocturnus eſt optimus. probatur epilogiſtice,quia fiunt hæc ſecundum naturam & conſuetudinem,non igitur mala ſunt. 1. frigus pellit intro ſpiritus animales noctu, adimit ergo contractionem caloris, & reddit quietum. 2. adiuuant tenebræ, in quibus non cupimus videre. 3. quies,nam per tenebras nemo libenter ambulat, quieſcẽdo ergo facilius obrepit. 4. per diem fatigati, ſpiritus multos conſumſimus, ergo reliqui ſe recipiunt ad fomitem, vt ibi auecti ſufficiant operationibus alterius diei. 5. veſperi etiam liberalius cœnamus ob labores, aſcendunt ergo vapores ligantes ſpiritus. 6. plurimum adhoc facit ipſa conſuetudo. Ob has cauſas ergo nocturnus ſomnus eſt bonus,& obſimiles. Interdiu contra habent omnia. Calor exagitat ſpiritus,& lux,& motus,& reliqua magis turbant. Si tum poſt prandium quieſcamus, etiam facile obdormiemus, nõ tamen ita quiete vt noctu,propter calorem & lucem diei, vt maxime aliud nihil eſſet. Inprimis autem conſuetudo hic obſeruanda. vide libr. 2. de victus rat. in acut. textu 43. Si velimus dormire interdiu,minus nocebit,ſi mane hoc fiat. Terna diei pars continet fere 5. horas vſque ad 10. hoc tempore. Hic enim continuatur cum nocturno, non ergo prorſus malus; ſi fiat a prandio, malus eſt. 1. ob lucem non quiete dormimus. 2. quia magna eſt inquietudo & ſtrepitus interdiu. 3. non ſunt profundi ſomni. 4. quia contracto calore clauduntur pori corporis,qui debent eſſe aperti, vt excrementa vacuentur. pingueſcunt ergo qui interdiu dormiunt. nam excrementa ſi benigna ſunt, & exhalare nequeant, partibus agglutinantur: ſi vero maligni ſint humores & vapores,qui exhalare nequeunt, neceſſum eſt eos corrumpi,& multos varioſq; morbos (prout videlicet corrupti fuerint) gigni,&c. 5. Efficit coctionem inæqualem, nam modo in interioribus partibus calor, modo in exterioribus eſt. ſequitur ergo diſſimilitudo in humoribus. 6. Motus caloris introrſum & extrorſum ſemper quid mali adſert. Cum enim contrahitur & exporrigitur, quaſi frangitur calor. 7. diurnus auget catarrhos,quia fere ſedentes dormiunt,& inæqualiter fit coctio ciborum. Vide Æginetam libr. 1. cap. 97. Si quis adſuetus ſit,cum diurnus,non ita nocet, ideo conſuetis concedit Hippo. Et Celſus libr. 2. cap. 4. præſertim ſiccioribus, vt corpus humectetur, & non euacuetur in ſummo æſtu. Cum fit matutino tempore, tum alimenta ſunt cocta, & adiuuat vicioſorum humorum coctionem, quia nõ ſunt integre cocti, præſertim vero iuuat ægros, qui per noctem dormire nequierunt, donec auroræ tempore aër frigidior fieret, &c. quod naturæ diſſimile eſt, malum eſt, quia naturæ quãdam turbationem indicat. Si mane dormiat in

Somnus diurnus cur minus bonus.

tertia diei parte, minus malum eſt, non tamē prorſus omni vicio caret. boni ſomni tantum Epilogiſticam rationem adfert.

Prognoſticum 12.

Si non poteſt dormire, ſpiritus ſint exſiccati, & excalfacti valde mobiles, ergo delirabit, niſi hoc accidat ob dolorem. Si ſine dolore fiat, cum ſint excalfacti & exſiccati, omnino delirium ſequetur in ægrotantibus & aliis. ita qui ſani habent mobiles ſpiritus, ſemifatui ſunt, & quam primum leuiter incipiunt ægrotare, valde delirant.

Prognoſticum 13.

Hic non multum difficultatis. Alui excrementa naturalia ſunt recrementa alimenti ſumpti, & in ventriculo cocti. Hepar per venas meſaraicas exſugit ex inteſtinis quicquid eſt vtile, eo modo, ſicut trahit magnes ferrum, at quod relinquitur in inteſtinis, eſt recrementum alui, de quo agitur. Si bona ſint.] A conſiſtentia, qualitate & tempore, quo deiectiones excernuntur, dignotionem facit optimæ deiectionis, in ſequentibus etiam alias quaſdam conditiones adiiciet, &c. venter inferior ſanus eſt. 1. Molle, non debet omnino durum eſſe vt lapis, nec adeo humidum, vt diffluat humidum, non tamen nimis, omne tam eſt molle quantum humiditatis habet. 2. Debet molle eſſe, vt ſit conſiſtens, eſt ergo inter liquidum, & durum molle medium. Cohærentia additur, vt limitet mollitiem. Celſus dicit, vt ſint figurata conſiſtentia propria figura. Cohærens,] i. æquale: nam craſſum & humidum numquam inter ſe cohærebunt. In ægrotis ſæpe aliæ ſunt partes craſſæ, aliæ aqueæ. Non tamen contraria deiectio mox inferiorem ventrem contrariatuam habere indicat: ſæpe enim ex hepate & liene quid in eum influit, quod non tantum odorem & colorem ſed etiam conſiſtentiam excrementorum immutat, licet ipſe venter inferior bene habeat. Hoc idem illabens efficere poteſt etiam, vt non ſeruetur conſuetum deiectionis tempus. Optima ergo deiectio non tantum inferiorem ventrem bene habere indicat, ſed nihil etiam dictis e viſceribus, in eum decumbere, &c. quod vero excremētum præter naturam habet, aliquando male affectum, aliquando materiam aliunde in eū decumbere indicat. 3. Debent exire ſolito tempore.] Nam natura valente, ſeruat ſuam periodum in omnibus rebus, & venter ſic facit officium, ſicut certo tempore comeditur cibus & coquitur, ita deiicitur excremētum. Argumentum, naturam a morbo non oppreſſam ſi periodus ſeruetur. Inferiorem ventrem qui ſub thorace eſt intelligit. 1. caput. 2. thorax. 3. venter: intelligit hic in ventriculo & inteſtinis recte fieri coctionem. 4. Reſpondeant quantitati aſſumpti alimenti, non debent pauciora, aut plura excrementa eſſe, quam ferat cibus ingeſtus. Sunt tamen cibi ex quibus perparū excrementi generatur, omnia enim fere in alimentum conuertuntur, ſed ex oleribus fere tantum quantum ingerit, quia parum habent boni ſucci. In acutis autem fere opimi ſucci cibos offerimus: pauca ergo debent excrementa eſſe, & hæc de excrementis primæ coctionis. Alias flaua bilis & atra etiam miſcentur cum primæ coctionis excrementis, quæ debent recte miſceri, & indicatur etiam ſecundæ coctionis excrementa bene habere. quicquid etiam vitioſum eſt in toto corpore, ſæpe cum excrementis critice eiicitur, & tum excrementa non poſſunt iſtas conditiones habere. Loquitur de iis quæ æger per totum morbi tractum excernit. Si aliter habeant, morbus valde affligit naturam, alias naturalis facultas inteſtinorum, ventriculi & hepatis, non admodum læditur. Molle non liquidum aut durum. Tertius venter valet, nam ſic alterat cibos, ſicut ſanitatis tempore, quod non facere poſſet, ſi multum laboraret.

Tres ventres apud Medicos.

Olera multum excrementorum in ſe habet.

Prognoſticum 14.

Inter liquida minus mala deiectio erit, quæ exit ſine ſtridore. Deiectio fit liquida, quia diductio ex ventriculo ad hepar nō eſt facta, vel quia de iecore aut liene in ventriculum quid influxit. Hoc vero interdum vtiliter fit, cum ſcilicet ſine ſtridore, & pedetentim deiectio illa fit: interdum vero male, cum ſymptomatice, quid crudi eiicitur, nullaq; fit diductio, &c. liquidum fit quia alimentum relinquitur in inteſtinis non diſtributum per venas, aut quia alius humor eo deſcendit, non diſtribuitur ob obſtructionem, aut quia hepar non attrahit: ſi ob effuſionem in inteſtina humoris mali ſit liquidum, nō nocet. Stridor indicat permiſtum multum flatum, magna ergo turbatio adeſt. Non frequenter,] i. magna copia, nam facit vt ob copiam animo linquamur, & crebra ſurrectione defatigemur, & nimium etiam vigilemus. Etiam mali humoris eiectioni crebræ vigilia & defatigatio accidunt, quanto magis ergo iſtud fiet, ſi quid etiam boni deiiciatur in crebris illis deiectionibus, & vires collabuntur, febriſque

Alui excrementa cur ſæpe liquidiora ſint.

Alimenti diſtributionem quid impediat.

Stridor quid indicet.

deterior

deterior fit. In ſomno etiam ſelicius coctiones fiunt; per vigilias ergo morbus non coquatur ita bene. Si liquida per iuſta interualla exeant, valida eſt expultrix, quæ poteſt expectare iuſtum interuallum, & excrementum non adeo eſt acre, vt ante tempus ad ſui expulſionem virtutem irritet. vide quæ alibi de ſtranguria dicta ſunt, quæ cum his conferri hoc loco debent. Si crebro deiiciantur alui excrementa, fit vel vicio inteſtinorum, ob debilitatem ac dolorem eorum, aut ipſius excrementi. Inteſtinorum, cum vel parum tolerare nequeunt; excrementi, quod ſua acrimonia ſemper vellicat, & inteſtina abradit, velut in dyſenteria fit. Crebra & pauca deiectio, ſi non aliter, ſaltem ob ſurrectionem crebram nocet. Si multum crebro deiicitur, licet malum id ſit, quod deiicitur, tum animi deliquium inducitur, multoq; citius ſi cum malis etiam quid boni vacuetur. Vide Aphoriſmum lib. 6. aphoriſ. 27. In omni tali vacuatione effluũt ſpiritus multi, & ſimul vacuantur, influens autem calor qui in ſpiritu velut ſubiecto ineſt, & totus morbus difficilius coquitur.

Crebra & pauca deiectio qui noceat.

Caloris natiui ſubiectum.

Prognoſticum 15.

Hæc verba nempe conuenire debere excrementa aſſumptis, &c. non vidẽtur neceſſaria eſſe, cum idem ſit prius dictum, tantummodo ponit numerum deiectionum, quod etiam Galenus improbat. Cenſet enim optimam deiectionem eſſe, ſi more ſolito & conſueto fiat, ideoq; ſuperuacanea verba illa, bis aut ter die, noctu ſemel, &c. quæ non ſunt eædem apud omnes. Quidam moderate & ordinate edunt & bibunt, fere ſemel in die, qui plus, bis, qui ſine ordine, etiam ſine vllo ordine deiiciunt. Deiectio maior, mane debet eſſe potiſſimum, nam veſperi liberalius edimus, & conficitur cibus, interdiu excrementa deſcendunt ob motum & ſæpius excernuntur: inter dormiendum non, & licet deſcendant, tum non ſentimus, ergo cum plus edimus, plus colligitur, & irritatio non ita ſentitur, ideo maior eſt matutina excretio.

Deiectio matutina cur maior fit.

Prognoſticum 16.

Quod interuallis iſtis exit ſubaudi craſſiora.] Naturalis cruda coctio ſemper incraſſatur, vt in externis etiam patet, pyra dura, cocta molliora ſunt, ergo ſalſum hoc eſt. Item ex pane, carne, &c. chylus fit, nec ita craſſus vt ingeſta. Omnia fiunt humidiora non ob coctionem, ſed miſtionem humiditatis. nam ſi pomum poſſet ſine acceſſione humiditatis coqui, non fieret mollius & tenuius. In coctione ſemper aliquid exhalat, & incraſſatur, quod coquitur. Cũ ergo natura morbi cauſam concoquit, quæ eſt craſſa aliquãdo & terrea, permiſcet humorẽ, vt æquabilem faciat, & cum hoc facit, concoquere dicitur. Status non poteſt eſſe, niſi vires conſtent. quantum coquitur cauſa morbi, tantum de liquiditate excrementorum decedit.

Prognoſticum 17.

Significat bilem in hepate tantam & talem generari, quantum oportet, nullamque obſtructionem adeſſe, ſicut in ictericis, ſi ſit ſub flauum excrementum: ſi qua conditio ex enumeratis deſit, non amplius optimum eſt excrementum. Accipit hunc colorem e flauæ bilis permiſtione. Vide 5. lib. de vſu part. cap. 4. Flaua bilis nullam partem alit, ſuccus autem melancholicus, adhuc vtilis eſſe poteſt: non igitur ſtatim eiicitur, quod poſt coctionem in liene relinquitur, per inteſtina eiicitur. Bilis ſtatim eiicitur in duodenum inteſtinũ ſub piloro. Veſicula autem nutritur a ſanguine, qui cum bile permiſtus eſt. In inteſtinis & ventriculo mucus quidam generatur, ſicut e naribus fluit, vt ſit armamentarium inteſtinorũ, quę admodum ſenſibilia ſunt, & facile abſq; iſto muco læderentur ab acribus cibis. Propter hunc autem mucum tarde admodum deſcendent excrementa, niſi bilis vellicans inteſtina, cogeret ea deorſum eiicere excrementum. Fiunt ergo ſubfulua excrementa naturaliter habentia, ſi bilis maior ſit copia, fit valde tinctum & omnino flauum excrementum, ſi nulla ſit flaua bilis obſtructis meatibus, vt in ictericis fiunt alba canum inſtar, ſunt enim reliquiæ eius quod album eſt. Tales longe tardius excernunt, quam ſint ſoliti alias, cum bilis in inteſtina infunderetur. Icterici vix quarto die deiiciunt, cum alias quoudie ſoliti eſſent deiicere, nihil enim ſtimulat inteſtina & irritat; etiam nonnihil nigricant excrementa naturalia, nam etiam aliquid ſucci melancholici ipſis accedit. Quicquid ſua natura non ſœtet, incipiat aũt fœtere abſq; alius fœtidę rei admiſtione, tum certo putreſcit: cibi ergo cum non ſœteant, pateat autem omnia excrementa aliquantulum putreſcere, ſtercus non eſt ſimpliciter coctum a calore natiuo, ſed quantum potuit, non enim eſt materia nobis congruens, alias noſtri pars fieri poſſet, aliquantulum ergo putreſcit, & quæ valde ſœtent ſupra modum communem putreſcunt. Animalia vehe-

Cur excrementa non atra, ſicut flaua bile, tingantur.

Bilis in corpore vtilitas.

Icterici cur tardius deiiciant.

Excrementa valde fœtentia quid indicent.

menter ſicca non valde fœtentia abiiciunt, putredo enim & fœtor maxime in humidis ſe exerit. Animalia valde fœtida, excrementa ſæpe bene olentia deiiciunt, quia excrementa deben eſſe contraria & aduerſa iis, a quibus excernuntur. Sic Martis ſtercus nobis bene olet, male Martibus, noſtra autem ſuibus & aliis grata ſunt: cum cibi nobis aſſimilari per omnia nequeunt, nec recipiant apparatum naturalem, accipiunt aliquid malignitatis, cum ergo in inteſtinis, quæ ſunt calida, illic diu continentur, non mirum ſi putreſcant, &c.

Excrementa quorundam animalium cur boni ſint odoris.

Prognoſticum 18.

Loquitur de rotundis lumbricis hoc loco, ſi exeant cum bonis excrementis, cum ad criſin tendit morbus, bonum eſt: ſi ab initio, aut in augmento exeant fit ob malignitatem in corpore exiſtentem a qua fugantur: cum autem ſuperato morbo exeunt, tum natura omnia noxia depellere ſolet. Vide 26. aphoriſ. lib. 3. Tria vermium genera, vide lib. 5. de generat. animalium apud Ariſtotelem. E pituita adhærente inteſtino, cum coquitur a calore, fit vermis ille quem latum vocant. vide libr. 4. de morbis Hippoc. in fine vocant tineam & teneã, quia ſit tenuis & latus inſtar faſciæ. Generantur vermes omnes e putredine aut ex aliis animalibus. vide c. 19. lib. 5. de generatione animalium. Vide finem libri de formatione fœtus Gal. Generantur a putrido calore, qui partes aptas tandem viuificat. 1. omnes vermes ab initio morbi prodeuntes, prodeunt quia aliquid maligni adeſt. 2. in febre peſtilen. etiam malum: indicat enim maximam putredinem. 3. ſi per ſuperiora exeant, quæ ſunt mobiliores partes, etiã malum. 4. in incremento ſi exeant viui, minus malum, quam ſi mortui, tum enim hoc fit, quando a ſumma putredine occiduntur, nam a calore natiuo non occiduntur, viui indicant magnam putredinem, quam fugiant, immo tantam, vt ea ſint occiſi. Si per inferiora ſub criſeos tempus exeant, bonum eſt, eſt enim ſuſpicio non ob malitiam, ſed naturam pellentem ex... Nunquam ſunt ſimpliciter boni, melius tamẽ eſt eos deorſum a natura, quam ſurſum p...li, ſunt enim præter naturam. Alterorum duorum lumbricorum exitus nihil admodum ſignificant nobis niſi quod Aſcarides indicant putredinem in extremitate inteſtini eſſe.

Vermes unde generentur.

Aſcarides quid indicent.

Prognoſticum 19.

Concluſio de bonis excrementis, ſi etiam accedit hæc ventris qualitas ad bona excrementa, prorſus nihil erit hic mali, venter non debet eſſe diſtentus, & non ſit emaciatus & conſumptus. Mollis opponitur intento ac repleto, corpotatus vero abſumto. Vide 35 aphoriſ. lib. 2. vbi poſterioris partis cauſa exponitur, & eius expoſitionem. habeat venter tumorem, i. carnoſitatem, & tum ſit mollis, i. non multum renitatur tactui.

Prognoſticum 20.

Quæ ſint laudabilia per acutos, docuit. Inter ea autem alia optima, alia minus bona, nulla tamen mala: iam tradit quæ mala ſint excrementa. Sunt indicia coctionis fruentis in ventriculo & inteſtinis, per accidens ergo aliarum partium tantum indicant affectiones, per ſe autem ventriculi & inteſtinorum, & meſenterii, & aliquo modo ſummarũ partium hepatis, propter flauam bilem, quæ permiſcetur, quatenus aliquid per venas infunditur in inteſtina etiam per accidens ſere totius corporis affectus indicant. Non ergo ſimpliciter credendum e...crementis, vt certiſſimis ſignis. ſemper, i. niſi valde mala ſint, valde album, valde viride ... lum eſt inquit ἀεὶ χωρέων, i. qui non ſemel atque iterum egerit, ſed continue egerit. Aqu...a cruditatem aut obſtructionem ſignificant. adeſt magna ſeri copia, & calor natiuus non miſcet ſerum hoc cum humoribus. In obſtructione tantum penetrat aquoſa pars, & retinetur quod craſſius eſt, in acuto peribit æger, antequam crudi humores coquãtur. Albiçans, i. ſicut album eſſe poteſt, nam ſi nihil admiſceatur, ſunt alba excrementa, quod chylus non potuit attrahi, & ab hepate in ſanguinem conuerti. Si album, i. nihil ſubruſi habeat ſtercus, malum eſt: nam 1. ob ingeſtos cibos albos talia ſunt, & tamen nihil eſt mali, vt ſi lac, oleta, &c. ingeſta ſunt, totam coctionem nõ optime peractam eſſe indicatur. 2. ob obſtructionem meatuum, per quos bilis in inteſtina effunditur. 3. cum nulla obſtructio eſt, ſed bilis ob aliam cauſam alio ſe conſert, vt in inflammatione hepatis. Significatur ergo, aut obſtructionem, aut alicuius partis inflammationem adeſſe. χλωρὸν.] Duo ſignificat apud Græcos hæc vox, & nullũ Latinum nomen vtramq; ſignificationem exprimit ſimul, pallidum & viride ſignificat. Pallidum ob permiſtionem flauæ bilis, quæ ſi ſit vſta, viriditatem efficit. Adeſt ergo flaua bilis multa & vſta. Oportet autem valde talem eſſe, & tum demum incrementum magnum huius humoris adeſt. Bilis aquoſa præſertim permiſta cum excrementis efficit ea pallida. Color flauus

Quomodo alui excrementa corporis affectus indicent.

Excrementa aquoſa valde quid indicent.

Alba excrementa quid portendant.

cum

cum vritur fit eroceus, cum autem ei quid nigri permiſtum eſt, & vritur, fit viridis. Viriditas etiam a frigore fit, nam eſt quaſi acceſſus ad nigrum, quod fit a calido & frigido. quod a frigido fir, longo tempore fit, & in acutis noo poteſt tanta frigiditas eſſe, vt inde ſit nata frigiditas; prouenit ergo a iam dicta in acutis. Spumoſum (vide lib. 7. aphoriſ.) exerementum etiam malum, vide quid ſpuma ſit lib.7.aphoriſ.34. a vehemente motu, vt quidem videmus in externis rebus, veluti cum venti maris fluctus hinc inde mouent & agitãt, & a calore magno fit ſpuma: a calore vt in rebus bullientibos, oam calor atteouas partes aqueas, facit eas euaporare, & in aërem conuerti. In Epilepticis ob vehementem thoracis motum ſpuma eſt. Indicant vel magnum flatulentum ſpiritum, quod non fit in acutis, nam conſumitur a calore, ſed fit ob magnam perturbationem: nam calor colliquat partes, & inter ſe agitat, ſicut fere inter ebulliendum accidit. Rubrum excrementum fit a bile rubra, quæ eſt tenuiſſima pars ſanguinis, iam conuerti fere in bilem; differt a ſanguine, quod concreſcit, hæc autem pars ooo concreſcit. Superat ergo eum in acuto hic tumor tam calidus, cum rubent, quod non bonum eſt in acutis.

Spuma cur in Epilepticis videatur.

Bilis rubra quid.

Prognoſticum 21.

Hactenus de ſimplicibus malis: nunc de his quæ plures conditiones malas habent, i. de compoſitis. Duo genera videtur hic depingere, paucum album: lenta & exigua deiectio, a modica fit conſumptione, alias etiam ciborum lentorem efficit. Et viſcidum.] Deinde paucum viſcidum, ſubuiride & læue, quicquid e corpore excernitur, læue redditur, quia vel æqualem habet eõcoctionem, vt nulla eius pars naturæ alterationem ſubterfugerit, aut quia propter vehementem conſumptionem nulla pars materiæ manſit, quæ nõ fuerit paſſa. Sicot ergo quod ſalubre eſt, ſalubrius redditur cum æquale eſt, ita etiam quicquid malum deterius efficitur, ſi ſimul æquale exiſtat. Talis enim æqualitas vel oaturæ elaborationem, vel morbi affligentis malitiam indicat, prout cum aliis bonis aut malis ſigois coniuncta eſt. Differunt autem hæc duo, ratione maioris & minoris, nam excrementum paucum glutiooſum & candidum fit a calore non valde maligno, quod autem eſt ὑπόχλωρον καὶ λεῖον, fit tale ob maiorem calorem, aut quia pinguedo vetuſtior & velut ſemiputris exiſtit. Subuiride autem vehementis conſumptionis indicium eſt: hæc deteriora prioribus, paucum & viſcoſum ob colliquationem, nam calor eliquans tale efficit, ſi eſſet multum, a cibis prouenire poterat. Si ſit album, pinguedo eliquatur. Si ſubuiride, tum vel ſolida & vetuſta pinguedo, vel carnes eliquãtur, aut etiam accedit putredo: ſin æquale, adhuc deterius erit, nam æqualitas alias oſteodit dominium natiui caloris io excrementa: cum autem pugna eſt inter vtrumque calorem, fit inæqualitas. Cum vero vitioſa & ſimul æqualia, iam prorſus domioatur calor præter naturam, nam ſi inæqualia eſſent, natiuus adhuc ſaltem aliquid ageret.

Prognoſticum 22.

Licet ſæpe appareat eliquatio, non tamen ſemper moriuntur, licet periculoſe ægrotẽt. Nigrum] Nigra deiectio a ſincera bile tingitur: Liuida vero cum modica modice permiſcetur. Peſſima autem deiectio eſt cum pinguedo ab inoato calore conſumitur. Graueolentia vero putredinis indicium eſt, &c. Hæc Gal. Fit 1. ob permiſtionem ſucci nigri, vt eſt melancholicus, atra bilis, ſanguinis, vide lib.4. Aphoriſ. 21. Atra bilis eſt melancholicus ſuccus vſtus, & iam acidus redditus, vt terram fermentare poſſit, de quo etiam muſcæ non guſtant. Si hic ſuccus ſit atra bilis, qui eſt permiſtus, morietur. 2. ob vſtionem, & ob frigus, hic autem non de frigore ſermo eſt: nam in acuto tantum non eſt, &c. 3. frigus efficit nigrorem, vt videmus in carbonibus extinctis. Si ab vſtione fiat io acuto, maximum periculum eſt. Eliquari poteſt vel pinguedo, vel caro, vel carnes ſolidæ. 1. ſi ſola pioguedo ſoluatur, non ita periculum eſt magnum: cum carnes etiam eliquãtur, tum eliquatum rubeſcit. Liuens, color fuſcius, plumbeus, cinereus fit etiã bifariam: 1. ob admiſtionẽ paucam melancholici ſucci. 2. ob extinctionem natiui caloris, aut ob calorẽ adurentẽ, & tamen in nigredinem cõuertuntur. Eſt.n. liuor quidam ad ingredinẽ gradus. æru[illegible]oſa, ob aſſatiõnẽ flauæ bilis. Vide 13 Problem. 5. vbi dicit calorem fœtorem augere. Diu[illegible]etenta extreme exſiccantur, ideo minus fœtent: contra accidit in excrementis veſicæ, hæc enim quo diutius retinentur, tanto fœdiora redduntur.

Partium colliquatio non ſemper letalis.

Eliquari quæ poſſint.

Æruge quæ fiat.

Prognoſticum 23.

Hactenus de iis quæ vnum tantum calorem habent: nunc de variegatis agit. Habuimus quæ ſint optima, poſtea quæ illis proxima, deinde mala, & quæ peſſima. Hactenus de ſimpli-

Varii colores biſariã deiiciũtur.

cibus ſpeciebus egit excrementorum,& non admodum expoſuit diuerſos colores. Bifariam eiiciunt variegata 1. vnius coloris excremẽta,altero die alio modo colorata. 2. ſimul & vnica deiectione quædam videntur nigra, flaua, alba. Siue ſimul deiiciantur, vel ſeorſim, minus citum exitium ſignificant. Si deiiciantur talia medicamento præbito, vide aphoriſ.21. lib.4, tum non adeo malum eſt, imo ſæpe eſt bonum. Non oportet nos etiam de qualibet mutatione colorum intelligere, ſed de illorum, qui in textu ponuntur: vide aphoriſ.14. lib.2. iuuant aliquando mutationes excrementorum, niſi fiant ad malum. Hic loquitur de varietate malorum excrementorum, quæ fit ad peius. cum enim ad melius fit, non indicatur quod ſit perniciosum hoc. vide aphoriſ.47. lib.4. Si exeant ſponte non in die decretoria, nec ad melius fiat, mutationẽ item nulla præceſſerit coctio, ea non minus ſignificant mortẽ, quam ſuperiora. fiunt enim ab iiſdem, a quibus illa, cauſis, tardiorem tamen indicant mortem. Sed affectiones plures malæ debebant citam nunciare mortem, non tardiorem, nam ſi pingue exeat, craſſiuſculum, liuidum, nigrum, &c. quomodo tardius indicabunt mortem futuram? Talia multa ſimul tardiorem ſignificant, nam indicant malignum affectum in corpore, non tamen adeo malignum, vt fit in eo affectu, in quo ſemper eadem malina permanent excrementa conſtanter. cum mutantur excrementa, non adeo malignus eſt affectus, quin ſemper natura adhuc moliatur mutationes, quod nõ poterat facere affectu adeo maligno exiſtente, qui poteſt omnes humores in liuidum aut nigrum colorem conuertere, vel in alium qualemcumque colorem malum. Affectio quia non ita maligna eſt, nequit omnibus humoribus eundem inducere colorem, vt in ſuperioribus vidimus. Supra dictum eſt peſſima eſſe excrementa quæ per omnia eſſent æqualia, vide ſupra, Prog. 21. huius lib. 2. explicat. vide Cõment. Gal. in eum locum: dicit eſſe χρονιώτερα, & tamen de acutis hic agitur. Reſp. agit de acutis, & iis qui ex acutis naſcuntur. Conſtat eroſionem ſæpe a bile factam eſſe, & ramenta cruenta exiiſſe, citra magnũ periculum. Reſpõſio, ſi ob dyſenteriam talia exeunt, multi ſeruari poſſunt. Hic loquitur de excrementis, quæ ſunt accidẽtia alius morbi, vt vehementis febris: nam indicant morbum ob quem iſta fiunt ramentoſa, valde malignum eſſe. Si quis acute febriens, ramentoſa deiiciat, dicimus exulcerata inteſtina eſſe ob humorem acrem erodentem. Si tantum dyſenteria, nihil aliud præter dyſenteriam conſiderabimus: ſi fiant ob alium morbum, plura iam, & non ſolam dyſenteriam conſiderabimus, pendet enim illa ab alio morbo acuto. Certe cum hoc modo vritur bilis a morbo acuto, tum calor natiuus admodum proſternitur, & æger in maximo periculo eſt. Ramentoſa.] Cum partes tunicæ inteſtinorum abraduntur latæ, inſtar numi, crucigeri, medii bacii, fere ſicut ſordes quæ abraduntur, a corio a corraceis. nunc oſtendit, quæ ſint variegata. Valde biliosa indicant morbum valde vehementem eſſe. ſi ſola eſſent biliosa, iam minus mala eſſent, quam ſi ſimul cum aliis, aut per viciſſitudines deiicerentur.

Prognoſticum 24.

Prognoſticum hoc facile eſt. ἀνειλέεσθαι eſt ſurſum volui, cohibere, &c. Nunc præcipue de eo flatu qui ſine excremẽtis exit, ſi ſine ſtrepitu exeat, optimum: ſi cũ ſtrepitu, indicatur pręterea magnam flatuoſi ſpiritus copiam adeſſe, aut meatuum anguſtiam: cõtra vero ſi abſque ſtrepitu exeat, &c. tum vel dolorem ſignificat vel delirium: cum enim pedunt aliorum in pręſentia, non ſatis quid agant, aut quomodo ſe gerant, intelligunt, delirant .n. aliâs hoc nõ facerent, &c. nam cum dolent circa anum, ob dolorem exprimimus nobis nolentibus. Si non doleat & exeat cum ſtrepitu, volente ſic ægro in præſentia Medici, tum aut natura impudentior, aut ita familiaris eſt Medico, vt nõ curet etiamſi pedat. Præſtat exire cum ſtrepitu, quam

Flatus generatio.

rurſum ad ſuperiora conuertatur. vide lib 3. de ſympt. cauſis, cap. 3. Flatus eſt humor craſſus in ſpiritum flatulentum conuerſus, & fit a calore imbecillo potente agitare materiam, non autem diſcutere, ideo in magno æſtu & frigore non fiunt flatus, ſed cum calor eſt mediocris. Sine ſtrepitu bonum.] Nam ſignificat paucum eſſe, & laxum inteſtinum ſeu meatum nõ clau-

Cur malũ ſit, ſi flatus retineatur.

Flatus quãdo naturaliter exeant.

ſum, contra ſi cum ſtrepitu exeat. Vel ideo bonum, quia paulatim & non cum impetu exit, & expellitur a natura recte & paulatim, non autem violenter agente. certe qui cum vi exit, ſemper excitat ſtrepitum. Retinere flatum, eſt quiddam præter naturam, ideoq; malum. Natura cum dominatur & recte agit, paulatim ſemper agit, non violenter. cum naturaliter flatus exeunt, vt fit inter dormiendum, tum exeunt nobis non comprimentibus. Si retineantur in corpore flatus, diſcurrent, & facile nocere poterunt, &c.

Prognoſticum 25.

Flatus interdum dolorem aut etiam tumorem efficit: ſi ergo nouus & ſine inflammatione tumor generetur in hypochondriis, aut dolor, tum generatus eſt a flatu, præſertim ſi inten-

tior

nor ſit talis humor vel dolor. Si iam inteſtina incipiant murmurare, & cum ſtercore. ὑ δὲ μὴ διαπεραιωθεὶς, ſi vero cum ſtercore aut vrina non egrediatur, ſed locũ tantum mutet, etiam prodeſt, aut vna exeat flatus, ceſſat dolor. Si autem flatus nõ excernantur, ſed tantum ad inferiora loca deſcendant (quod fere in βορβορυγμῷ fieri ſolet, ideoq; βορβορυγμὸν talia accidentia ſoluere dicit Hippoc.) tum etiam ille color, aut tumor ille œdematoſus, quem κύρτωμα vocat in hypochondriis euanuiſſet: liberata enim iam ſunt cauſa efficiẽte talia accidentia, vt tumor; nam cauſa eſt ablata per hanc vacuationem tam doloris, quam tumoris in illis locis. vide lib. 4. aphoriſ. 73. item lib. 3. de ſymptom. cauſis cap. 3. quid proprie ſit borborygmos. βορβορυγμὸς non tantum ſpiritus indicium eſt, ſed cum humore permiſta, &c.

Quinam tumor in hypochondriis a flatu ſit.

Prognoſticum 26.

In primo libro fere ſine exacto ordine de iis quæ in oculos incurrunt egit: poſtea de excrementis, & fere omnia quæ ſolent in ægrotis obſeruari, de alui excremẽtis dixit: ea. n. primo & per ſe tantũ inteſtinorũ & vẽtriculi affectus ſignificãt, aliarũ aũt partiũ tantũmodo per accidẽs. Cũ ergo nõ ita multa poſſint ſignificare, nũc ad vrinatũ notiriã, quæ plurimũ faciũt ad dignoſcẽdos morbos vniuerſales venoſi generis. Eſt aũt vrina optima, cũ nequaquã incoctus humor cũ eõcocto apparet. Supra Prog. 6. & 7. huius lib. 2 de iudiciis facultatis animalis egerat: nunc vero de iis quæ a naturali facultate ſumuntur docet. Ea vero alterans & concoquẽs. Huius ergo facultatis in ventre indicia ex iis quæ per aluum reiiciuntur, agnoſcimus. Eius autem quæ in hepate & venis, ex vrina. In his enim indicia clara ſunt partim optimæ. partim mediocriter bonæ, partim etiam malæ, & item peſſimæ coctionis, &c. ſicut etiam in ventris excrementis indicia talia apparent. Sunt autem morbi fere omnes in venis & arteriis, qui oriuntur ob vitium humorum, qui corrupti inducũt morbos. vrina indicium eſt affectuum qui in vaſis continẽtur, ideo multa plura ſignificat, quam alui egeſtiones. Hippo. & Gal. nuſquam tradiderunt methodice totam tractationem de vrinis, ſed ſparſim hinc inde ſuas ſententias, & quam vim haberent expoſuerunt. Extat libellus de vrinis Galeno attributus, at non eſt Galeni, licet pleraq; ex Hippoc. & Gal. ſint excerpta, videtur eſſe Oribaſii. Scripſit etiam Actuarius quædam, inter quæ non ſunt omnia vera. Deſcribitur hic vrina optima, bona, laudabilis; quæ per ſe nota ſunt, omittit, quia ſtudet breuitati: quæ non neceſſario conſequuntur, illa ponit. Illa eſt optima.] Nam promittit ſecuritatẽ & breuitatem. Vrina eſt materia ſanguinis aquoſa in cibis & potibus ingeſta, alterata in hepate & bile tincta, tranſiens per renes in veſicam. Non differt a ſudore niſi loco. Quicquid cibi aquoſi habent, id etiam vertitur in vrinam. Qui bibunt etiam vinum nigrum, albam vrinam mingunt, quod ſine alteratione fieri nequit. Vrina non tantum ſerum ſanguinis, ſed etiam quod in eo continetur, ſignificatur. 1. & vel in extrema ſuperficie, & nubes. 2. vel in medio, & ſuſpenſum dicitur. 3. vel attingit fere fundum, & hypoſtaſis dicitur: & hoc nomine quicquid in fundo ſubſidit, vt calculi, pituita, hypoſtaſis dicitur, &c. quod in vrina eſt, παρυφιστάμενον. Iudicant de qualitate humorum ex vrina & facultate virium. Subſtantia aquea & quod in ea continetur, duæ ſunt præcipuę partes vrinæ. Eſt etiam ſpuma, ſed non præcipua pars, in aquea ſubſtantia. Conſiſtentia & color in hypoſtaſi idem fere, & in vtriſq; odor. Videtur nullam facere mentionem aqueæ ſubſtantiæ. Sed eſt neceſſarium, quæ vrina talem habeat hypoſtaſim, etiam conſiſtentiam habeat mediocrem & recte coloratam: ſi autem poſſet talis hypoſtaſis eſſe cum mala conſiſtentia aut colore; haud dubie etiam additurus eſſet, oportere ſubſtantiam & colorem etiam recte habere. Vrina.] intelligit totum, aquoſam ſubſtantiam & contenta. Videtur eſſe eadem cauſa albedinis in ſedimento (quicquid alimenti in ſanguinis generatione naturæ confectionem refugit, ſubſidit in vrina: non igitur ſicut ſanguis ab ea eſt cõmutatum, neque etiam ſicut pars cauſæ præter naturam vllius particeps eſt, quod enim mutari aliter non potuit, id non calori recte agenti, ſed potius materiæ inhabilitati aſcribẽdum eſt, &c. ſic natiuus calor panem in ventriculum ingeſtum, in chylum & ſanguinem cõuertit, minime vero auenam & alia quæ in ſanguinem vt vertantur, minime ſunt idonea, &c.) Idem in ſemine, & pure. Vide Comment. Gal. in 45. Prog. lib. 2. Hypoſtaſis Gal. teſte, nulla apparet, ſi tenuiter vrinatur, copioſa vero ſi largius, exigua vero ſi mediocriter. Ac in morbis bilioſis magis eſt crocea & paucior, in iis autem qui a crudis humoribus fiunt, magis candida & copioſior. Si hypoſtaſis alba ſit, tum calor eã generans eſt moderatus, ergo non intemperatus erit qui hoc efficiat. Lienis in partium æqualitate, aſperitate & lubricitate, cuius partes omnes ſunt æquales, vel ſunt æqualiter affectæ, per omnia ſimiles; item quod nõ diuulſum & diſiunctum eſt, vt nullus intercedat humor aut flatus læue dicitur, non ſit vrina angulata. ſic inter nubem & nubem, quæ diuiduntur, cælum aliquando videtur. Æquale.] quod partes æquales habet, læue autem etiam de eo quod ſuperficiem non aſperã habet: læuitas proprie de ſuperficie, læuis quando hypoſtaſeos partes ęqua-

Vrina quos affectus indicet.

Vrina quid ſit.

Ex vrinis quid iudicare poſſimus.

Quæ conſiderentur in qualibet vrina parte.

liter aſſurgunt in pyramidem, æquale de æqualiter craſſis vel tenuibus dicitur partibus. Læuis eſt cum a flatibus non diſpergitur; æqualis, cũ calor natiuus æqualiter toti materiæ dominatur. Non ſtatim ab initio ſemper talis debet vrina eſſe, ſed cũ incipit talis fieri, talis debet manere: ſi ab initio talis ſit, quarta ſoluetur acutus morbus: ſi demum quarta die, in ſeptimo ſoluetur. Vide lib. 4 aphoriſ. 71. Si die ſeptima futura ſit criſis, quarta die appatet nubecula rubra. Aquea ſubſtantia, ſemper ante hypoſtaſin coquitur. In ſubſtantia craſſitiem, tenuitatem, & mediocritatem conſideramus. Nihil melius quam ſecurum, i. non periculoſum, & breuem fore morbum. Vrina ſecuritatem promittens, ſignificat morbum eſſe abſq; periculo, citoque integre exſoluendum, nec amplius recurſurum. Hæc autem indicat in morbis vaſorum hoc ipſum, &c. ſi mingatur aliquando cum hypoſtaſi, aliquando vero pura, i. abſq; hypoſtaſi, tũc adhuc bona eſt, non tamen æque bona vt prior, nam natura nondum omnem morbi materiam vicit adhuc: partem autem coxiſſe, eſt bonum, non coxiſſe totam, non eſt.

MORBORVM NATVRAE MEDICATRICES. HIPPOC. LIB. VI. DE MORB. POPVL.

ſect. 5. aphoriſ. 1.

Gal. lib. 1. de Symp. cauſ. cap. 1. 2. aph. com. 34. De differ. morb. c. 1. Gal. art. par. c. 85.

NATVRA appellatur omnis illa facultas, quæ animal aut voluntatis nutu, aut citra hunc regit.

Conſiſtit vero hæc in debita ex quatuor elementis temperatura.

Ab hac actiones omnes dependent. Talis autem diſpoſitio, in qua inoffenſe omnes corporis noſtri actiones obeuntur, ſanitas vocatur. Quamobrem nõ abs re fuerit ſanitatem Naturæ acceptam referre.

Huius modi autẽ ſanam conſtitutionem corporis conſeruare non poſſumus, ſine conuenienti modo earum rerum quas non Naturales appellant. Aerem enim ad vitalis caloris recreationem neceſſario inſpiratu attrahimus. Alimenta ad ſubſtantiæ noſtræ, quam calor natiuus continuo depaſcitur, nutritionem & corporis noſtri augmentum aſſumuntur.

Motus ad caloris noſtri vegetationem, alimenti diſtributionem, excrementorum propulſionem & membrorum robur conducit. Quies defatigatis exercitio partibus ſolatio eſt, attritas vires recreat, concoctionem promouet.

Somnus cibos conficit, humores concoquit, animi ægritudines obliuione delet, mentis inſaniam corrigit, animales ſpiritus vigiliis exhauſtos renouat, & totum corpus humectat.

Vigiliæ animalibus actionibus edendis neceſſariæ ſunt, & ad publica priuataque vitæ munera requiruntur, corpuſq; exſiccant. Et quum iam ſingulæ etiam corporis partes nutriri debeant, quicquid hiſce nutritionibus inutile ſuperat, id pro excremento colligitur, debitoque tempore & congruis meatibus expurgatur.

Huiuſmodi ſunt mucus, ſputum, vrina, feces alui, ſudor, inſenſibilis transſpiratus, menſes, hæmorrhoides, ſemen. Quorum ſi vel vnum præter iuſtum tempus & modum detineatur, mox animal noxam incurret.

Præter iam dicta & animi perturbationes recenſentur, quibus cum varie afficiamur, ſi modum exceſſerint, facile morbos accerſunt, adeoq; mortem ſæpe, cuiuſmodi ſunt ſpes, metus, gaudium, triſtitia, ira, verecundia, amor, odium, & ſimilia.

Hæc ſane omnia mediocria eſſe oportet, vt ſanitas conſtet. Sin autem a mediocritate notatu digna fiat declinatio: Naturæ ſtatim damnum infertur, quo ſi actiones ipſius lædantur, iam morbus appellatur.

At quia ſanum corpus ex ſimilaribus & inſtrumentalibus partibus componitur. Similarium vero ſanitas in quatuor primarum qualitatum commoderatione conſiſtit, ſane in earundem dyſcraſia morbus inuenietur. Nempe vel calida vel frigida, humida vel ſicca naturæ modum manifeſte excedente, idq; vel ſimpliciter vel compoſite.

Rurſus cum ad inſtrumentorum ſanitatem etiam requiratur decora conformatio, numerus, magnitudo & compoſitio partium conueniens: profecto quicquid in his peccari fuerit, idipſum pro morbo æſtimabitur. Similiter ad probam conſtitutionem partium tam ſimilarium quam inſtrumentalium opus eſt, vt vnitæ & continuatæ maneant. Si quod enim vnionis incidat diuortium, haud dubie & illud morbus erit, vtriſq; communis. Ambæ enim diuidi, diuelli & rumpi poſſunt.

His ita conſtitutis videamus omnium ne morborũ aut nullorum omnino an vero quorundam tantum Naturæ ſint medicatrices. Si omnium dixerimus, ſane fruſtra medicina excogitata foret, in quam tamen tot præclara ingenia, tot iam ſæculis deſudarunt. Et certe vſus ipſe oſtendit quoſdam eſſe affectus, qui Naturæ vim contemnant. Nam fortem apoplexiam 2. aph. 42. ſoluere impoſſibile eſt. Præterea profundum veſicæ, cerebri, cordis, præcordiorum, inteſtino- 6 aph. 18. rum tenuium, ventriculi, iecoris, vulnus, lethale. Similiter quoq; cum diſciſſum fuerit os, car- 6. aph. 19. tilago, vel neruus, vel genæ particula tenuis, vel præputium, neq; augetur neq; coaleſcit. Si 6. aph. 24. quod inteſtinorum gracilium diſcindatur, non coaleſcit. Ex quibus perſpicuum eſt, non omnes morbos natura curari.

Sin nullorum eſſe aſſeramus: certe id abſurdiſſimum fuerit, ſæpius enim ægrotat animal, cum tamẽ nullo accedente extrinſecus remedio ſua ſponte conualeſcat. Reſtat igitur vt quorundam tantum medicam Naturam eſſe ſtatuamus. Quod cum ita ſit, quinam hi ſint morbi, quos natura per ſe curet, quinam rurſus, ad quos Medicinæ miniſterium requiratur: tandem ecquos affectus ſola ars ab'q; naturæ præſidio tollere poſſit: an vero vlla ſint vitia, quæ tam artis, quam Naturæ leges aſpernentur, ideoque inſanabilia dici mereantur, pauliſper inquiramus.

Morborum vt paulo ante attigimus, alii ſimilaribus, alii inſtrumentalibus accidunt, alii vtriſq; communes exiſtunt, iidem vel ſimplices vel compoſiti. Similarium eſt intemperies viciata, eaque aut nuda qualitas, aut cum affluxu ſubſtantiæ qualitate prædita. Nuda qualitas vel toti corpori, vel parti tantum accidit. Totius corporis intemperies calida, vt febris, vſtio a ſole, ab igne: frigida, vt congelatio corporis: humida, vt laxitas aut muciditas corporis. Sicca intemperies totius vt maraſmus. Intemperies vero partis alicuius vt vel calor nimius, vel congelatio, vel muciditas, vel ſicciras manus, pedis aut alterius membri.

Intemperies cum affluxu ſubſtantiæ vel calidæ, vt phlegmone, eryſipelas, carbunculus, phygethlon, furunculus. Vel frigidæ, vt œdema, vitiligo. Humidæ, vt hydrops, ſarcites, aſcites. Siccæ vt ſcirrhus, lepra, pſora. Atq; hæc eſt morborum qui ſimilaribus eueniunt, diſtributio.

Inſtrumentalium partium iſta ſunt vitia, videlicet indecens conformatio vel numerus, vel magnitudo, vel collocatio. Conformatio læditur quoties vel figura vel cauitas vel aſperitas, vel læuitas partis a naturali modo receſſerit. Figuræ vitium vel intra vterum fit & connatum dicitur, vel extra id aduentitium appellatur. Cauitas vitioſa eſt cum vel ſinus nimis ampli ſunt, vt ventriculi, thoracis, ſcroti nimia capacitas, pupillæ in oculo, venæ in varice, arteriæ in aneuriſmate dilatatio. Aut nimium anguſti, aſtricti, obſtructi vel oppleti. Anguſti vt thoracis coarctatio ad phthiſin procliuis. Aſtricti vt potorum cutis denſitas ex ſiccitate, frigore, balneo aluminoſo, aſperæ arteriæ & œſophagi compreſſio ex angina. Obſtructi cum venæ, arteriæ, inteſtina, vreteres, cutis ſpiracula, ab inhærente materia, velut in farctu minus ſunt peruia. Oppleti vt ventriculorum cerebri in apoplexia, vteri in mola, veſicæ in calculo, bronchiorum pulmonis in præfurente catarrho repletio. Aſperitas conformationem indecoram reddit, cum lingua, fauces, cutis, vngues exaſperatæ ſunt. Læuitas in vitio eſt, cum ventriculus, vterus, inteſtina, vt retinere non poſſint, lubrica facta ſunt.

Numerus inſtrumentalium vitiatur, quoties vel abundat vel deſit aliquid. Abundat vel res naturalis, vt ſextus digitus, tertius teſticulus, germen carnis in naribus, nympha in collo vteri: vel res toto genere præter naturam, vt verruca, lapis veſicæ, lumbrici, callus. Deſit, quum vel dens ademptus eſt, vel os exectum, vel digitus, aut manus amputata.

Magnitudinis morbus eſt vt ſi lingua, caput, digitus, auris, pes, crus, oculus vel maior vel minor ſit, quam naturæ conueniat.

Collocatio inepta eſt cum vel in ſitu vel in conſenſu peccatur: ſitu quidem vt luxatio artuum, dentes prominuli, ramex inteſtinorum, vel omenti in ſcrotum prolapſi. In conſenſu, cum mutua partium ſocietas læditur, vt in ſtrabiſmo. In hoc genere eſt quoque vinculum linguæ, & pudendi immodicum, coaleſcentia digitorum, palpebrarum, & cum ſedis vuluæ oris labra cohærent.

Similaribus vero & inſtrumentalibus communis affectus eſt ſola vnitatis ſolutio, quæ quidem in carnoſa parte exiſtens vlceris & vulneris nomen habet. In oſſe fiſſio, ſi in longum; fractura, ſi in tranſuerſum contingat. Punctura, inciſio, contuſio, ruptura, vaſorum dilatatio, ἀναστόμωσις, διαπήδησις, eroſio. Talis quidem eſt ſimplicium morborum partitio.

Compoſitorum varia eſt ratio: Interdum enim ſimilaris ſimilari permiſcetur, vt calida vel frigida, nuda intemperies ſiccæ aut humidæ; nudæ ex quibus fit intemperies coniugata. Vel rurſus qualitati ſubſtantiæ additur, fitq; pro diuerſitate affluentis humoris vel eryſypelas, vel phlegmone, vel œdema vel ſcirrhus. Quæ tandem inuicem commiſta pro commiſtorum conditione appellationem ſortiuntur, vt phlegmone eryſypelatoſa, vel œdematoſa, vel ſcirrhoſa dicatur. Interdum ſimilaris inſtrumentario iungitur, vt phlegmone in manu oborta, intemperies & tumor partis figuram vitiant. Aliquando ſimilaris communi copulatur vt vlcus cum calore. Nonnumquam contingit inſtrumentarium inſtrumentario concurrere, vt in luxatione ſitus oſſium figuraq; partis peruertuntur. Accidit etiam inſtrumentarii & communis coniunctio vt diſtorta manus & vulnerata. Eſt quoq; vbi omnia tria conueniunt, puta in vulnere phlegmonoſo, ſolutio continui cum vitio figuræ (per tumorem) & intemperie calida humidaque componuntur.

At quia ſymptomata quædam vulgo pro morbis habẽtur vt paralyſis, hydrops, icterus, cæcitas, ſurditas, delirium, lethargus, tabes aliaq; multa. Non abs re fuerit & horum differentias priuſquam progrediamur ob oculos ponere. Cum morbus ſit affectus primum & per ſe actionem lædens, ſequitur actionis læſionem velut effectum morbi & ſymptoma perpetuum eſſe, quæ quam diu adeſt, etiam morbus adeſſe dicitur. Ex læſa actione alia ſequuntur, quæ vel partium ſubſtantiæ vel excrementis inhærent, vt ita triplex ſit ſymptomatũ genus. Actionum aliæ ſunt animales, aliæ naturales. Animalium aliæ ſenſus, aliæ motus, aliæ principes. Senſus porro quinq; ſunt, tactus, guſtus, odoratus, viſus, auditus.

Motiua actio tantum eſt vniformis. Principes ſunt imaginatio, cogitatio, memoria. Naturales functiones ſunt appetentia, concoctio, diſtributio, ſanguificatio, nutritio, attractio, alteratio, retentio, expulſio, cordis arteriarumq; pulſatio, quæ licet ſub motrice locari debere videatur, tamen quia arbitrio noſtro nequaquam paret, nec excitare aut impedire cum velimus, nequeamus, recte ad naturales actiones refertur. horum inquam ſi lædatur aliqua, naſcitur pro vitii magnitudine vel abolita prorſus vel deficiens, vel deprauata functio. At quæ ex læſis actionibus ſymptomata ſuccedunt, ſunt vel ſimplices partium affectus vel excremẽtorum vitium. Affectus partium ſimplices ſunt, aut viſibiles, vt colores fœdi in ictero, aut olfactiles, vt fœtores & vnctus, aut guſtatiles, vt ſapores ingrati. Alii auribus obuii, vt aurium tinnitus, ſtertor faucium & pulmonum, dentium ſtridor, ventriculus rugitus, inteſtinorum crepitus. Tactui occurrunt, ſcabrities, duriries, rugoſitas, mollities cutis. Vitium excrementorum, vel eſt in eorum ſubſtantia, vel quantitate, vel qualitate. In ſubſtantia ſi id quod excernitur toto genere præter naturam eſt, vt calculus, arena, lumbricus. vel cum non excretum, ſed ipſa excretio præter naturam eſt, vt hæmorrhagia ex naribus, ore, veſica, aluo, vulnere facta. In quantitate, ſi quando largius vel parcius iuſto quid excernitur, vt vrina in diabete, in iſchuria, dyſuria, ſtranguria. In qualitate, vt in fluxu muliebri, ſi ſanguis tenuis ſeroſus, dilutus. Huc ſpectant omnes defluxiones in os, fauces, pulmones, albus fluor mulierum.

Perueſtigatis iam morborum & Symptomatum differentiis inquiramus, quorũ morborum Naturæ ſint medicatrices, ſumpto ab iis, qui ſimilaribus partibus accidere poſſunt exordio. Sunt autem hi vt ſupra dictum eſt temperies vitioſa, eaq; vel nuda qualitas, vel cum affluxu ſubſtantiæ qualitate præditæ coniuncta. Nuda qualitas vel toti corpori vel parti accidit, eaq; calida vel frigida, humida vel ſicca; Nuda intemperies calida totius corporis vt febris, vſtio a ſole vel igne. Et quia ſe ſtatim in limine febris offert, priuſquam indagemus quatenus illa Naturam medicam agnoſcat, neceſſe eſt vt quotuplex ea ſit cognoſcamus.

6.Epi.sect. 8.aph.9. Tria ſunt, teſte Hippocrate, quibus corpus humanum conſtat, nempe continentia, contenta & impetum facientia, hoc eſt, partes ſolidæ, humores & ſpiritus, quorum ſingula febrium ſubiecta eſſe poſſunt. Quare & tria ſunt prima febrium genera pro ſubiectorum numero. Si in ſpiritibus conſiſtat calor, Ephemera febris dicitur, ſi in humoribus, putrida; ſin in partibus ſolidis hectica appellatur. Ephemera duplex eſt videlicet ſimpliciter ſic dicta, & quæ plurium dierum vocatur. Putrida trifariam diuiditur in continentem continuam & intermittentem. Continens quæ & ſynochus nominatur, triplex eſt; acreſcens, decreſcens, & in eodem vigore conſiſtens. Triplex quoque eſt continua, quemadmodum & intermittens pro humoris ſpecie & paroxyſmis, tertianæ, quotidianæ vel quartanæ nomen ſortientes. Hecticæ triplicem quoque differentiam habent, vel enim Ephemeras, vel ardentes febres, vel nobiliorum partium calidos affectus ſequuntur. Hæc ſummaria eſt febrium diſtributio.

An igitur febrium omnium naturæ ſint medicatrices, primum nobis excutiendum eſt. Ephemeræ ſane cum in ſpiritibus vt materia diſſipabili conſiſtant, plerumq; ſolius naturæ beneficio, per ſudores vel madores prius curantur, quam vel Medicus fere aduocari vel adeſſe poſſit. Nec videntur neceſſaria eſſe ad febris huius depulſionem molimina illa balneorum, frictionum, vnctionum quæ Gal. tot verbis lib.1. ad Glauc. cap.3. & 8. methodi inculcat, cum

ſuis Græcis hæc ſcripſiſſe videatur, quibus lauari, fricari, vngi, in deliciis & quotidianum erat. Adde quod & finito paroxyſmo qui ipſam febrem finire ſolet, hæc adhiberi mandat. Eueniunt profectò & iſtæ febres illis ſæpe populis quibus balnea, frictiones, vnctiones ignota ſunt, ne dicam inſueta, qui tamen non minus belle conualeſcunt ab Ephemeris, quam illi quibus Græca remedia admouentur, quæ potius reliquiis morbi diſcutiendis aut præſeruationi, ne malum recurrat aut in deterius vergat, facere videntur. Si laſſitudo Ephemeram ſuſcitauit, certe natura calori quem labor & motus præter naturam cōciliarunt, vna cum ſudore finem imponit, extrudendo vaporem cum fuligine per cutem, idq; citra Medici miniſterium. Quod reliquum eſt in muſculis, ligamētis, tendonibus, neruis, articulis, ſiccitatis & attritionis id ipſa quies demulcet. Si ab ebrietate, ab ira, furore, intenſa cogitatione, gaudio, ſpe, mœrore, metu, aliiſq; vehementioribus animi affectibus, accenſis ſpiritibus febris gignatur, vbi vapor fuliginoſus per cutem diſſipatus fuerit, ceſſat febris, nihil conferente ad curationem medico. Si quis ob exuſtionem, frigefactionem, denſationem cutis, aſperitatem aut ſiccitatem eiuſdem aut ob nimium ſomnum febricitet: cum fere hæ cauſæ ſolitam tranſpirationem inhibeant (licet natura poros cutaneos dum ſudorem molitur, aliquantum relaxet:) videtur tamen æger vt putridæ periculum euitet, medici opera pluſculum indigere, quo caſu balneum, frictio, vnctio, vt cutis rarefiat & molleſcat (vbi natura nō ſatisfacit) multum contulerint. Quoties vero dolor, ſyncope, euacuatio nimia, vigiliæ aut cibi calidi Ephemeram generarunt, omnis ſpes in Medico eſt, vt dolorem leniat, vires per ſyncopen aut euacuationem lapſas reficiat, ſomnum conciliet, victum refrigerantem præſcribat. Sic quoque ſi a cruditate nidoroſa orta ſit febris, vt corruptus chylus vel ſurſum vel deorſum educatur (ne putridam ſuſcitet) & ventriculus roboretur, potiores medico partes incumbunt: quemadmodum etiam in ea quę ab adenum inflammatione dependet; medici eſt inflammationi & vlceri vnde inflammatio oritur proſpicere, nihil aut minimum natura conferente. Cum autem fames vel ſitis Ephemeram prouocarint, natura nihil, medicus parum, coquus plurimum ad ſanitatem facit. Ex quibus planum fit ne Ephemeras quidem omnes naturam per ſe curare poſſe, ſed in quibuſdam Medicum naturæ præſtare: quamuis interim paroxyſmos natura ſola vt inchoat, ita ſola eoſdem ſemper finit, quaſi in arenam cum morbo conflictatura deſcendens.

In Ephemeris plurium dierum (quas ſynochos non putridas vocant) quia metuitur ob durationem putredo etiam; Medici induſtria ad venæ ſectionem & rationem victus requiritur.

* Sequitur humoralium diſpoſitio, quas, quia putredinis participes ſunt, putridas appellant, & pro loco putredinis vel intra vel extra maiora vaſa (inter alas & inguina poſita) diſtinguūtur. Si intra vaſa totam ſanguinis miſcellam putredo corripuerit, naſcitur ſynochus putrida (vel febris continens) eaq; triplex, ſi feruor a principio ad finem vſq; eundem vigorem ſeruet, ἀκμαστική, ſi magis magiſque accreſcat, ἐπακμαστική, ſin cōtra decreſcat calor, παρακμαστική nominatur. Quod ſi vnus tantum humor intus putreſcat, continuæ nomen ſuſcepit, eaq; rurſus pro humoris natura triplex: ſi bilis putrefiat, tertiana continua καῦσος dicta; pituita putreſcente, quotidiana continua; melancholia corrupta, quartanæ cōtinuę appellationem obtinet. Cum vero extra maiores venas humorem putredo inuaſit, intermittens febris excitatur, triplex hæc quoq;: a bile quidem accēſa, tertiana; a dulci pituita, quotidiana; a vitrea ἠπίαλος, a melancholia quartana intermittens originem trahit. Atq; illæ rurſus ſunt vel exquiſitæ, vel nothæ. At quid in his poteſt Natura? Perſæpe profecto vſu venit, vt nedum ſynochos putredine carentes, verum etiam a putredine dependentes & continuas quoq; natura robuſtior perſanarit, expulſa per criſin putredine, per nares, per aluum, per vrinas, per cutem, per vterum ſibi viam molita. Quia tamen in tanto aſſiduoque ardore, Naturæ viribus, ne ad finem vſq; perſiſtere poſſint, non immerito metuimus: ſuccurrit ſolicitudo artificis, varioſque modos perquirit, vt incendium vel exſtinguat, vel ſaltem mitiget, dum craſſa attenuat, lenta incîdit, viſcida terget, obſtructa reſerat, tranſpirationem vacuatione per commodas vias facta expedit, coctionem iuuat, partes debiles firmat, putredinem corrigit. Hæc autem omnia triplici artis inſtrumento, puta victu, medicamentis & manus opera adminiſtrat.

Idem de intermittentium curatione ſiue exquiſitæ, ſiue ſpuriæ, ſiue ſimplices, ſiue compoſitæ exiſtant, ſentiendum. Nam naturæ non facile obediunt niſi artis auxilium imploret, ad ſubminiſtranda ea, in quibus ipſa deficit.

Nunc porro ad hecticas progrediamur, quarum calor iam non ſpiritus modo aut humorum maſſam, ſed altius inſinuatus etiam ſolidas partes inuaſit. In quibus quid natura, quid ars præſtare poſſit perſcrutemur.

Hecticarum tria ſunt genera vnum quod ab Ephemeris febribus ortum duxit & a cauſis προκαταρκτικῆς, triſtitia, ira, laſſitudine nimia vna cum ſolis feruore dependet. Alterum quod febres acutas & ardentes malé curatas excipit, per quas humiditas ſubſtantiæ cordis

magna ex parte abſumpta eſt. Hæ vero non tantum Hecticæ ſunt, verum etiam μαρασμώδεις. Tertium genus diuturnos nobiliorum viſcerum affectus, calidos præſertim vt eryſipelata aut phleginonas, pulmonis, thoracis, diaphragmatis, ventriculi, hepatis, coli, renum, veſicæ, meſenterii aut vteri ſequitur. Sciendum quoque hecticarum aliquot eſſe gradus. Nam quæ exquiſite conſiſtunt atq; ad μαρασμὸν vel tabem peruenerunt, non modo curatu difficiles, ſed & incurabiles omnino ſunt. Quæ vero non diu cœperunt, ſpem curationis faciunt. Si quæ autem medio modo ſe habent, pro vt aut principio aut conſiſtentiæ propius accedunt, ita vel facilius vel difficilius conſaneſcunt. Quid igitur in ſanabilibus hecticis poterit Natura? certe nihil prorſus per ſeſe. Cum enim calor innatus diu adhuc temperatus eſt, humidum ſuum illud oleoſum, primigenium vt ſealat, continuo depaſcitur, adeo vt niſi tantundem aut amplius quid ex cõueniente nutrimento quotidie in abſumpti locum reponatur, animali omnino pereundum ſit. quid futurum putemus, vbi calor ille in igneum (quod in omni febri accidit) mutatus fuerit? Hoc autem calore natura vt inſtrumento opus habet, cum ad alias, tum ad nutriendi augendiq; corporis functiones, qui ſi ob intemperiem febrilem ineptus eſt; naturæ ad alimoniam nedum ad augmentum animantis ſeruire minime poterit. Et cum cauſam intemperiei natura in hecticis, quia habitum corporis occupauit, nec concoquere, nec excutere, quod in aliis febribus ſæpe ſolet, poſſit: non eſt quod a natura hecticam curatum iri ſperemus. Quamobrem omnis in arte ſpes hæret. In cuius ſolum poteſtate remedia conſiſtunt, quibus febris iſta profliganda venit: qualia ſunt victus ratio humectans & refrigeratoria cum balneorum vnctionumq; commoda adminiſtratione. Reſtat intemperies illa calida, quam toti corpori ſolis æſtus vel ignis introduxit. vſtionem a ſole factam, natura fortaſſis vmbroſo, frigidoq; loco per quietem & frigido potu ſanauerit, ſed vſtulationem ab igne impreſſam non ita: vix enim ſine cutis contractione, excoriatione, aut ſimili ſolutione continui accidere poteſt, quæ artis officium requirunt.

Hactenus nudam intemperiem calidam totius corporis perſcrutati ſumus. Offert ſe frigida, humida & ſicca. Si frigore vniuerſum corpus obriguit, calor naturalis robuſtior ſeſe a centro ad circumferentiam expandens, reſtituere ſubinde per ſeſe ſolet, poſteaquam illud in aerem temperatum illatum fuerit; aliquando etiam medicinam implorat.

Humida intemperies totius laxitatem quaſi quandam & muciditatem corporis generat. Ad hanc natura ſiccandam ſine artis miniſterio nunquam ſuffecerit.

Ad ſiccam vniuerſi corporis intemperiem qualis eſt μαρασμὸς, nihil ſpei nec in natura nec in arte pariter ſitum eſſe ſupra oſtendimus.

Vbi vero partem aliquam corporis nuda intemperies, puta vel calor nimius, vel frigus, vel humiditas afflixit, a natura ſanitas expectari poſſit. Sin ariditate membrorum ſqualleat, artis beneficium accedere neceſſe eſt. Sed nudæ intemperies partium rarius accidunt.

Sæpius autem vſu venit vt intemperiem particularem alicuius ſubſtantiæ affluxus calidæ, frigidæ, humidæ, aut ſiccæ comitetur. Sed iam non amplius ſimplices morbi aut ſimilares tantum ſunt: ſed etiam inſtrumentales & compoſiti fiunt. Nam tumores magnitudinem partis deformant. Si calidus humor affluat, phlegmone, eryſipelas, herpes, anthrax, furunculus, phygethlon, phyma, generantur. Ex his eryſipelas, ſi purum eſt, natura ſubinde per ſe diſcutit, furunculum quoque per ſe plerumq; ſanat. Verum ad herpetem, anthracem, phygethlon, phyma & phlegmonen etiam exteriorem medicinam in ſubſidium vocat. At in recõditis inflammationibus, phrenitide, angina, pleuritide, peripneumonia, nephritide, aut quæ aliis nobilioribus viſceribus accidere poſſunt, nec nomine peculiari donatæ ſunt, natura velut ſibi diffiſa totam ſe arti permittit. Hæc venæ ſectione humoris copiam minuit, influxurum ſanguinem reuellit, influentem deriuat, illum qui influit euacuat, dolorem mulcet, feruorem reprimit, partem roborat, maturationem promouet, reliquias materiei diſſipat. His accenſeri poſſint aneuryſma, gangræna, ſphacelus, tumores & ipſi calidi aut ex calidis originem trahentes. Aneuryſma enim tumor eſt ſanguine ſpirituoſo plenus, qui ex aperta, rupta vel vulnerata arteria gignitur, quoties integra cute vel per cicatricem rurſus vnita, corpus arteriæ, quod propter continuam pulſationem glutinari nõ poteſt, diuiſum manet, quale Thomas Iungelingus Antuerpiæ in pectore inſtar mammæ virgineæ habebat, & Italus proxeneta in poplite oblungum. Gangræna eſt particulæ incipiens, & adhuc fiens mortificatio ob inflammationis magnitudinem ſuſcitata. Sphęrelus vero mortificatio, eſt iam abſoluta & confirmata membri ſenſu viraq; prorſus deſtituti orta plerumq; ex gangræna propter inflammationem inualeſcente. Vidi tamen totum ſcrotum frigore ſphacelatum, & vtrumq; crus gelu emortuum decidiſſe. Nullum ex his affectibus naturæ maieſtatem veneretur, ſoli Chirurgiæ ſubiecta. Imo vix aneuryſmati manus adhibere audet medicus difficultate, & imminẽtis hæmorrhagiæ periculo deterritus.

Quod ſi frigidus humor in particulam decumbat; œdema, alphus albus, vitiligo enaſcuntur.

ſcuntur. Oedema raro natura ſponte curat ſiue morbi ſiue ſymptomatis rationem habeat, fere medicinam ſociam aſciſcit. Si morbus eſt, humiditatem partis, quam natura impotentior tollere non poſſit: ars ſiccantibus atq; diſſipantibus medicamentis abſumit, membrumque firmat iis, quæ leuiter aſtringunt. Sin ſymptoma fuerit, niſi ipſius cauſa, nempe viſceris alicuius morbus, ſicut in hydrope, tabe, cachexia, prius auferatur, nihil nec Natura, nec ars œdeman profuerit. Alphus albus & vitiligo λευκὴ dicta, pituitæ ſoboles exiſtunt, & naturæ ſolius imperium contemnunt: Sed ſuſcipiente naturæ partes medicina, obediunt, excepta illa vitiliginis ſpecie in qua cutis acu puncta, non ſanguinem, ſed lacteam humiditatem profert, aut cutis panniculo laneo aſperiore confricatæ color non rubeſcit, ſed albus manet: vel ſi plura corporis loca obſideat, aut vetuſtius ſit malum, tunc enim minus ſpei etiam in medicina habere cenſetur.

Iungitur quoque intemperies cum humidæ ſubſtantiæ acceſſu vt in hydrope, aſcite & ſarcite. In aſcite humor intra vacua peritonæi ſpacia tamquam in vtre colligitur. In ſarcite per vniuerſum corpus ſubter cutem humor diſpergitur, eſtque veluti totius corporis œdema, cui rectiſſime Latinum intercutis nomen quadrat. Natura aliquãdo per ſe hydropem curat, cum ſcilicet ſaburram per inteſtina deturbat, teſte Hippocrate aphor. 14. ſect 6. Ab hydrope habito ſi aqua e venis in vẽtrem fluxerit ſoluitur morbus, & apho. 29. ſect. 7. qui leucophlegmatia detinetur, ſi fortis ventris fluxus ſuperuenerit, a morbo liberatur, videlicet ſi cauſa hydropis lenior fuerit, puta ex immodica hæmorrhoidum menſiumque profuſione, ex fluxu muliebri, ex frigido potu. Quamquam ne ſic quidem vna cum tumore ipſius quoq; cauſa, nempe iecoris refrigeratio tollatur, quæ vt ante tumorem erat, ita & poſt ipſum reſtat, nouumque tumorem attollere potis eſt. Multo minus tali ventris fluxu grauiores hydropis cauſæ extirpabuntur, qualis eſſe poſſit hæmorrhoidum mẽſiumque omnimoda ſuppreſſio. Scirrhus iecoris, vel lienis, aut inteſtinorum pulmonis ventriculi inteſtinutum vel alterius viſceris magnus affectus, a quibus iecur per conſenſum afficitur.

Nam vbi hydrops dyſenteriam, affectionem cœliacam, lienteriam, orthopnœam, icterum, cachexiam, febres longas, dolores podagricos aut coxendicos conſequitur, ad medicinam confugit, ſummamque artificis diligentiam exigit. Quos enim morbos priuſquam hydrops accederet, curare, dum ſoli eſſent, natura non potuit: quo modo aceſſione hydropis auctos eoſdem naturæ faciliores fore putabimus? cum alioqui tam contumaces plerumque ſint, vt naturæ atque artis ſimul imperium contemnant quod in tympanite, in hydrope alio inueterato, aut eo qui morbos acutos aſſequitur, aut qui habitum corporis corrupit, videre licet. Suſcipitur. n. in his fruſtra omnis medicatio. Sub hoc cenſu nõ male cõprehendas hydropem vterinum, hydrocelen, abſceſſus omnes & collectiooes vt atheroma, melicerida, in quibus liquidior ſubſtantia latet. Ad quorum curationem ars requiritur, licet abſceſſus ex calidis tumoribus relicti, exceſa per acrimoniam puris cute, ſæpe ſponte, erumpant, & hydrops vterinus ſtatis menſium periodis, recluſo vtero ſubinde exhauriatur.

Aliquando ſicca ſubſtantia intemperiei accedit vt in ſcirrho, cancro, elephantiaſi, lepra, pſora. Scirrhus exquiſitus eſt tumor durus doloris & ſenſus expers, ex craſſo lentoq; ſucco interdum a principio natus, ſæpius tamen per chyrurgorum imperitiam a calidis tumoribus vt inflammatione aut eryſipelate plus iuſto refrigerans ſuſcitatur, idq; tam intra, quam extra corpus contingere poteſt. Nam in liene & hepate frequentiſſimus eſt. Qui extra oritur, quanquam non ſit exquiſitus, nec vetus, quia tamen gemino medicamento affatim & emolliente & diſſipante indiget: numquam ſoli naturæ, imo vix artifici adiuncto patet. Quid igitur ſi exquiſitus aut vetus ſcirrhus euaſerit?

Tune ſane moliare quantum potes, nihil effeceris. Intrinſecus in hepate aut liene conſiſtentem, modo nõ ſit exquiſitus, nec diu cœperit, natura remediis adiuta aliquando euincit, conferente ad hoc plurimum calore animantis humido, ſpirituum tenuitate, viſcerum qualicumq; laxitate, vaſorum quæ in illis ſunt, amplitudine & meatuum per quos expurgari poſſunt, vicina commoditate. Cancer quem latentem vel occultum vocant, neque enim de exulcerato loquimur, inæqualis eſt tumor cum dolore pungenti late ſe extendente, aliquando indolẽs quoq; & ſtupidus, ex ſanguine atrabilario in particulam impacto a quo cutis ex cineritio rubet aut ſubliuet & venæ atro ſanguine vndique turgeſcunt. Prima cancri rudimenta ne augeſcant, prohibere licet, teſte Ægineta, & Galenus morbum per ſui initia ſæpe ſe ſanaſſe affirmat. Sed vbi in molem inſignem ſatis attollitur, nemo ſine manus opera potuit curare. Hoc enim malum propter ſucci craſſitiem non conſaneſcit, vtpote quod nec repelli, nec diſcuti queat, nec totius corporis purgatione cedat, tamq; maleficum, vt mitiora negligens remedia vehementioribus irritetur & excandeſcat. Immo cancros in pectore obortos Aetius omnino deploratos pronunciat, quemadmodum & eos qui in capite, collo, humeris, ſub alis & in inguinibus generantur. Sunt enim & hi incurabiles. Nam præterquam quod perfecte

tolli nō poſſunt, hæmorrhagiæ timor incumbit, ne ex ea æger inter medicantis manus pereat. Et quicumque in penitioribus corporis partibus conſiſtunt, vtpote in inteſtinis, in vtero, in palato, in ano, aut oculis: manus opere tolli propter ſitum nequeunt. Quare non immerito a cancris occultis abſtinendum eſſe omnino Hippocrates monet apho. 38 par. 6. cum ait cancros occultos omnes melius eſt non curare, niſi eos excipias, monente Galeno, qui in ſumma corporis parte hærent, & quos vna cum radicibus ipſis reſecare poſſis. Si per vniuerſum corpus & cutem atrabilarius humor diffunditur, elephantiaſis naſcitur, in qua cutis inæqualiter dura, craſſa, aſpera ſtupeſcens, ex rubore liueſcẽs, ſquammoſa & ſæpe vlceribus fœda euadit, velut vniuerſi corporis cancer. Si recens adhuc malum eſt vt nihil ex ſummis deciderit, nulla infeſtarit exulceratio, neque tumores plurimum emineant: ſola facies quodammodo ſit decoloratior, ſed ita vt non admodum deformis appareat: curationem, iubente Paulo, experiemur. Alioqui morbo victis manus admouenda non eſt. vnde liquet nec in cancro, nec elephantiaſi naturam quicquam poſſe: ſi quid ſpei eſt, ars præſtare debet. Lepra & pſora, atrabilarii quoque affectus, ſed cutanei tãtum cum pruritu, aſperi, quibus corpus paulatim abſumitur. Lepra quidem altius circularibusque eroſionibus (teſte Paulo) cutem depaſcit & piſcium modo ſquammas ex ſe remittit. Pſora vero ſummam corporis cutem exedit, varias figuras habens, furfurea magis, quam ſquammoſa ex ſuperficie deſcendunt. Sed ne hæc quidem cutis vitia naturæ ſoli obtemperant, tamen artis mandatis morigera, cum purgantium pharmacorum, vnctionumq; extergentium apparatum experiuntur. Referri poſſint & huc ganglia ſtrumæ, ſteatomata, quippe duriora ſunt, quam vt per ſe diſſipari queant, vix aliud quam chirurgiæ imperium agnoſcentia.

Recenſitis hactenus ſimilarium partium affectibus proxime inſtrumentalium vitia ſuccenturiantur, quæ quatuor ſunt, nempe conformatio, numerus, magnitudo & collocatio indecora. Conformationis vitium eſt quadruplex cum figura vel cauitas, aſperitas vel læuitas particulæ a naturali modo receſſerit. figura vitiata eſt in varis aut valgis qui cruta cancrorum modo extrorſum, in varis qui introrſum contorta gerunt. E quibus caput nimis rotundum, oblongum, aut acuminatum eſt, figuræ defectus reſtituere natura nullus, medicus plurimos poteſt, præſertim ſi ætas adhuc tenera & oſſa cerea ſint. Sæpiſſime enim obſtetrices, nutrices, matres deformia infantum membra manu & faſciis fingere videmus. At vbi adoleuerint, non ita morem gerunt fingenti duriora oſſa. Figuræ vitium in diſtorto ore per alterius maxillæ paralyſin, in diſtorto genu, manu, pede per luxationem, ars emendare poteſt. Cauitas vitiatur cum ſinus vel meatus nimis ampli ſunt, vt ventriculi, thoracis, ſcroti nimia capacitas, dilatatio pupillæ in oculo, venæ in varice, arteriæ, in aneuryſmate. Aut cum rurſus iidem ſinus vel meatus ſunt nimis anguſti, aſtricti, obſtructi vel oppleti. Anguſti vt thoracis depreſſio ad phthiſin procliuis. Aſtricti vt pororum in cute denſitas ex ſiccitate, frigore, balneo aluminoſo. Aſperæ arteriæ & œſophagi compreſſio ex angina. Obſtructi, quum venæ, arteriæ, inteſtina, vreteres, cutis ſpiracula, meatus veſicæ ab inhærente materia velut infarctu minus ſunt peruia. Oppleti vt vẽtriculorum cerebri, in apoplexia, vteri in mola veſicæ, in calculo bronchiorum, pulmonis repletio ex præfocante catarrho. Ex his cauitatis morbis nimiam amplitudinem aut anguſtiam, ſi a natiuitate ſint, nec natura, nec ars corrigere poteſt. Sin vero aduentitia ſint vt vẽtriculi dilatatio ex voracitate aut bibacitate aſſueta, amplitudo ceruicis vterini & genitalium ex partu, item earumdem partium coarctatio vi medicamentorum inducta: vel naturæ beneficio vel artis ſubſidio iuuantur. Aſtrictionem pororum ex ſiccitate, frigore, balneo aluminoſo aut ſimili aſtringenti medicamento, compreſſionem aſperæ arteriæ & œſophagi ex angina. Inteſtinorum gracilium obtumorem aliquem in ileo morbo natura & ars moderantur. Obſtructiones cauitatum ſæpe naturæ robur, vel conſumendo vel expellendo materiam infarctam per ſe expedit: aliquando artificis miniſterio indiget. Oppletiones ventriculorum cerebri in apoplexia, vteri in mola, bronchiorum pulmonis in catarrho præfocante, vis naturæ expultrix non raro euacuat. At in calculum maiuſculum qui veſicam replet, nihil natura iuris habet: quum ſolam chirurgiam agnoſcat. Iam vero ſi lingua, fauces, palpebræ, cutis, vngues, aut ſimiles natura læues partes exaſperẽtur, conformatio læditur, quæ mala arti magis, quam naturæ obtemperant. Sicut & læuitas vitioſa partium natura aſperarum vt ventriculi ſi cibum, inteſtinorum ſi chylum, vteri ſi ſemen retinere nequeant, non Naturam, ſed artem medicam requirunt.

Porro numerus inſtrumentalium partium inter morbos recenſetur quoties vel abundat, vel deeſt aliquid. Abundat vel res naturalis, vt ſextus digitus, tertius teſticulus, germen in naribus, vt nympha in collo vteri, vnguis in oculo, vel res toto genere præter naturã abundat, vt lumbrici, aſcarides, lapis in veſica & renibus, in palpebris grando. huc refer verrucarum genera, callum, pus aut alia abſceſſuũ contenta. Deeſt aliquid numero, cum dens ademptus, teſticulus aut os exſectum, brachia, manus, crus, pes amputata ſunt. Ad defectus vitium

referri

referri poteſt ophiaſis, alopecia & philoſis in quibus pili defluunt a capite aut palpebris. Res naturales numeri exceſſu peccantes naturá auferre numquam potuit, quapropter medico id muneris impoſuit. Ex iis tamen quæ præter naturam omnino ſunt, quædam per ſe ipſa tollit; vt pus in puſtulis aut abſceſſibus quibuſdam per maturitatem ſponte erumpentibus, lumbricos, aſcarides, arenas lapilloſq; ex renibus & veſica munitiores ſæpe deturbar. Verum vbi contenta abſceſſuum alieniorem ſubſtantiam ex frigido humore adepta ſunt vt matureſcere non poſſint: tunc medicina ſuppetias venit, ſicut ad calculos veſicæ & renum maiores ad verrucas, myrmecias, acrochordonas, callos, clauos, thymos exſcindendos ſuccurrit. At defectus in numero, dentem euulſum, teſtem exſectum, digitum, aurem, pedem, naſum, ctus aut aliud membrum mutilum, nec Natura, nec ars ſupplere vnquam potuit.

Quoties pars aliqua maior aut minor, quam ex vſu ſit, euaſerit, morbus in magnitudine appellatur. Si quid magnitudinem debitam exceſſit, vt ſi lingua adeo excreuit vt intra oris limites contineri nequeat, ſi naſus vltra labra propēdeat, ſi labra, auris, digitus, manus, pes, ctus; teſticuli, genitalia, vbera aut alia denique pars ſupra quam naturæ conueniat, adaucta ſint: nihil horum ars, nihil natura in ordinem redigere poterunt. Carnis tamen incrementum in vulneribus aut vlceribus eueniens, ὑπερσάρκωσιν vocant, Medicus, non Natura compeſcit. Si quid contra infra iuſtum modum defectu alimenti, vel tabe imminutū eſt: idipſum aliquando Natura, ſæpius tamen Medicina inſtaurat.

Collocatio ſeu compoſitio inepta eſt, cum vel in ſitu vel in conſenſu aut copulatione peccatur. Situs peruertitur in luxatis dentibus, oculiſque exertis in enterocele, epiplocele, vteri atque ani prolapſu. In conſenſu vitium eſt, cum mutua partium ſocietas læditur vt in ſtrabiſmo. In copulatione, ſi ligamento aliquo relaxato aut intenſo aut diſrupto motus partis offendatur. Huc ſpectant vinculum linguę & pudendi immodicum, coaleſcentia digitorum, palpebrarum, & cum labra oris, vteri, ſedis cohærent in iis, quos ἀτρήτους, quaſi imperforatos (quibus natiuum vitium erat) veteres appellare ſolebant. In his malis nihil Natura valet, cum omnia chirurgiæ ſubiiciantur. Et hæc quidem de morbis, qui inſtrumentalibus partibus accidunt, dixiſſe ſufficiet.

Sequitur affectus vtriſq; communis, quem vnitatis ſolutionem vocant: quæ pro ſubiecto, natura & modo appellationem variat vt iam vulnus, alias vlcus, aliquando punctura, inciſio, contuſio, attritio, ruptura, fractura, fiſſura, vaſorū dilatatio, tranſcolatus, ἀναστόμωσις, eroſio dicatur; non raro quoq; nomen ignoret. At quid in hoc communi morbo agit Natura? ſane permultum. Nam ipſa diuiſas particulas, velut glutino vnit, carnem generat, caua implet, callum producit, aliena ſeparat, cicatricem obducit. Ergo omnia perficere videtur. Non equidem. Nam diſtantia vulnerum labra adducere, pus & ſordes eluere, ſitum membri effluxioni puris idoneum ſeruare, fracta oſſa apte componere, læſas partes rite obligare, vaſorum vulnera & eroſiones ſanare, minime ipſa poteſt: hæc munia Medico relinquit. At neruorum, venarū, arteriarumque per tranſuerſum factas inciſiones, vaſorum dilatationes vt varices & aneuryſmata: Item, arteriarum vulnera ſane nec Natura, nec Medicus contrahere vel vnire recte poſſunt.

Hactenus ſimplicium morborum triplex genus per ſpecies & differentias perluſtrauimus: & quid in ſingulis Natura, quid Ars præſtare poſſit, expendimus. Conſectarium videretur compoſitos excutere. Verum cum illi nihil aliud ſint, quam ſimplicium variæ inter ſe complicationes, qui ſatis ſuperque examinati ſunt: ſuperuacaneum foret, illorum perquiſitione tempus terere præſertim cum ex ſimplicibus compoſiti faciliime æſtimari poſſint.

CONSILIORVM MEDICINALIVM LIBER;

Auctore

THOMA ERASTO D. MEDICO.

Nunc primum in lucem editus.

Conſilium 1.

NObilis iſte noſter ægrotus, natus eſt annos plus minus triginta: habitu corporis tenni potius quam carnoſo: cætera ſanus fuit: ſolum caput catarrhis & pituitę obnoxium ſemper ſenſit. Hodie quoque os perpetuo madet pituita multa aquoſa ſaporis experte, nonnunquam ſubdulci, aliquando ſubſalſa, rato ſubamara. Defluit eadem in ventriculum osq; ipſius ſic irrigat, vt nihil omnino plerumque ſiuiat. Is 10. Nouembris anni 68. a cœna cadens tempus dextrum impegit lapideæ ſcalæ: at nihil admodum inde ſentit mali: quippe ſurrexit, ac menſæ iterum accubuit, iterumq; bibit. Deinde rigor eum inuaſit, vt ſe conferre in lectum cogeretur: in quo multis horis non potuit calefieri: ex publico hoſpitio poſt dies 4. domum lulit: vbi mox cœpit non amplius agnoſcere aſtantes vſque ad finem menſis. Caput quoque toto fere illo tempore erectum ſuſtinere non potuit: ac dexter muſculus ex oſſe pectoris & clauicula enatus mamillarique temporis oſſis proceſſui implantatus, frequenter contrahebatur, vt caput in anteriora ſiniſtrorſum traheretur. Eodem illo tempore mandibula Inferior ita conuellebatur a ſiniſtræ partis muſculis, vt vehementer ſiniſtri lateris dentes ſtriderent. Diſtorquebatur ſimul bucca, inq; ſiniſtro latere verſus aurem trahebatur. Cæterum non manſit, neque hodie pet manet tracta, vt in ſpaſmo canino vſu venire videmus, & in capitis conuulſione a contractione muſculi paulo ante dicti euenit. (Manebat enim caput in anteriora ſiniſtrorſum tractum ad finem paroxyſmi: qui breues tamen fuerunt) ſed breuibus interuallis viciſſim trahitur & laxatur, nunc etiã quoties paroxyſmus recurrit. Brachium ſiniſtrum rigidum efficiebatur: ac linguæ motus impediebatur. Omnia hæc ſine magno dolore contigerunt. Circa finem Nouembris de dolore dextri temporis, totius cutis capitis, & muſculorum ceruicis tenſione conquerebatur. Adhibitis remediis, ſcilicet purgationibus, inunctionibus, cataplaſmatis, fomentis, veſicam excitantibus, bene habuit per duos plus minus menſes. Deinde cum vinum muſtum ſiue recens liberalius bibiſſet, redierunt capitis, buccæ & mandibulę conuulſiones: quæ poſt vſum remediorum plurimum mitigatæ iterum ſunt. Vſus eſt guaiaci decocto per aliquot dies, ex quo magnum fructum percepit. Etenim capitis humiditas multum imminuta eſt: ac morbus redditus mitior: attamen malum non eſt prorſus ablatum. Quippe redit per interualla buccarum in latere ſiniſtro conuulſio, & brachii eiuſdem lateris imbecillitas, vt forte comprehenſa non poſſit continere, cum dolore aliquo carpi. Redit interdum die octauo, aliquando citius, nonnumquam tardius: & modo leuior, modo grauior eſt paroxyſmus. Qoo ſæpius recurrit, eo leuior eſt, vt interdum omnino contemnendus videatur: at eum diu emanſit, grauius affligit. Quin & poſt ſumptũ cibum raro & leuius: ante cibum autem frequentius & grauius inuadit. Cum vehementior eſt, veluti fulgorem ante oculos cernit: ac ſedere aliquantiſper cogitur. Cum leuior eſt, fulgorem non videt: cumq; ambulare conatur, mox euaneſcit. Durat breui tempore, tunc etiam cum grauiſſimus eſt. Acceſſit iam aliud malum: quod videlicet in vehemente paroxyſmo difficultatem anhelitus patitur, nec expedite, ſicut prius reſpirare poteſt. Tenſionem præterea prope perpetuã in vtroque latere percipit, licet ea non ſit admodum grauis. Aliquando præter manus ſiniſtræ imbecillitatem, de qua dictum fuit, nihil fere ſentit: quo tempore obſeruauit vaporem calidum ex ſiniſtro pede eleuari, totumq; corpus permeare: inprimis autem recta aſcendere ad mandibulam vſq; ſiniſtram, atq; inde in ſiniſtrum brachium deflectere, animaduertit. Dum paroxyſmus durat, calet brachium, & intumeſcit manus nonnihil cum remittit, redit ad naturalem calorem, iterumque detumeſcit. Ante paroxyſmum ſemper ſenſum famis & moleſtiæ cuiuſdam in ore ventriculi percipit. Eſuriuit a morbo plurimum, vt vix ſatur fieret: & nunc quoq; ſtatim a cibo iterum videtur eſurire, tametſi non ſic eſuriat, vt cogatur edere. Sitit minimum, vt totum etiam diem ſine potu tranſigere poſſet. A frigore plurimum lædi expertus eſt. Matrem habuit, quæ ipſa quoq; ex caſu in conſimilem morbum incidit, ſed multo grauiorem: quæ deinde Epileptica facta eſt. in ventriculo nullam notauit moleſtiam, niſi quod

& eſurit

& eſurit facile, & poſt cibum liberalius ſumtum grauitatem percipit. Cum mane in lecto multum ſudauit, aliquoties deinde paroxyſmum ſuperueniſſe obſeruauit. Alias quoq; antecedit aliquando ſudor paroxyſmum: at non ſemper.

Dubium non eſt, quin hic morbus ſit (ac notari debeat) ſimplex conuulſio. Quãquam enim epilepſiæ vicinus eſt, ac in eam facile tranſire poſſet, tamen epileptica conuulſio nulla cernitur. Conſtat enim mens atque ratio. A principio quidem læſa fuit ratio, læſi quoq; ſenſus fuerunt aliqua ex parte; verum non ſecuta fuit totius corporis conuulſio, qualis in epilepſia accidere ſolet. Semper enim caput mouere, parteſque corporis alias ferme omnes potuit: tunc etiam cum caput ſuſtinere nequiret. Solet interdum, raro tamen, Epilepſia ſolum caput conuellere: ſed reliqua tunc totius corporis membra immota iacent, ac ſenſus atque ratio amittuntur. quod hic numquam accidiſſe intelligimus: cæterum conuulſio eſt Epilepticę, quæ per conſenſum fit, proxima. Nam & breuis eſt, & viciſſim partes contrahuntur ac relaxantur: ſi non omnes, aliquæ ſaltem: præterquam quod ratio iam non læditur. Forte etiam non tam eſſentia & cauſa, quam loco differt ab Epileptica conuulſione. Quoniam conſtat non perinde lædi centrum ipſum virtutis animalis, vt in epilepſia. Quod ſi ſic res habet, in cauſa erit non lentus & craſſus humor, ſed tenuis & vaporoſus; qui magis vel quantitate, & ſubſtantia, vel qualitate alia quauis lædat, quam lentore & craſſitie. Etenim fieri non poteſt, vt humor craſſus tam cito, vel ex neruis excutiatur, vel diſcutiatur, quam ſunt paroxyſmi iſti breues: vt iam de inopinata, & plane repentina inuaſione nihil dicam. Conſonant hinc ſententiæ, primum quidem experientia quæ a flatulentis humoribus ſæpe tales morbos excitari demonſtrat. Nouimus iam commemorare, quæ Galenus aliiſq; præſtantes Medici hac de re ſcripſerunt: ſed reuocare in memoriam illud ſolum volumus, quod in particularium membrorum momentaneis conuulſionibus, quas noſtri homines in ſua lingua Frampf/ vocant, vſu venit: atq; in Epilepticis aliiſq; per conſenſum excitatis conuulſionibus contingit. Paroxyſmi ſunt breuiſſimi: ſubito inuadunt, ſubitoque rurſus ſoluuntur. Conuulſio non eſt perpetua, ſed viciſſim intenduntur, & relaxantur eædem illæ partes, quæ afficiuntur: ſicut in ſternutatione, tuſſi, ſingultu fieri perſpicimus. Brachium ſiniſtrum nunc non conuellitur, ſed debilitatur; intumeſcit manus, ac mox iterum detumeſcit. Percipitur vapor totum peruadens corpus, qui repente diſſoluitur iterum. Fulgores quoq; ante oculos apparentes quemadmodum modo recitata vix recte aliò referre poſſumus. Pituita ſemper apparet tenuis, aquoſa & vaporoſa: quæ per ſudores ſoluitur maxima ex parte. Tenſionis laterum quam aliam comminiſcemur cauſam? ſi poſt ſudorem ſequitur paroxyſmus aliquando, id inde adeo accidit, quod materia non eſt omnis excreta: & quod, quæ craſſior erat, eſt attenuata, in que flatum permutata.

Si de modo, quo fiat, quæratur, reſpondemus ſic propemodum fieri, quomodo ſpaſmi particulares particularium membrorum fiunt. Replētur nerui rari flatu, extenduntur, moleſtia afficiuntur: quam dum replere nituntur, contrahuntur ac laxantur, ſicut os ventriculi in ſingultu: aut cerebrum in morbo comitiali per conſenſum nato. Quis neſcit ſimili quodammodo ratione ac modo neruos in rigoribus febrium concuti moueriq; licet hic humor actis ſit in cauſa frigiditatis illis neruorum, in propoſito noſtro humorum acrimonia ſit nulla? Ergo ſiue a materia, ſiue flatu replente neruos dilatari & contrahi dicamus: ſiue a frigiditate allabentis materiæ eos lædi putemus: ſiue ab alia maligna, & nobis incognita qualitate eoſdem offendi exiſtimemus: duo hæc ſemper vera eſſe comperiemus. Primum eſt hunc morbum ſpaſmum quidem eſſe, ac non perpetuum. Habet enim acceſſiones: & nunc in acceſſionibus quoq; non eſt perpetua contractio: ſed breuibus interuallis contractio & laxatio ſibi inuicem ſuccedunt. Alterum eſt, non fieri hunc morbum ab humore craſſo & lento in neruis inſito, multo minus a neruorum intemperie. Fit ergo vel a flatu ex tenui aquoſaq; pituita nato impetu in neruos irruente, eoſque percellente: aut alio modo replente ac contrahente: vel qualitate moleſtante, vel frigore, quod magis credo, pungente ac lædente: cum præſertim conſtet ipſum a frigore plurimum, facile grauiterq; lædi.

Locus affectus, vt ex prædictis poteſt intelligi, videtur eſſe, non principium ſenſus & motus, ſed neruorum ſecundæ, tertiæque coniugationis propagines aliquot: vna cum aliquibus neruis, qui in brachium ſiniſtrum inſeruntur, & ſuperiores muſculos intercoſtales: a quibus ſpiritus difficultas oritur, quæ interdum in paroxyſmo percipitur. Etenim neque totum caput patitur, neq; ſenſus & ratio nunc adimuntur: multo minus totius corporis membra vel conuelluntur, vel reſoluuntur. Ex medicorum ſententia prope omnium fit Epileptica conuulſio cerebri ventriculis oppletis, aut neruorum principio læſo. In caſu noſtro corporis partes plurimæ nulla in re offenduntur, ſed pauciſſimi quidam nerui, ſeu muſculi nunc ſolummodo patiuntur. Delabitur etiam perpetuo fere humor aquoſus ex capite in ſubiectas fauces, os & linguam, vt ventriculi cerebri, in quibus Epilepſiæ cauſam contineri pleriq; omnes

Medici indicarunt, nullam videantur obſtructionem pati ea in parte, qua ſe cerebrum exonerat in palatum ſeu fauces. Ideo autem videntur nerui pati facilius, quia natura ſunt ſua imbecilli: quod ex eo colligimus, quod & matrem habuit ſimiliter laborantem: & æger ipſe cõfitetur, ſe a prima pueritia pituitoſum phlegmaticumue fuiſſe. Quod porro pituita aquoſa ex cerebro deſtillans fauces repleat, ac in ventriculum delabatur, osq́ ipſius irriget, & ſic ſitim reſtinguat, frigeſaciendoq́; famem creet: (aut hæc omnia efficere poſſit) controuerſia caretenemus. Neque tam putamus ventriculo condolere neruos, quam os ventriculi credimus neruis cõſentire. Quippe ſenſus ille ſamis tunc etiam eſt, cum paroxyſmus neque ſequitur, neque metuitur. Et quis miretur cerebri neruorumque affectum propter ſympathiam ab ore ventriculi percipi, priuſquam eo vſque auctus ſit, vt motum aliaſque tales potentias manifeſte lædere ſeu deprauare poſſit? Reliquorum omnium ſymptomatum cauſæ, ex iam dictis a quouis intelligi poſſunt. Ergo morbum putamus eſſe, quendam ſpaſmum. Cauſam arbitramur eſſe, aut flatum, aut alias tenuem pituitam, ſubſtãtia vel qualitate ſua neruos lædentem: quam propter frigidam cerebri intemperiem copioſam naſci in capite, & a ſublatis inferne vaporibus præſertim ex ventriculo, augeri probabile omnino eſt. Lædit autem neruos ideo tam facile, quia a natura imbecilliores eſſe videntur. Affectum locum non exiſtimamus cerebri ventriculos, ſed neruos quoſdam peculiares.

Curatio, ſicut nuper ſcripſi, in eo conſiſtit, vt materia illa pituitoſa vacuetur, aliquo familiari remedio, & non ſinatur in cerebro præter modum colligi: quod tunc fiet, ſi cerebrum corroboraretur, nerui cum cerebro exſiccentur & confirmentur, ac cõcoctio promoueatur. Remedia erunt partim ſumpta, partim admota. De exercitio & aliis hoc modo faciendis nunc nihil eſt opus multa repetere.

Cæterum ipſa morbi & corporis natura poſtulant, vt principio corpus totum purgetur, non obiter, ſed ſummo ſtudio, quod deinde tale conſeruetur. Porro remedia duo ſunt, quibus apte & commode obtineri poſſe videatur iſta corporis & cerebri exſiccatio, poſt purgationes, & ſanguinis miſſionem, (quæ cum non multo ante facta ſit, nunc repeti nullo pacto debet) ſcilicet potus guaiacini decocti & thermarum. Illud præclare per ſudorem exiget omnem aquoſam pituitam, ſi præſertim incoquãtur cinnamomum & macis. Hoc pacto ventriculus lædetur minus, & ſudor profluet facilius, cerebrumq́; cum neruis roborabuntur melius. Huius rei cauſa etiam betonicæ folia incoquenda fuerint, ſiquidem æger ferre ſaporem poſſit. Præterquam enim quod capiti eſt vtilis, etiam vrinas vacuat. Quomodo autem eo vtendum ſit, & quam diu, iudicabit præſens Medicus. Potus in menſa ſit ex ſecundo decocto pro more, attamen in hoc quoq́; cinnamomum large incoquendum, paſſulæ, zucharum, betonica, & ſi quid aliud ferre poteſt: ſic tamen vt ſuauis ſit guſtui, nec faſtidium moueat bibenti.

Thermæ prodeſſe quidem poſſunt, ſi in illis lauet, propterea quod caliditate ſua vapores, atq́; humores ſub cute contentos attenuant, & viribus metallicis adiunctis, etiam potenter ex cute euocant, vt vlceretur plerumque tota, & ingens fœdi vicioſique humoris copia emanet, ac veluti exſtillet. Tamen ſitim mouent ac bibere cogunt plus quam par ſit, & malo huic conueniat. Si in potu ſic exhiberentur, quomodo in Italia exhiberi ſolent, atq́; vir clariſſimus Andernacus in ſuo libello docet; mirifice profuturæ eſſent.

Quomodo autem bibere debeat, poterit etiam præſens Medicus, qui in Italia ſæpe vidit adminiſtrari ab Andernaco adiutus, copioſe diligenterq́; exponere. Poſt potum, quum ab eius potu corpus atq́; venæ purgatæ ſunt, vehementer laudem embrocham, vt nimirum per aliquot dies in caput ex alto caderent, quomodo ibi in vſu eſſe audimus (loquor de ſerinis) quo & nerui, & cerebrum plenius corrigerentur. Quod ſi purgare initio non videantur, admiſtione zuchari primum tentanda res eſt: deinde etiam tale, in duobus aut tribus primis poculis, ſopita facultas facilius excitetur. Sed hæc omnia præſens Medicus diſpiciet.

Vtro horum remediorum, (vtroque vtatur ſi res poſtulat) delectabitur magis, eo poterit vti. Si thermæ potæ feliciter per inteſtina, & veſicam iterum vacuentur, remedium certe experietur præclarum & efficax. Ad inſeſſum quod attinet, poterit is potum ſequi. Quamquam ego in viris Principibus & aliis auſus ſum mane potum exhibere, a prandio lotionem ſiue inſeſſum concedere ſummo & feliciſſimo ſucceſſu. Imo in ipſa aqua nonnumquam mane potandas exhibui multis ordine diebus pari ſucceſſu. Sed hic circumſtantiæ conſiderandæ. Si nũc vti malit thermis, poterit poſt annum vti decocto guaiaci, a quo non poteſt abhorrere, cum omnes etiam pueri facilime potui eius aſſueſcant, ſi præſertim rebus gratis mediocriter cõdiatur: ſingulis enim annis operam dare oportet, vt totum corpus & pharmacis purgantibus, & illis quæ per cutem vacuant expurgetur ſemel.

Deinde per interualla vtendum vel pil. leuioribus, vt de tribus, hieræ ſimplicis, aloe, rhabarbaro cum turpeto, roſarum ſucco, cum turpeti puluere, Diaturbithi maioris puluere,

uere, Diaphœnico in ſolida forma, & ſimilibus. Multa recenſui, ne vnius continuus vſus faſtidium pariat. Item quotidie mane vti debet vel nuce myriſtica condita: (præſtantiſſimæ ſunt, quæ in Indiis recentes cum cortice condiuntur) myrobal. Chebulis conditis, conſerua florum betonicæ, corticibus citri conditis: & huius generis aliis. Ventriculi quoque os ſæpe inungendum, & vt ſemper caleat, ſtudendum. Vtendum etiam apophlegmatiſmis interdum, quibus ex cerebro pituita detrahatur. Item lotionibus capitis accõmodatis. De his omnibus formulas deinceps conſcribemus, cum eorum vſus non ſit, niſi poſt generalem illam, de qua ſupra egimus, curationem.

Interim nullo non tempore debet vti aqua pro vertigine, Epilepſia, aliiſque talibus capitis morbis arcendis compoſita: cuius deſcriptionem quoq; tradam cum aliis formulis.

Quia præſtantia tua per Dei gratiam nihil amplius ſentit ex partibus inferioribus aſcendere ad caput, ventriculus officium facit, corpus recte feliciterq; nutritur, atq; vnica brachii, & deinde buccarum conuulſio remanſit: ſupereſt, vt nunc illud curemus imprimis, vt caput a pituita liberetur, quæ reliqua eſt, ac cerebrum corroboretur, vna cum neruis.

Caput & nerui a pituita, quæ cauſa eſt conuulſionis adhuc permanentis primum commoda, aptaq; victus ratione, deinde remediis exſiccantibus & diſcutientibus, ſumtis & admotis liberabitur, ſimulque confirmabitur. In victus ergo ratione fugienda ciborum varietas, & copia. Fugiendi etiam cibi, qui difficulter concoquũtur. De quibus omnibus, cum alias ſcriptum ſit ſatis, nũc nihil dicam: ſed quomodo aliiſq; remediis, & quod iam eſt collectum diſſipari & vacuari debeat, & quomodo ne plus colligatur, cauendum ſit, exponam.

Herba pro lixiuio.

Profuerit ergo primum, vt tua præſtantia ſæpe caput ablui lixiuio curet, in quo herbæ, quæ in ſcheda notatæ ſunt decoctæ ſint. Mox a lotione calidis pannis fricetur ſuauiter dum bene recteq; omnia ſiccentur, & non exponatur prius aeri, quam recte exſiccatum ſit, & pori iterum ſint clauſi. Valde autem conducit, ſi in fine lotionis, cyatho vini calidi, in quo ʒ.1. Agarici decocta ſit, abluatur.

Puluis pro ſuffumigio

Secundo debet interdum mane totum caput ſuffumigio ex puluere ſuper lapidem molarem ignitum aſperſo ſiccari & roborari. Mirabiliter hoc pituitam cerebri neruorumq; conſumet, ac deſtillationes efficaciter ſanabit.

Pomum odoratum. Sacculi odorati.

Tertio debet humanitas tua in manibus ſemper fere geſtare pomũ quod crebro odoretur: itemq; noctu ſacculos tenere ſub naribus, vt horum omnium vapore intra caluariam recepto, redundans humiditas diſcutiatur.

Oleum pro auribus.

Prodeſt etiam, ſi ex oleo ad hanc rem deſcripto ſingulæ guttæ calidæ in ſingulas aures infundantur, cum & cubitum iturus. Mox ſunt eædem bombyce odorato obturandæ, & poſtridie diligenter eluendæ vino calido, vel aliter expurgandæ.

Vtendum etiam illis quæ per nares & palatum vacuant ſuperuacaneos cerebri humores, de quibus alias quoque dictum fuit, quantum res poſtulare viſa eſt.

Per os ſumenda quæ ſint, partim antea diximus, partim nunc etiam dicemus, ſi prius monuero, ſcarificationes ſcapularum minime negligendas eſſe: ac veſperi nonnunquam pedes ex aqua abluendos, in qua incoxerint herbæ odoratæ cum largo ſale.

Confectio. Puluis purgatorius. Pruna & paſſula.

Vt aluus quotidie reſpondeat ſumme neceſſarium eſt. Proinde ad eam rem vti oportet omnibus ante hoc tempus præſcriptis. Inprimis autem vtilitatem demonſtrabunt excrementorum per leuia pharmaca vacuationes. Igitur ſingulis, vel octo, vel decem, vel ſex diebus ſumere debebit tua præſtantia vel de confectione, quæ, vt ego arbitror, non erit inſuauis guſtu, vſq; ad drach.ʒ. ante reliquos cibos mane: vel de puluere purgatorio drach.1 vel ſeſquidrachmam; vel de prunis, ac paſſulis, quantum ad aluum ciendam mediocriter ſatis eſſe vſus docebit.

Nux muſcata condita.

Ad hæc ſumenda aliis diebus mane, & antequam aliquid cibi ſumas, pars de nuce muſcata, vel drach.1. vel amplius pulueris, quem pro hoc vſu ſuperiore tempore deſcripſimus.

Quod ſi omnia hæc ita fient, & caput contra frigus munieris commode, ſemperq; ſatietatem ſeu repletionem caueris: habebit res, vt equidem confido, optime. Nihil etiam eſt quod te grauate facturum exiſtimem; ſtudui enim vbique quantum licuit, vt medicamenta non eſſent ingrata.

Porro debet curatio hæc tota inchoari a confectione, vel purgatorio puluere, quo corpus expurgetur, & nihil inſerne aſcendat in caput. Horum deinde vſus erit continuandus tantiſper dum omnia remiſerint, & membra omnia confirmata fuerint.

Aqua ex hirundinibus.

Poſtremo vtendum eſt per interualla ſicut in priore ſcripto monui, aqua ad vertiginem deſcripta, quam parari eleganter curabo, & deſcriptam etiam tuæ præſtantiæ tradam, vt vbicumque, & quandocumq; libet, parare ipſe tibi eam poſſis.

Thomas Eraſtus Medicus Stephano N. Pharmacopœo Heidelbergenſi, S. P. D.

Conſilium 2.

QVÆ obiter ante aliquot dies de ſimplicibus dixi, quę pro theriaca præparanda nobis examinanda propoſuiſti, ea nũc paulo diligẽtius meditata & ſcripto cõprehenſa petẽti tibi exhibere placet. Facio ideo libentius quod de mea ſententia alii rectius ſic iudicaturi, & ſicubi rem minus recte attigi, magno Reipub. bono facilius te admonituri videntur, quo errorem cauere, & meliora ſemper eligere ſine omni labore poſſis. Nihil iam de theriaca per ſe dicam, talis ne præparari poſſit, qualis illa fuit, quam Romanis Imperatoribus Andromachus, Galenus, atque alii præpararunt; ſed de ſimplicibus Medicis quibuſdam quid ſentiam, præſertim vero de ſubſtituendis in locum eorum, quibus caremus, tantum exponam.

De trochiſcis ſcyllæ nihil habeo quod dicam, licet ſcylla noſtra non ſit vera ſcylla, ſed Pancratium potius, ex Math. ſententia, Dioſcor. eſſe videatur: vires tamen eaſdem prope obtinet. Credimus etiam orobum referre, ſemen hoc ita in officinis vocatum, nec ita multum in hoc poſitum cenſemus, vt de eo pluribus diſputare neceſſe ſit.

Viperarum paſtilli, quia ex Italia ſunt allati, merito recte apparati credũtur. De Hedychroi paſtillis coniectandũ ex ſimplicium reliquorũ examine & cẽſu. Piper vt cætera omnia ſit præſtantiſſ. vegetum, acre, plenum non carioſum. De Opio ſi iudicandum eſt ex Dioſcor. lib. 4. cap. 60. certum eſt noſtrum vix vlla in re legitimum referre Opium. Noſtrum meconium eſt, non opium. Atque vtinam non ſit Meconium peſſime adulteratum. Si abſque adulterio Meconium haberi poſſit, poterit pro Opio ſubſtitui. Et parari poterat æſtate a nobis, ſi de theriaca paranda fuiſſemus certiores redditi: in hoc medicamento, quia multum eſt poſitum, iudico multa eſſe conſideranda, & diligenter curandum, vt quam optimum Meconium ſaltem minimumq; adulteratum nanciſcamur, antequam conficiatur Antidotus: iudicium ex Dioſcor. verbis fiet. lib. 4. cap. 60. Scordiũ noſtrate ſumi poterit vtpote recentius, quam quod aliunde aduehitur, at ſatis eſt pollens, ſi modo ſit collectum & natum anno calido & ſicco, non humido & pluuioſo, id quod maxime eſt obſeruandum in herbarum talium collectione.

Semen Napi debet ſumi iuxta Gal. ſilueſtris; Math. iudicat domeſticum & dulce ſumi debere. Quippe Andromachum dulce vocare. Filium autem & Damocratem non addere ſilneſtre. Item Dioſcor. & Plinium domeſticum, non autem ſilueſtre, cõmendare contra venena. Sed nõ magni referre arbitror, vtrum ponatur. Nec admodum valere iſta argumenta opinor, apud eos præſertim qui Gal. diligenter legerunt. Fuit enim theriaca a Gal. non vti noui ſtudio, diligentia, cognitione, felicitate, minuſue efficax, at præſtans compoſita, quam ab aliis. Ego ſane propter acrimoniam ſilueſtre ſemen cum Gal. prætulerim domeſtico, vt ignauiori. Non ſequitur venenis non reſiſtere, quia Dioſcor. lib. 4. hanc ei facultatem non adſcripſerit. Nec ſequitur ſilueſtris Napi ſemen Antidotis non miſceri, quia domeſticum miſceri ſcripſit. Sed hic facile aſſentiar aliis.

De Cinnamomo res mira videtur Scaligero, & quidem recte, ſi quid iudicare hic valeo, nõ vllo iam in angulo terrarum reperiri, cum notior hodie ſit orbis, vbi Aromata illa naſcuntur, quam Romanis fuerit hic noſter. Certum eſt Romanos illarum terrarum nullam, noſtræ ætatis homines magnam habere notitiam, omnia perluſtraſſe, cuncta obſeruaſſe, imo inueſtigaſſe; nec tamẽ Gal. cinnamomũ reperiſſe. Itaq; aut deſiit eſſe cinnamomum, aut non colitur & diſtrahitur amplius. Hoc poſtremum cum incredibile ſit, propter ipſius pretium & nobilitatem, prius autem a nemine dictum ſit: conſectarium eſt certe, cinnamomi & caſſiæ plantas, vel eaſdem, vel minimum diſcrepantes eſſe, atque vnius corticem pro alterius fructu, ſeu cortice vendi, aut forte natalibus, & naſcendi felicitate tantum inter ſe differre. Sane Galen. cinnamomi ramuſculos in caſiæ frutice ſe vidiſſe lib. primo de Antidotis teſtatur. Quę omnia huc faciũt, vt ſi caſiam bonam habeamus, Antidotum nihilo deteriorem fieri appareat, quam ſi cinnamomum verum haberemus. Placet nihilominus, vt per cinnamomum caſiæ prętantiſſimæ duplum accipiatur. Damocrates in deſcriptione Cypheos pro cinnamomo cardamomi ſemen a quibuſdam poſitum refert.

Pro Opobalſamo ponit Cordus oleum caryophyllorum, alii oleũ nucum Myriſticarum: & horum vt ſententiam probo, ita illorum nõ improbo. Certum eſt tamẽ oleum caryophyllorum magis igneum & calidũ eſſe, quã nucis Myriſticæ. Hanc deſcribũt eodem prope gradu caliditatis & ſiccitatis Arabes, quo balſami ſuccũ Græci. Caryophylli, vt nõ modo Paulus docet, ſed & guſtus perſuadet, longe calidiores minuſq; ſuaues ſunt. Habẽt ẽt Myriſticæ nuces, plus pinguedinis gratæ, eoq; nomine commendantur amplius, & inhærent corpori facilius.

Oleum ſiue pinguedinem hanc punctæ oſtendunt. Cæterum hic de oleo, non expreſſo, ſed per chymicam artem extracto, loquũtur, quemadmodum ex caryophyllis elici cõſueuit. Certum eſt tantam olei caryophyllorum quãtitatem reddere Antidotum, calidiorem iuxta, & cariorẽ, haud ẽt meliorẽ oucum myriſticarum oleo. Quocirca hoc potius vſus fuerit, præſertim cum exemplum Italorum hic habeamus, qui in præparanda Theriaca facile hactenus laudem præcipuam obtinuerunt. Porro haud grauate in eorum ſententiam pedibus quoq; ierim qui odoratiſſimum liquorem, quem ex Indiis iam aduehere cœperunt, & Balſamum vocãt, propterea quod per multas Balſami facultates habere compertus eſt, pro Balſamo ſubſtituendum cenſent, ſiquidem haberi is a te poſſit.

Myrrha omnis noſtra, ſi modo Myrrha eſt, vel ergaſima, vel caucalia, vel his etiam deterior eſt. Quoniam vero aliam neque habemus, neque ſperare facile poſſumus, noſtram ita defecatam, vt nuper te monui, admittere cogor. Math. odoratum liquorem, quẽ Balſamum vocari nunc dixi, ſtacten putat eſſe. Quod ſi eſt, ac haberi quiret, aptiſſime pro Myrrha poneretur. Quæ de Myrrhæ purgatione hic dixi, de Galbano, Sagapeno, Opopanace, te etiam intelligere iubeo, niſi puriora hæc forte nanciſci poſſis.

Rhaponticum verum nunc Venetiis venditur, ex Ponto aduectum. Auicenna Rheubarbarum pro eo ponit, quod certe odoratum cum ſit, & eiuſdem cum illo generis planta videatur eſſe, non inepte vbi illud deeſt, ponitur. In quo tamen id obſeruari velim, vt maxime adſtringens, & crudum appellatum eligatur.

Radices quinquefolii communes intellexerunt Græci, de Tormentilla nuſquam ſcripſiſſe eos ſuſpicor, aut ſaltem nihil me de ea legere apud iſtos memini. Ego tamen non valde referre exiſtimo, vtra ex his Antidoto miſceatur. Si adſtrictio quæritur, in vtraq; ineſt vis hebetandi venena: tribuitur hæc etiam ab omnibus recentioribus, maxime tormentillæ. Calamintam montanam hic primus, opinor, oſtendi naſcentem, quæ ſi in aprico loco colligatur, & anno creuerit calido & ſicco, non pluuioſo, qualis hic & ſuperior fuit, non ſit incommoda futura. Gal. prudenter monet, vt, ſi non ex ſua regione herbæ omnes habeantur, vbi ſcilicet feliciſſime proueniunt, quo anno natæ ſint obſeruetur.

Pro coſto cum aliis ferme omnibus zedoariam ponerem. Quod ſi Angelicam odoratam aliquis malit, cum Math. duplum ſubſtituerem, propterea quod citra omnem cõtrouerſiam imbecillior eſt guſtatu, quam fuiſſe coſtus antiquis ſcribitur. Habet enim hæc radix leuem amaritudinem cum acrimonia, non tamen exulcerante, qualem in coſto Gal. ponit, & odorem ſpirat valde iocundum. magis hæc placet, quam Helenium.

De Petroſelino Macedonico legatur Gal. in lib. 1. de Antidotis, vt ne putemus nefas eſſe, aliud eius loco ponere. Quia vero Petroſelino ex plurimorum ſententia caremus, (nec eius plantæ ſemen, quam ſic vocamus, nec alterius, quæ videri petroſelinum poſſit, tantam poſſidet amaritudinem, quantam Gal. petroſelini ſemini tribuit: totam hinc Antidotum amariorem reddi ait) & Gal. ſmyrnio in 8. de ſimpl. medicamentorum facultat. eaſdem propemodum facultates adſcribit, poſſet huius ſemen pro illo poni. Eſt autem Smyrnium herba, quæ alio nomine Romanis oluſatrum nominatur, teſte Manardo, ex Gal. in Italia non eſt infrequens. Hic me vidiſſe affirmare non poſſum.

Iuncum odoratum nuper proponebas nobis recentem, odoratum, & acrem, quo vtendum cenſeo. Raro tales reperiuntur. vocant officinæ ſquinantum.

Spica Nardi tua, nec ſapore, nec odore vllo erat prædita, itaq; hoc ei accidiſſe ſuſpicor, quod ſua ætate Gal. quoſdam facere ſoliros ſcripſit in 1. de Antid. nempe elixam prius ad nos miſſam eſſe. Quærenda igitur alia fuerit. Quippe inueniri poterit.

Styrax quam nobis oſtendiſti, optima non erat. Poterit autem defecari & purgari, vt ſupra de Myrrha eſt dictum.

Thlaſpios ſemen velim eſſe legitimum & acre. Tale autem, non viſum mihi eſt nuper illud quod a te nobis proponebatur conſiderãdum. Niſi plurimum fallor, poterit pro eo non male ſemen Naſturcii in Antidotum indi. Nam & ſapor & odor vtriuſq; idem ferme eſt, & videtur genere non diſcrepare: vires tam habent ſimiles quam vix aliæ duæ plantæ, id quod author ſcripta de vtraq; planta conferenti mox liquebit. Ad hæc illud etiam accedit, quod Dioſcor. vtpote ſimilis naturæ facultatisque herbas mox poſt Naſturtium thlapſi ponit. Poſtremo cõmendat idem ſemen Naſturtii contra ſerpentum venena, atque adeo ſuffitu fugare ſerpentes poſſe affirmat lib. 2. cap. 149. id quod in re propoſita maximum momentum habet. Proinde cũ Thlapſios ſemine vero & bono careamus, Naſturtii autem optimũ habeamus, recte puto hoc pro illo ſubſtituemus.

Amomum verum habemus iam hic etiam ante trienniom.

Malabathri folio cũ careamus, poſſet Nardi ſpica pro eo poni. Etenim Gal. lib. de ſym. med. facult. 7. & 8. ſimilem habere facultatem Nardo aſſeuerat. Similiter fere Damocrates

in lib.de compoſit. medicam.compend.per genera. 7.cap.16. pro Malabatrho, Nardum gangitidem ſubſtiruere in compoſitione acoporum iuber. Aliqui caſiam ponunt, quod non improbarim, niſi iam ante, bis, & ſemel duplicata, poſita fuiſſet: longe mihi viderur optime rem conſideraſſe Cordus, cum partes æquales ſpicæ Romanæ, & Macis ponit. Itaque idem vt facias tu quoq; conſulo.

Fœniculum ponatur non dulce, ſed acre ſiue acutum.

Pro lemnia, Bolus orientalis, qui nihil putatur aliud quam terra Lemnia eſſe, poēndus erit.

Pro Amomo (ſi nō ſit poſitum oleum caryophyllorum pro Balſamo) hic ponerem caryophylla, at vt iudico optima ratione. ſin aliter, poſſet poni galanga maior officinarum. Acorus verus eſt calamus aromaticus officinarum, vt docti iam omnes propemodum teſtantur. Pro carpobalſamo ponunt alii cubebas noſtras, quorum ſententiæ nihil habeo quod addam vel detraham. Non video tamē cur non liceat caryophylla ponere, cum oleum horum pro opobalſamo quidam ponant.

Pro Acacia ſuccum ſumach ſiue Rhois ponerē. Magis enim ad naturam Acaciæ accedere videtur quam prunellorum ſuccus. Pro gummi quod antiqui, ex ſpina adſtringente ſumebant, non debet Arabicum vocatū noſtrum gummi poni, ſed gummi ſilueſtrium prunorum, vel ceraſorum acidorum, Selbaumhartz/ oder Schlehenſtaudenhartz. Gummi officinarum non ex adſtringentibus modo arboribus, ſed ex quibuſuis collectum, non eiuſdem prorſus naturæ eſt, ac raro adſtrictionis particeps deprehenditur eſſe.

Pro Dauco cretico videmur ex ſententia Gal. in 6. de ſimp. medic. facult. Item in 2. de alim. fac. vel paſtinacā ſilueſtrem, vel carui ſemen ſubſtituere poſſe: vtrobique enim ſimiles ferme vires illis attribuit. Poſſet etiā fortaſſis Meum, quod Germanice vocamus Barwurtz poni: verum id pro Meo poſitum iam fuit. Ergo, ſi cui libet, poterit non inepte forſan, radicem eius herbæ ponere quam Imperatoriam aliqui, nos magiſtrantiam hic vocare ſolemus. Certe locum Dauci etiam cretici non inſtrenue tutabitur in Antidoto valenter attenuans, vrinam potenter ciens & menſtrua, flatus validiſſime diſcutiens: reſiſtit eadem vt pleriq; putant, venenis non ſegniter. Odoratæ Angelicæ radici hic locum eſſe nō arbitror quia, acrimonia in ea talis, qualis in Dauci ſeminibus ineſt, nulla percipiatur.

In paſtillis ſiue trochiſcis hedichroi, ſimplicia vel habemus in officinis, vel ſunt a nobis iam ante examinata, exceptis perpaucis, inter quę eſt marum, pro quo ſumit Cordus dictamum Creticum. Alii ſumunt puſillis foliis maioranam, ſed quia & hæc ingreditur loco amaraci, ſyſymbrium poni poſſe iudicant. In qua ſententia eſt Math. ex Dioſcor. Certum eſt dictamnum acriorē & tenuiorem eſſe maro. Itaq; pulegium malim quod dictamno ſimile a Gal. ſcribitur, præterquam quod non eſt æque tenuium partium. Sane Dioſcorides in eadem ſententia videtur fuiſſe. His addatur & illud, quod non niſi inueteratum dictamnum habemus. Et cum pro amaraco ſiue maiorana Italica, quæ noſtra longe eſt generoſior, tu noſtratum amaracum poſueris; præſtaret, pulegio acrimoniam, quæ in noſtra maiorana etiam præſtantiſſima deſideratur, compenſare. Et nihilominus pro maiorana ponenda erit parua illa, odorata puſillis foliis (non ea quæ pinguiora habet maioraque folia, & minus eſt odorata) quæ vocatur a noſtris mulierib. Edel Maieran/ vel klein Maieran. Pro aſphalatho recte ponit Cordus agallochum, ſiue lignum aloes. Præſtat hoc agno caſto, vt ego arbitror.

Pro calamo ſume calamum aromaticum officinarum, vel acorum verum Dioſcori. idem enim ſunt. Si cupis angelicam odoratam in compoſitione habere, poterit hic apte poni. Et mea quidem ſententia, rectius hic poneretur angelica odorata, vt quæ non ſit tam calida, quam eſt calamus aromaticus officinarum. Gal. certe aſſerit calamum odoratum Græcorum de quo hic agitur, & de quo Dioſcor. lib. 1. cap. 17. egit, temperate calidum eſſe, non tam acrem vt eſt officinarum calamus ſiue Græcorum acorus.

Pro xylobalſamo placent ſantali flaui odorati. In Italia plerique cubebas probabant. Math. præter hæc etiā pedunculos caryophyllorum ponit & agallochum: ego non minore ratione hoc in loco nucis myriſticæ florem, quem macem fere nominamus, poſiturus videar; verum ſi ſantali ſint electi & odorati, facile his ſim contentus; ſi non ſint optimi, certe non putem te præter rem facturum, ſi macim nucum myriſticarum corticem pro his ſubſtitues: vel macim & ſantalos æquali pondere coniunctos pro xylobalſamo iniicias.

Pro opobalſamo hoc loco ponerem oleum caryophyllorum, quia quantitas eſt exigua, quæ theriacam ingreditur.

De aliis omnibus dictum eſt. Vnum hoc adiiciam, ſi ſupra pro calamo ponas calamum Aromaticum officinarum ſiue Acorum Dioſcor. pro quo tamen malebamus Angelicæ radicem poni; pro amomo poſſe angelicæ odoratæ locum eſſe. Valde velim, tam præſtanti & tot facultatibus nobiliſſimis inſignitæ radici locum in Antidoto aptum inueniri. Pro amomo

poſſe

poſſe vtiliter ſumi caryophylla, ſi ſupra angelica ſumpta ſit, neque acorum repetere placeat. Hæc habui quæ in iſta temporis breuitate de paranda nunc theriaca dicerem. Propter negotia non mihi licuit, ante hodiernum diem calamum in manom ſumere, nedum cogitare de his rebus. Proinde oro te etiam atque etiam, vt moram hanc feras æquo animo; facilius impetraturum hoc abs te confido, quia non ignoras me fere toto iſto tempore, quo meam de hiſce rebus ſententiam tibi declarare debueram, domo abfuiſſe. Cæterum diligenter caueas velim, mihi ſoli vt credas. Quin potius alios D. Doctores, inprimis autem D. D. Ioannem Langium, virum in omoi præſtanti doctrina eruditiſſimum audito, quo theriaca iſta tua cócinne præparata locum dignitatemque ſuam apud quoſuis tueri queat, & ea præter quæ a bene recteque præparata theriaca, merito expectari poſſunt. Medicamenta ſimplicia, de quibus mentionem hic nullam feci, ea mihi probata ſunt tunc, cum vna cum D. Doctoribus nuper omnia ordine examinarem. De quibus admonendus præterea viſus es, eorum tantum hic memini. A Math. ſententia, cuius in hac re meritiſſimo ſumma debet eſſe authoritas, non temere vel ego diſcedo, vel aliis diſcedendum iudico. Vale 21. Decemb. 1564.

Conſilium 3.

SYMPTOMATA, de quibus quereris, a craſſo & flatulento, pituitoſoue ſpiritu in cerebro collecto naſcuntur omoia. Hinc enim veluti motus quidam vel ſuſurrus oritur. Hinc oculi dextri caligo, palpebrarumque grauitas, & ad mouendum difficultas, quæ a ſomno experrecto, vbi accidit, originem trahit: ſed & blena ſeu mucus iſte, qui per ſomnium in oculis colligitur, occaſionem ab eodem ſumit. Quia enim noctu propter clauſos oculos vacuari nequit, ſed ibi excoquitur & craſſeſcit, vt in pueris ſolet, mane ibidem apparet. Excreationes illæ copioſiores matuunæ, quin ab aquoſa proficiſcantur pituita per ſomnium in cerebro aceruata, ne dubitari quidem poteſt. Huius pars aliqua in pectoris regionem deſcẽdens, cum in flatum vertitur, punctiones illas membranarum efficit. Omnia ergo ex humiditate pituitoſa cerebri perueniunt. Colligitur autem in cerebro hic humor propter eius inſitam humiditatem. In calore & frigore nullum animaduerto exceſſum notato dignũ. Augent eundem hepatis caliditas ſolis * inuadẽt vapores ita fere ſurſum pellens, quomodo ignis fumum pellere ſolet. Quod eo magis fit, quo aluus eſt durior, ac proinde minus per aluum ſpiritus iſti flatulenti, ac materia ex qua generari ſolent, vacuantur.

Ex his curatio facile intelligitur. Nam aluus lubricanda erit, hepatis calor temperandus, aut ſaltem ne augeatur prouidendum. Humores in cerebro collecti, partim educendi, partim exſiccandi. Quod enim affectio oculi non ex vaporibus inferne aſcendentibus, & veluti per cerebrum tranſeuntibus ſolum efficiatur, ex eo certum eſt, quod in altero ſolum oculo percipitur noxa. Quippe experientia multorum ſeculorum docuit ex ventriculo exhalantia, ſi in oculos influant, vtrumque ſimiliter infeſtare. Admodum probabile eſt abs iocinore potius eos tolli in dextram cerebri partem, indeque in oculum penetrare. Cæterum vt capitis excrementa hæc tuto recteq; conſumantur, purgandum prius erit corpus totum, deinde caput, ac tandem ad exſiccationem reliquiarum deueniendum. Quo facto & capite ſimul roborato nihil ſupererit faciendum. Etenim vix puto ſic eſſe læſum oculum, vt ablata cauſa aliquid ibi remanſurum ſit curationis egens. Si autẽ reſtet quippiã aqua extergẽte, & attenuante, non magno labore auferetur.

Ergo principio conſulo, vt catapotiis infra * deſcriptis, caput cũ toto corpore, bis aut ter purgetur ſpatio dierum plus minus quindecim, poſtea vtendum apophlegmatiſmo, mane per dies aliquot. Debet autem is in dextra oris parte præcipue mandi ac teneri per horæ ferme ſpatium ore prono, vt ex capite detractus humor effluat commodius. Poſt hæc ligni guaiacini decoctum vſurpari poterit, quomodo deſcriptus eſt ipſius vſus a medico Vlmenſi. (deeſt deſcriptio.)

Prodeſt item naribus, oculis, ore, excipere fumum pulueris deſcripti ſuper ignitum lapidis molaris fruſtum, conſperſi cum aceti roſacei momẽto ante paſtum mane, & caput ſubinde linteo calido leuiter fricando exſiccare. Nec minus vtilitatis puluis alius adferet, ſi de eo pondus drachmæ 1. aut amplius mane ſumatur. Sic facile fiet caput ab humoribus liberum, qui nunc moleſti ſunt, abſq; omni partis vllius incommodo.

Porro vt tale deinceps conſeruetur opera eſt danda, vt victus ratio ſeruetur quæ caput minime repleat, cruditates nullas generet, aluum lubricam ſeruet, hepar non inflammet, atq; vaporum aſſenſum in caput prohibeat quantum fieri poteſt. Ergo repletio fugienda, cauendumq; ab omnibus, quæ ægre concoquuntur, quæque ſumpta grauant, ac nauſeam faſtidiumque pariunt, quæ ſpeciatim enumerare non eſt neceſſe. Debet enim quiſque ſalutis ſuæ amans, apud ſe ipſum obſeruare, quid ſuæ naturæ maxime conueniat, quid iuuet lædatue. Illa autem quæ caput replere poſſunt, ſtudioſe vitanda ſunt, vt ſunt cępa, allium, raphanus, ſinapi,

nuces oleoſæ, aromatum copia, vina generoſa & antiqua. Arcēt a capite vapores adſtringentia, in fine paſtus ſine potu ſumpta, cytonea, diacytonium, mala & pyra auſtera, meſpila, corna, & huius generis alia: proſunt etiam quæ per vrinas vacuant initio paſtus accepta, cichorium herba, & radices, petroſelinum, radices fœniculi, aniſi, aſparagi cocti, vinum abſinthites & ſimilia: aluum lubricum ſeruāt multa cum ciborum, tum medicamentorum genera, quorum (*Deſt.) aliquot ſeorſum notaui in charta,* cuius tibi quoq; transſcribendi copiam faciam. Hepatis calorem maxime tuto reprimit, vſus conſeruæ roſarum & violarum, ſi quis eo ante reliquos cibos vtatur: item ſi parum iulepi vel roſacei, vel violacei ex aquis recte diſtillatis odoratiſque parati nō ex ſuccis, ante alios cibos ſumat. Æſtati miſceri cum aqua bugloſſi vel endiuiæ, vel cichorii, vel boraginis, vel fontana poterit. Prodeſt eo tempore, ſi quis iturus cubitum biberit: caput poſtremo ſi a frigore ſic ubi putes defendendum, vt nō incaleſcat nimis. Hæc ſunt quæ in præſentia annotanda viſa ſunt pro ſymptomatum & morbi ſupra dicti depulſione. cal. Iulii anno 70.

Thomas Eraſtus.

Conſilium 4.

EX illis, quæ recitata nobis ſunt, hoc primutu patet, caput a prima pueritia fluxionib. obnoxium fuiſſe. Huic ſanguinis crebra ex naribus profluuia, deinde oculorum caligines, vertigines, diuturni dolores, ac diſtillationes tam pertinaces, ortum habuerunt. Et nūc etiam partim propter imbecillitatem cerebri, ex frigiditate humiditateque ortam, non ſatis alimentum proprium concoquentis, partim propter vaporum ex inferioribus partibus aſcenſum, partim propter humoris & ſanguinis vicium, ſic repletur quotidie caput, vt a deſtillatione in ſubiectum pectus numquam liberetur. Admodum certe probabile eſt, ventriculum non ſatis probe cibos concoquere, vaporeſq; capiti ſemper ſubmittere: id quod vel ex eo intelligatur, quod ſæpe coli doloribus conflictatur, quos hoc anno bis iam ſenſit, & quod nunc prope memoriam perdere ſibi videtur. Nec mirum id eſt, cum in occipite perpetuos ferme dolores multis iam menſibus ſenſerit. Quamquam enim alias leuior fuit, vt nunc etiam eſt, alias grauior, attamen veſtigium aliquod ſui relinquit, & ex quauis occaſione redit. Quod ideo fit, quia & imbecillum eſt redditum caput, & materiam doloris ſemper habet aliquam præſentem. Ad hæc accedit, quod hepar calidum eſt, ſiccumq; & vapores ſic fere pellit, quomodo ignis fumum in ſublime tollit.

Laborat nunc prope biennium ex tuſſi admodum moleſta, quæ ex diſtillatione aquoſæ pituitæ nata fuit: liberatus ab ea fuit per menſes ſex dū exerceretur in peregrinationibus. Poſtquam exerceri deſiit, excrementaq; vacuari aliter non potuerunt, in ſubiectum thoracem deſtillare iterum cœperunt, tuſſimq; renouarunt. Nunc res eſt hucuſq; progreſſa, vt per modica interualla quieſcat & lentam ſalſamque pituitam expuat. Acceſſit præterea nuper ſanguinis ex thorace ſeu pulmonibus eruptio de quo nunc maxime quærendum videtur, vnde profluxerit, & quæ fuerit effuſionis cauſa.

Sanguinem intra venas & arterias, vt in propriis receptaculis contineri certum eſt. Proinde cum magna eius copia effunditur, neceſſe eſt, vt vel ex vena, vel ex arteria aliqua exierit. Exire autem nequit, ſi non aut rupta ſeu diuiſa fuerit exeſa, ſiue eroſa, aut certe ſine vulnere aperta. Quamquam enim exudare nonnumquam ſanguinis aliquid per rarefactas vaſorum tunicas poteſt; non tamen multus & craſſus, hoc pacto profluit. Sed paucus admodum, & valde tenuis atq; ſeroſus. Noſter æger multum & craſſum reiecit. Quocirca non eſt cur putemus, eum per tunicas vaſorum ſudoris inſtar extillaſſe, ſed nec de vulneratis aut ſectis vaſis cogitare poſſumus, cum nihil tale ægroto noſtro acciderit. Arteriam quoque ruptam non eſſe nihil dubitamus, cum propter duplicis tunicæ robur & firmitatē non facile rumpatur. Quod ſi venalis vocata arteria rupta fuiſſet, longe maxime ſecuta fuiſſet reſpirationis difficultas & forte extinctus æger fuiſſet. Nulla quoque adſunt eroſi vaſis alicuius indicia. Non enim tam potuiſſet multus & craſſus ſanguis ex eroſo vaſe effluere, nec tā cito ſiſtitur, qui ex tali exit vlcere, idcirco neceſſe eſt, vt vel ruptam vel apertam venam aliquam exiſtimemus in pectore, vel in pulmone, vel in aſpera arteria. Quod ruptura nulla adſit, ex his videtur poſſe doceri. Primum quod tanta craſſi ſanguinis copia ſimul excreta eſt, quanta non potuiſſet ex venulæ paruæ ruptura, aut ex magnæ venæ parua rimula prodire. Oportet ſane rupturam magnam eſſe, & in magna vena etiam factam fuiſſe, ex qua tātum effluat ſanguinis. Deinde quod mox ſuppreſſus eſt ſanguis ſua ſponte, vt ſputum poſt ſeſqui diem nihil ſanguinis in ſe continuerit. Quomodo potuiſſet autem mediocris vena diuiſa ſic ſolidari, vt nihil inde ſanguinis emanaret? Quod ſi aliquid excidiſſet, hoc autem reiici, cum pituita aut in pus verti oportebat. Horum cum neutrum ſit factum, ſatis liquet diuiſam non fuiſſe venam vllam, cum ſanguis reiiceretur,

ceretur, licet vltra dies plus minus quindecim ter ſanguinem eiecerit cum tuſſi. Quocitca videtur aſſerendum omnino eſſe, ex reſerato venæ alicuius oſculo omnem illum ſanguinem prodiiſſe. Venam dicimus pulmonis, quæcunque tandem ea ſit. Nam ex aſpera arteria, tam multus, abſq; pure, abſque doloris ſenſu, cum vehementi tuſſi pro fluere non ſolet. Nec pectoris venam apertam aut diuiſam credere poſſumus, propterea quod abſq; omni dolore exiit: quod is, qui ſecunda ac tertia vice excretus eſt, calidus admodum fuit: quod confertim, & in magna copia reiectus eſt. Etenim partes thoracis ſenſu exactiore prædıtæ ſunt, quam pulmonum caro, quæ propter ambientem membranulam, in quam ſolam exiles nerui diſperſi inſertiq; cernuntur, obſcure ſentit. Conſtat etiam ſanguinem illum, qui ex pectoris venis effluxit, manifeſte calere tunc non poſſe, cum ad linguam & fauces peruenit. Certum & illud eſt, illum non poſſe confertim eiici, ſed ſic expui, vt pus in pleuriticis expurgari videmus. Proinde cum non ſine tuſſi exierit, neceſſe eſt vt ex pulmonibus eum erupiſſe dicamus, aut ex capite deſcendiſſe arbitremur. Quippe ſolet hic quoque, cum in guttur affatim irruit, tuſſim excitare.

At vero defluxiſſe eum ex capite, argumentis quibuſdam videtur monſtrati poſſe. Primum, quod caput fluxionib. obnoxium ſemper fuit. Secũdo, quod ante pubertatem crebro ſanguis ex naribus profluxerit. Tertio, quod poſt decimum quintum annum, quo tempore ex naribus non amplius effluxit, ex pectore cum aliqua tuſſi reiectus eſt, vt ægrotus putat. Quarto, quod ſemper poſt vacuatum ſanguinem caput viſum eſt habere melius ac leuius. Quinto, quod etiam a ſcarificationibus meliuſcule caput habet, quodq; non per nares æque purgatur nunc, vt antea purgari ſolebat.

Etſi hæc aliquid videntur probare & confirmare, nihilominus alias eſſe non minus firmas rationes, quæ ex capite non exiiſſe doceant ſanguinem, quem nuper tribus vicibus cum tuſſi reiecit. Non enim potuiſſet tanta eius copia in arteriam influere, vt interim nulla ipſius particula expueretur, nullumq; ſui ſenſum faceret, priuſquam in pulmones delapſus fuiſſet. Deinde qui potuiſſet quæſo in arteria, aut vbi tamdiu hærere, vt concreſcere iam inciperet, ac demum reiiceretur? Adde quod eiectionem ipſius vehemens & pertinax tuſſis præceſſit. Item quod multus, confertim ruber, feruens abſque palati & faucium dolore ac ſenſu, vel titillatione profluxit cum impetu, & quod reliquum fuit, ſua ſponte fere per arteriam aſcendit in fauces; ſicut ex terra aqua ſcaturit, tollente eum ſpiritu, qui efflari ſolet, ac expellente natura per arteriam ad fauces. Per nares quoque nihil exiit, quod tamen plerumq; fit, cum ex capite deſcendit. Quod enim prima vice tinctæ leuiter nares fuerunt, ab impetu & multitudine ſanguinis ex arteria in fauces erumpentis profectum videtur. Replentur enim fauces, vt facile aliquid ad narium cauitatem pertrahatur. Quinetiam emunctione aliquid ad eas neceſſario adducitur. Cum ex capite fluit, excreationes fere perpetuæ, cum tuſſi non magna, inſigni palati titillatione adſunt, quorum hic nihil fuit. Præceſſit quoque tuſſis moleſta aliquot menſium: & cum ægrotus nunc etiam tuſſit, videtur eam ex imo pectore educere. Quibus ex capite defluens in guttur, ſanguis tuſſim parit, illi ſic tuſſire videntur, quaſi in ſummo pectore tuſſis hæreat, non ex profundo adducatur.

Argumenta quoque ſupra dicta leuia ſunt, atq; hoc ſolum oſtendunt, quæ ex capite vacuari alias ſolebant, non vacuari amplius. Itaq; cum ſolebat ex capite ſanguis effluere, vel per nares, vel per fauces, melius habebat pectus. Nũc illa vacuatione ſuppreſſa, transfert alio humores natura: cum autem pulmones propter continuatam tuſſim debilitentur, & propter eundem illum motum facile recipiant redundantem in capite ſanguinem; facile quoque factum fuit, vt reſerato oſculo profluxerit. Nec mirum hoc cuiquam videri poteſt, qui modo nouit mulieres aliquas propter retentos menſes, & mutilata membra habẽtes, ſimiliter nonnumquam ex pectore ſanguinẽ copioſum reieciſſe, ac melius deinde habuiſſe. Poteſt etiam fortaſſe ex corde per venalem arteriam ſanguis in pulmonis bronchia influere, qui tuſſi deinde reiiciatur: quo tempore, præſertim cum ſanguis multus influit, ſumma ſpiritus difficultate laborare neceſſe eſt, vt a ſuffocationis periculo minimum abſint. Quod an de noſtro ægroto affirmari poſſit, vt nondum ſatis liquet, ita nihil hic ſtatuimus.

Ergo ſic iudicamus ſanguinem illum, qui tertio nunc apparuit, ex aperto alicuius venæ oſculo in pulmone exiſtentis, profuſum eſſe. Quod ſæpius effluxit, in cauſa fuit vaſorum imbecillitas. Etenim cum retentrix virtus reddita eſt infirmior, per breuia interualla, & ex leui occaſione malum redit. Vnde non eſt mirum quod poſtremo exierit aliquid, cum de ſcãmno deſiluit æger, & pectus concuſſit. Interim non dubito, quin occaſionem auxerit ſanguinis acrimonia & ſalſedo. Nam æger manifeſte calidum & ſalſum eſſe perſentit.

Cauſæ apertionis ex his, quæ nunc dicta ſunt, abſq; negotio intelligi poſſunt: ſolẽt enim vaſorum ora reſerari a ſanguinis multitudine, aut fuſione, ab imbecillitate facultatis retentricis, a ſanguinis vitio mordacitateue, & cauſis aliis ſimilibus, vt inflatione ſeu copioſo flatu in

eo exiſtenti, a quo & vtres, & vaſa rumpi videmus. Multum in pulmonibus ſanguinem contineri inde coniiciat aliquis, quod facile aliorum membrorum copiam propter imbecillitatem, & diuturnum motum, quo violenter propter tuſſim agitatur, recipit. Fundere ſanguinem tũ alia, tum maxime motus ſolet. Quod ſi præterea crudus ſit, & in flatum verti, partes ipſius aliquæ prompte poſſint: magis funditur magisq; intumeſcit, ac diſtendendo venas aperit. Equidem vix, puto: dubitari poteſt, quin talem ægrotus noſter babeat ſanguinem, qui in ſpiritum facile permutetur. Non enim non poteſt ſanguis poſt tam longum & pertinacem catarrhum, perpetuamque fere tuſſim crudus generari, dum ſomnus, quies, coctio impediuntur, & pituitoſi bumores vbique cum ſanguine miſcentur, qui ad flatus procreandos aptiſſima ſunt materia.

Adeſt etiam in ſanguine ſalſedo & acrimonia, quæ non parum poteſt moleſta eſſe venis. Sunt ergo omnia fere in noſtro ægroto, quibus recludi venarum ora ſcimus, vt de cauſa ambigere nobis non liceat amplius. Iam cum conſtet ſanguinem ex venis pulmonum erumpentem, ſi non probe expurgetur, ſed ibi manens putreſcat, vlcus parere curatu difficilimum: opera omnino eſt danda nobis vt prohibeamus iſtam ſanguinis ex venis effuſionem. Prohibebimus autem, ſi & copiam minuemus, & ne pulmones repleantur, quique in ipſis continetur ſanguis fundatur, ſeu in flatum vertatur, procurabimus. Hoc autem obtinere difficile erit, ſi catarrhus perſeueret. Siſtẽdus ergo is inprimis fuerit. Hoc facto, coctiones futuræ ſunt meliores, minuſque vicii contrahet ſanguis in venis contentus. Demum pectus a ſordibus purgandum, & modis omnibus corroborandum erit, vt deinceps tam facile bumores aliunde in ipſum irrumpentes recipiat: quibus hæc remediis perfici poſſe exiſtimemus, nunc iã commemorare breuiter inſtituimus.

Principio totum corpus erit vacuandum venæ ſectione, deinde pharmaco leui ſæpius repetito, ne lædatur pectus ex violenta purgatione. Quod corpus purgationi prius idoneis & conuenientibus ſyrupis præparandum ſit, per ſe notum eſt. Ergo ante omnia accipiat bolum infra deſcriptum, vt eo melaraicæ extergeantur. Deinde vtatur per dies quinqne ſyrupo ſimiliter infra deſcripto. Demum ſumat ʒ. *i.* pilularum, quæ ibidem & notatæ habentur. Verumtamen non ſatis eſt ſemel accepiſſe, ſed debet ſyrupum priorem iterum per triduum ſumere, & quarto die totidem pilulas. Mox interpoſito alio triduo, tertio eaſdem pilulas repetere. Poſt harum pilularum vſum valde vtile fuerit ʒ. *i.* theriacæ bonæ Italicæ, aut huius noſtratis in decocto, aut hyſſopi, aut betonicæ ſummo mane hauſiſſe. Toto corpore ſic purgato, caput priuatim purgandũ erit apophlegmatiſmis & errhinis. Poſt hæc ſi thermis poſſet vti Cellenſibus, valde profuturas ideo ſperaremus, quod multis hoc pacto laborantibus profuiſſe eas ſcimus. Siue autem vtatur thermis, ſiue non vtatur, neceſſarium omnino erit, vt exercitio, matutinis frictionibus, lotionibus veſpertinis pedum, leuibus & frequentibus pharmacis aluum ſimiliter ſubducentibus, nonnumquam etiam diureticis leuioribus vapores humoresq; a capite auertantur, extraque corpus educantur, ne videlicet in cerebro aceruentur. Collectos autem diſſipare & expurgare oportet lixiuiis exſiccantibus & roborantibus, pulueribusq; capiti inſperſis, aut ſacculis, aut conſimilibus aliis ſuffumigiis odoramentis. Per interualla repetere ea quoque erit vtile, quibus ſupra paulo purgari caput diximus, nempe apophlegmatiſmos & errhina, inprimis autem vtilia erunt errhina. Horum omnium exempla infra in aliis medicamentis præſcribemus. Ante omnia autem victus rationem ſic inſtitui oportet, vt quoad fieri poteſt excrementa pauciſſima generentur, & caput minime repleatur. Ergo cibis vtatur boni ſucci, & in quantitate parua bene nutrientibus & temperate calidis, nempe carnibus auicularum, pullorum columbarum, hædorum, caponum, gallinarum, veruecum, vitulorũ, ouis recentibus, ſorbilibus, hordeo, oryza, auena, ciceribus, ſpinachia, cichorio, bugloſſo, boragine, paſſulis, amygdalis, prunis dulcibus, nucleis pini, iuribus carnium, cicerum rubrorum, cum momento croci, pyris coctis cum aſperſo zuccharo, in fine menſæ coctis cydoniis cum zuccharo cydoniato, amygdalis dulcibus, pineis nucibus, & ſimilibus. Conueniunt, pulticulæ ex paſſulis, & panis micis, item ex lacte amygdalarum confectæ; vtatur in vna menſa non multis cibis, ſed duobus, aut ad ſummum tribus ferculis crebrius aſſatis, quam elixis carnibus, vtatur prandio, & cæna; & tempore intermedio, quantum poterit, ſibi a cibo potuque caueat.

Abſtineat ab illis omnibus quæ caput replent, vinis generoſis, ſinapi, erucæ ſemine, naſturtio, raphano, cæpis, allio, aceto multo, carnibus & piſcibus ſalitis, vel in fumo aliterue arefactis. Piſcibus vti poteſt marinis, in locis lapidoſis degentibus, & carnem mollem, ac friabilem habentibus, vt ſunt truitæ, funduli, lucii, ſalmones, percæ, & marini prædicti. Ab his quos noſtri vocant Karpffen/ ab anguillis, tincis & ſimilibus caueat. Haleces bene macerati, vt ſalem omnẽ amiſerint nõ ſunt prorſus damnãdi: in fumo exſiccati nullo pacto, admittẽdi, fugiẽda lacticinia, caſeus, caro, ſuilla, & quæ ex paſta parãtur, beta, braſſica, & quæ huiꝰ farinæ alia ſunt.

ſunt. Item aromata omnia exceptis caryophyllis, nuce muſcata, & huius flore, quem hodie vocant macim. Duo poſtrema genera imprimis ſunt vtilia, ſicut nux muſcata condita, chebuli conditi, cortices citri conditi, conſerua roſarum, conſerua betonicæ, & confect. diambræ, ac diamuſci, aromaticum roſatum tabulatum. Rad. helenii zuccharo conditæ, ſicut & eringii maximi radices ſimiliter conditæ. De hiſce quotidie poterit mane ſumere aliquid, horis tribus, aut duabus ante paſtum, ſæpe etiam poſt purgationem corporis, & capitis, lambat ſirupum de hiſſopo cum ſirupo de glycyrrhiza mixtum.

Caput ſeruet ita tectum, vt neq; præter modum calefiat, neque a frigore lædatur, atque auſtros frigidoſq; ventos ſummo ſtudio deuitet. Cum primum ſenſerit frigeſieri, caput diligenter operiat, & noctu quoque contra frigus commode muniat, tegumēto, ſeu vitta ad hoc parata. Nec minus interdiu ſolicitus eſſe debebit, ne frigori caput exponat. Mane pectinet, & panno calido confricet. Quod ſi ſuffumigio prius impoſito pannos calefaciet, vtilius iis caput confricabitur. vtetur frequenter pedum lotionibus veſperi, mane autem ſcapularum & brachiorum frictionibus calidis: vtiles eædem veſperi quoq; ſunt, ſi ante pedum lotionem ſub genubus deorſum pedes fricentur tantiſper, dum cutis rubere & calere incipiat, mox in calidam demittat. Scarificationibus vtetur ſcapularum, & ſupra cubitum in exteriore brachiorum parte ſingulis menſibus, etiam extra balneum ſudatorium, quo raro vtēdum fuerit, vt humores deorſum reuellantur. Vnice prodeſt cauterium circa finem muſculi deltoidis in brachio excitatum, & ſic ſeruatum. Efflueret enim maxima pars humoris cerebrum occupantis, & in pectus deſtillantis. Poſſet etiam fieri eo in loco quo collum capiti coniungitur. Sed talia tunc demum tentare licet, cum totum prius corpus, deinde vero caput etiam purgatum probe fuerit, ac cætera remedia ſuperare morbum nequeant. Opera quoque eſt danda, vt quotidie aluus excrementa ſua deponat. Id ſi ſua ſponte non fecerit, irritanda fuerit glande, aut ratione alia ſimili. Exempla talium rerum præſcribi aliqua ægroto curabimus. Singulis prope ſeptimanis vtatur aut pilulis, aut alio idem præſtante pharmaco leuiter ſubducente, quorum exempla aliquot ſubiecimus. Semper poſt purgationes ſuffumigiis mane vtatur, noctu pulueribus capiti inſperſis, coronali videlicet, ſuturæ, lixiuiis per interualla, pro more conſueto, caput abluat.

Bis quoque in anno ad minimum pharmaco valentiore corpus purgetur; & ſemel ſaltem, aut in hac iuuenili ætate, bis vena ſecetur, exterior videlicet cubiti, ſeu humeralis vena, aut certe ea quæ mediana vocatur. Singulari ſtudio caueat, ne nimio aut difficili concoctu cibo ventriculum repleat, neue generoſum vinum copioſius bibat. Si poſſet per ventriculi infirmitatem, & colici doloris metum a vino prorſus abſtinere, aut raro bibere, præſertim vinoſum; conſuleret ſuis rebus pulcherrime. Poſſet ergo vel tenui ceruiſia vti, vel aquam cum zuccharo, prunis, cinamomo, maſtiche & maci decoctum pro vino vtiliter vſurpare. Certum eſt vini vſu caput plurimum repleri, & catarrhos adaugeri. Paret ergo ex dictis & ſimilibus aliis ſibi potus ſuaues. Quod vt ſit factu facilius, exemplum adſcribere in charta placuit.

Quod ſi thermis vti Cellenſibus decreuerit; poſt corporis primum, deinde etiam capitis purgationem, vt dictum ſupra fuit, illo ſe conferat, vaſque ligneum, quod tinam aliqui vocant, & qualia illo loco vſurpātur ab omnib. in hypocauſto poni curet. Cum ſerenum cælum eſt, non eſt neceſſe, vt calefiat hypocauſtum, niſi frigus matutinum id poſtulet. Exorto iam ſole feneſtræ & oſtia aperta ſint, dū in ſolio ſedet, vt locus perfletur. Cū nubilum, aut pluuium eſt cælum faciendum erit idem; cauendum tamē ne aer per feneſtras ingrediens caput feriat. Quamquam ſi commode tectum ſit, non facile tum lædi queat, cum in ſolio adhuc ſedet. Paulo antequam exeat, claudantur fores & feneſtræ, excipiaturq; æger linteo panno longo, & corpus exſiccet, mox in lectulo ibidem poſito hora vna plus minus quieſcat, mediocriter tectus; hoc tempore iterum licet immittere aerem, ea adhibita cautione, quæ dicta eſt, ne videlicet caput ab aere feriatur nudum.

Lauet initio ſic, vt aqua non nimis caleat, ſed in ea tantum nō frigeat. Cauendum enim modis omnibus, ne caput nimium incaleſcat. Cum tale quid fieri animaduertet, mox frigida eiuſdem generis aqua ſolium temperet. Initio per horam dimidiam mane lauet, deinde amplius, vt ad horas circiter tres vel 4. aſcendat. A prandio leuiore horis fere quinque iterum ingrediatur in ſolium, & primū moram in eo breuiorem faciat, paulatim diutius inſideat, vt iam monuimus. Mane & veſperi in lectulo poſt balneū quieſcat, deinde cibum ſumat, eumque ſimplicem, nec nimiæ quantitatis, ſed potius intra iuſtam quantitatem. Lauet hoc modo ſeptimanis plus minus quatuor. Si corpus exulceretur ab aqua illa, vt plurimis vſu venire ſolet, cum primum reualuerit, lauari deſinat, attamen paulatim, non ſubito.

Admodum quoque foret vtile embrocha iſtius balnei, quam Duciam vocant, vti: ſed quia nunc aer eſt frigidior, differri hoc remedium in ſequentem annum præſtat, quo tempo-

re artificiali poterit vti, ſi longius ab his & aliis congruentibus thermis abſit. Potus quoq; harum aquarum præſertim vero, ſi per vrinas vacuentur, aluumq; ſubducant, mirifice pectori conducit, in qua re conſuetudinem aliorum ibi lauantium, præcipue obſeruabit.

Poſt vſum thermarum diligenter ſibi caucat ab aere frigido, & humido, ne caput eo lædatur; atque illa vſurpet remedia, quæ ſupra pro exſiccãdo & roborando capite recenſuimus. Interim quoq; imprimis det operam, vt ventriculus recte valeat, probe concoquat, vapores non tam multos in cerebrum ſubmittat. Proderit ob hanc rem, poſtquam cœnauerit & pranſus fuerit, vt nec edere, nec bibere amplius iam velit, pulueris deſcribendi cochlear ſumat, quo vaporum in caput aſcenſus prohibebitur. Curet etiam, vt poſt balnei vſum per integrũ menſem ad minimũ accurate viuat, & in nullo quo ad eius fieri poterit, delinquat. Reliqua quomodo perficiantur, ſatis eſt multum a nobis expoſitum.

In conſerua betonicæ aut cum myrobal. chebulis, aut aliis talibus accipiat frequenter ℥.ß aut ʒ.i. pulueris cornu cerui vſti, aut tibiarum cerui vſti, quo vno remedio iuuabitur omnino plurimum, ac teſtimonium ei præbebit ægrotus, ſpero, optimum, vbi eo fuerit vſus.

Bolus.

℞. Spec. Hieræ ſimpl. ʒ.i.ß.
Caſſiæ nouæ tractæ. ʒ.v.
cum zaccharo quantum ſatis
fiat bolus. inſpergantur aniſa
zaccharo incruſtata.

Sirupus.

℞. Sirupi ſtœchadis, betonicæ, ana ʒ.vi.
Aquarum hyſſopi, betonicę, an. ℥.i.ß.

Pil. purgatoriæ.

℞. Pil. cochiarum, fumi terræ, an. ʒ.i.
Agarici trochiſc.
Pil. de agar. cum rhab. an. ʒ.ß.
cũ ſirupo de betonica f. pil. num. 33. & conſpergantur zaccharo & puluere macis, an. q. ſ.

Apophlegmatiſmus.

℞. Rad. pyrethri,
Zingiberis, an. ℈.ij.
Caryophyllorum,
Piperis, an. ℈.i.
Maſtiches, ℈.ß.
Cera q. ſ. fiant rotulæ paruæ inſtar lupinorum compreſſæ.

Errhinum.

℞. Olei irini, ʒ.ij.
Succi naſturtii vel anagallidis,
Succi betonicæ,
Iridis, an. ʒ.i.

Elaterii.

Ellebori albi,
ſemen naſturtii, an. ʒ.i.
ceræ parum, fiat linimentum.

Aliud precioſum pharmacum caput per nares purgans.

℞. Aquæ ſtillatitiæ maioranæ, ℥.iij.
muſci optimi, g̃.v.
Tepefiat aqua per dies 7. continuatos. a purgatione corporis mane trahatur ex paruo vitro anguſti orificii per calamum in nares, ore prius aqua repleto.

Pomum odoratum.

℞. Myrrhæ præſtantiſs. ʒ.i.
ſtyracis calam. ʒ.ß.
ſem. nigellæ,
Gran. paradyſi,
Benhoini,
cor. citri,
ſantal. flauor.
Rad. pæoniæ mar. an. ʒ.ij.
cinnamomi,
caryophyllorum,
nucis moſcatæ,
macis, an. ʒ.4.
ſp. diamoſchi dul.
Galliæ moſcatæ, an. ʒ.ß.
muſci,
camphoræ,
Ambræ præſtantiſs. an. g̃.iij.
Terebinthinę puriſſ. q. ſ. vna cũ aqua roſacea moſcata. f. pomum odoratũ.

Herbæ pro lixiuio.

℞. Betonicæ,
ſtœchadis,
Maioranæ,
Menthæ, an M.ß.
Roſarum rub. p ß.
Folior. ſenæ, ℥.ß.
Agarici, ʒ.ß.
Bulliant in lixiuii quantitate, quæ pro vna lotione ſufficiat.

Herbæ pro vitta nocturna.

℞. Origani, calamenti mont. ſaluiæ, ſtœchadis, maioranæ, chamæmeli, baccarum lauri & iuniperi, an. q. ſ.
Contundantur baccæ herbæ, terantur, inſuantur vittæ duplici ex panno lineo confectæ.

Puluis pro ſuffumigio & inſperſione capitis.

℞. ligni aloes, ſandarachæ, roſarũ rub. maſtiches, thuris, ſtyracis calamitæ, olibani, an. ʒ.i.
Caryophyllorum, cinnamomi,
macis,

macis, an. ℈.ij.
Gallicæ muſcatæ g̃.iiij.
Terantur, & in puluerem exquiſite tenuem redigantur omnia.

Pharmaca leuiter purgantia.

℞. ſpecierum hieræ ſimpl. Gal. ℈.ij.
Agarici recens troch. ℈.i.
Rhabarb. opt. ℈.ſem.
Cum ſyrupo vel melle roſato fiant pilulæ numero xt.
Item ſyrupi ooſtri compoſiti ex flor. pru. ſilueſt. ℥.ij.
Item eius qui ex roſis factus eſt.
Item cochleare. diaireos deſcript. Anderoaci.
Item pil. ſtomach. officin. ʒ.i.
Item pil. Aggregat. ʒ.i.
Item pil. maſtich. ʒ.i.

Puluis poſt cibum.

℞. coriandri præparati, ℥ i.
Semeo aniſorum
fœniculi, an. ℥.ſem.
cort. citri,
macis, an. ʒ.ij.
cinnamomi, ʒ.iij.
pul. diacytoo. abſq; aromat. ʒ.I.ſe.
Zucchari roſati tabulati ad pondus omoium, fiat pulois ex omnibus tenuiſſimus.

Vinum factitium.

℞. Aquæ fontanæ menſuram noſtratem I. in hac bulliant ramenta, ſantalorum rubrorum, dũ aqua rubeſcat: ad finem ioiiciantur cinnamomi, craſſiuſcule cootuſi, ʒ.ij.ſem.
paſſularum, ʒ. i.
zucchari q. ſ. vel vnc. ij.
Si clareſcere cupis, deſtilletur per caligam ſiue manticam Hippoc. & ſuſpendatur io ea de filo in panno raro ligata macis & caryophyllorum pulueriz ata.

Conſilium 5.

PVELLA nobilis annos fere 15. nata, laborat diabete, & diu iam eo morbo laborauit, ita tamen vt poſt vſum acidularũ io Kirchenfeldt/ ooo nihil remiſerit, nunc autem rurius exaſperetur. Diligẽter circumſtantias ioquirẽs, oullum caliditatis renum potui ſignum animaduertere. Ipſa certe perpetuo magis friget circa eorum regionem, quam caleat. Quæritur de cauſa huius mali, eiuſque curatione. Ad primum reſpondeo fieri non poſſe, vt vrinæ excretio oblæſa ſit, ſi partium earum, per quas ea naturaliter obitur, ſecundum naturam habeat. At de veſica non eſt, cur hic cogitemus, ſiue attrahere, ſiue recipere domtaxat lotium ponatur. Non enim poſſet tantum attrahere, ſimulque intolerabilem illam ſitim ioducere. In reoibus ergo, qui præcipue huic muneri deſtinati ſunt, vt ſerum e magnis vaſis ad ſe attrahant, viri aliquid ineſſe veriſimile, adeoq; neceſſarium exiſtit. Niſi ita eſſet, tam noo attraheretur ſerum ea copia ad ea loca nunc, quam non attrahitur io hydrope, aliiſq; aquæ in vaſis & hepate collectionibus. Dum naturaliter affecti ſunt, tantum ad ſe attrahunt quantum debent. Si maior adſit ſeri quantitas, eam in vaſis relioquũt, vt ſæpe fieri ſolet. Sed nec attrahere videntur in hac puella, cum caliditatis eorũ, vt dixi, nullum exſtet indicium. Quid igitur, an ab hepate intemperato illo propelli dicemus? At non recipient, ſi valeot. Cum io omnes partes me verſo, nihil inuenio, in quo tuto acquieſcam, io hoc quidem caſu. Scio quid Galenus, quid alii tum vetuſtiores, tum receotiores ſcribant: vidi ipſe quoque puerum, eundemque percuraui, qui calida reoum iotemperie laborabat. Sed hic oihil tale reperio. Caliditas multo minor, quam quæ vi tanta trahere poſſit, manifeſte percipitur, hic nihil caloris ſentitur. At hepatis calidioris non obſcura adſunt indicia; quare in hac ſententia nunc ſum, laborare quidem renes in hac puella intemperie frigida potius quam calida, ſed ab hac ſola vrinæ tantum profluuium fieri noo arbitror. Hepar calidius factum ſuſpicor omnem, quæ ad ipſum peruenit, humiditatem celeriter depellere ad reoes. Hos propter debilitatem contentiuæ facultatis nullo fere tempore retinere. Quod cũ fit, oeceſſarium eſt, vt perpetua ſit eorũ attractio, licet alia ratione immodica forte non ſit. Trahunt igitur, ſed quia tracta pro more continere non valent, oec carere tamen eo quod oaturaliter trahere ſolent, volunt; continue trahunt, & quod trahant, ioueniunt. Hinc tanta potus excretio oritur. Quæ ſi ita habeot, certum eſt hepatis intemperiem corrigi, & renes corroborari oportere renes etenim non tam ob intemperiem, quam affluentis ſubinde humoris ſeroſi & frigidi copiam debilitari & grauari. Quamobrem victus ratio inſtitui debet, moderate calefaciens & adſtringens; quæ celeriter alterantur, & peoetraot, minus coouenîunt. Proſunt etiam alimenta medicamentorum naturam participaotia multo magis quam pura pharmaca. Ad cibos quod attinet, conducunt maxime oryza & milium, & auena, ſi in lacte vel amygdalino coquantur, vel vaccino, in quo tamen prius chalybis igniti fruſta extincta ſint. Deinde proſunt pedes vitulini & ſuilli optime cocti, omphacioque

ſeu agreſta conditi. Carnes aſſæ magis probantur quam elixæ. Omnes tamen agreſta, vbi fieri commode poteſt, condiendæ; ſal & aromata vitentur. Oua mediocriter dura cum agreſta laudantur. Tortæ vocatæ ex contuſis amygdalis, & ex eiſdē pultes factæ conueniunt: quemadmodum & cydonia, & poma omnis generis, ſubacerba ſeu auſtera cocta. Commendantur maxime pruna ſilueſtria & corna condita. Bene quoque facit vua, quæ Ribes appellatur, lac acidum, quod exempto ſit butyro, comeſtum potumque iuuat. Vtile quoque eſt vinum rubrum quod auſteritatis eſt particeps, & craſſiuſculum apparet. Confert maxime aqua cocta cum prunis ſilueſtribus, & interiore quercuum cortice decocta, quo remedio fere ſolo aliquando morbum iſtum in puero curaui. Poterit pro noſtra puella incoqui macer, ſeu macis inuolucrum nucis myriſticæ. Deinde ſuauitatis, & vtilitatis gratia permiſceri, quoties bibere cogitat, poterit vel ſuccus cydoniorum abſq; zacchare, aut ſaltem nō multo paratus. Confido maxime in ſirupo ex conſolidæ maioris radice, & prunis ſilueſtribus præparato; quo etſi non ſum in hoc ipſo morbo vſus, ea tamen felicitate in affectibus huic malo ſimilibus vſurpaui, vt non verear affirmare plurimum hic quoque profuturum. Et hæc de talibus, quibus ego ſolis principio curationem tentarem. Si nihil proficerem; ad pharmaca demum, trochiſcos, electaria, pulueres, confectiones medicamentoſas deſcenderem: quorum eadem eſſet vis, quæ eſt in iam dictis. Cæterum non opus fore talibus mihi perſuadeo, ſi cum illis quæ recenſui ac ſimilibus, ſerio morbus oppugnetur. Si aqua ferrea alicubi reperiretur citra acrimoniam, ea vtendum cenſerem. Acidulis cur non fidam, multa me mouent. Hoc interim ſilere non debeo, multum prodeſſe vomitum a multo potu excitatum. Quare vel in id frequenter fieri, ſi modo ægrotans vomere citra periculum poſſit.

De ſumendis dictum eſt. De admouendis aliquid nunc dicendum.

Hepatis regio inungatur mane & veſperi vnguento, quod ſigno A. notatum eſt. Tertio aut quarto quoque die abluatur locus ſpongia in aqua, vel vino calido madefacta calefacta & expreſſa, iterumque inungatur, vt prius. Quotidie bis inungi lenie, ſed diu infricari debet, mane ac veſperi. Simili modo inungi quoque debet renum regio bis ſingulis diebus linimento B. & imponi poſt vnctionem debet emplaſtrum C. ſignatum. Hæc ſi cum diligentia fiet, citius opinione ſanitatem recuperabit, ſpero, nobilis illa virgo.

Quod ſupra oblitus fui dicere, hic monebo. Si puella delectatur herbis ex aceto, ſale, & oleo, quibus vulgo nobiles per Galliam, & Italiam initio cœnæ vtuntur; condiatur endiuia & pimpinella Italica, (noſtri ſanguiſorbana nuncupant) quæ ad hunc vſum paſſim expetitur; lactuca etiam & cichorii hortenſis folia præcocta comedi poſſunt, itemque portulaca, ſic tamen vt ſemper admiſta ſit pimpinella cuius mentio facta eſt, & in aceto paſſulæ prius maduerint. Melius tamen eſt abſtinere, aut rarius attingere. A labore, ſcalarum aſcenſu, ſaltationibus, & exercitiis conſimilibus diligenter caueat, ſi ſalutis ſuæ amans eſt. Si ventriculum debilitari ſentiat admoueri ſcutum debebit, quod eum confirmet, ac naribus ſubinde, violas, roſas, acetum roſaceum, & odoretur. Hæc habui, quæ de affectu raro dicerem, ſemel enim tantum in puero ſolum vidi & curaui: at cum aliis morbis iunctum ſæpius animaduerti. De cauſa eius multo plura dicenda fuiſſent, niſi capita dumtaxat attingere conſtitutum habuiſſem. 2. Martii, anno 80.

Thomas Eraſtus.

Conſilium 6.

PVER nobilis Gallus, annos natus circiter 14. habitu corporis gracilis, & macilentus admodum, niger, ſubtriſtis, aliquot iam annis interdum ſenſit debilitatem quandam, velut ἔκλυσιν, poſtea malo paulatim aucto grauius habere cœpit: demum λειποθυμίᾳ, ſeu λειποψυχίᾳ correptus aliquoties fuit, ſine cauſæ euidentis interuentu. Syncopen nondum perpeſſus eſt; quod quidem intelligere nos potuerimus. Idem ſcabie iam diu laborauit moleſta ſatis: ex qua nondum plane conualuit. Ante animi deliquium ſemper & alias frequenter queſtus eſt de doloris cuiusdam ſenſu in ore vētriculi. Dextrum hypochondrium ſiniſtro multo magis tenſum eſt; ac tactui manifeſtius remittitur. Cor manu, pectori impoſita euidentiſſime moueri ſentitur maiore contentione, quam pro motu arteriarum. Sic prope videtur moueri ac ſi flatu plenū, diſtentūq; reſtet: Iam & ſi, nulla in eius motu deprebendi a nobis potuerit inæqualitas: quemadmodum nec in arteriis vlla nobis apparuit. Vrinæ ſubſtantia & colore laudabiles viſæ ſunt, in quarum fundo arenulæ & veluti cineres multi apparuere: nonnumquam materiam in eis conſpeximus, craſſam & multam, puri, quam hypoſtaſi ſimiliorem. Edit, bibit, dormit, & commode, & pro naturæ ſuæ cōſuetudine: niſi quod per morbum nunc viſus eſt liberalius appetere, ac noctu minus aliquanto quieſcere. Queritur de magna faucium ſiccitate (licet expers ſit febris) vt aliquando frigida colluere cogatur. Verſus auroram

bene ſatis dormit. Tuſſicula etiam inani vexatur, propter titillationem in faucibus perceptam: vt nobis retulit.

Ergo cum animi defectus ſit ſubitus virium lapſus, neceſſum eſt, vt eorum aliquid mutari cogitemus in quibus vires conſiſtunt. At in ſpirituum iuſta quantitate, & qualitate, nec non congruente ſolidarum partium ſeu membrorum temperamento, conſiſtere eas certum eſt. Quocirca vel congenitum membrorum calorem vel ſpiritus pati ſequitur. Cæterum vt in membrorum vitiis, accidentis huius cauſam quæramus, nulla nos res mouet. Quippe figura, numerus & reliqua culpa carere videntur, & motus cordis qui manu percipitur, naturalis videtur: cum & æqualis omni tempore, (nam & ante & poſt cibum contrectauimus, vt nihil inexploratum relinqueremus) maneat, & arteriæ naturaliter molles æqnabiliter etiã pulſent, ac morbidæ affectionis ſignum in ſe habere videantur. Temperamentum autem adeo celeriter euſq; non mutatur, vt animus deficiat. Corripit eum affectus inopinato, nulla, vt diximus, cauſa morboue præcedente; in ſpiritibus ergo mutationem fieri nobis perſuaſimus. Etenim exſolutiones & deliquia inducunt ſpirituum inſignes, vel alterationes, vel euacuationes, aut diſſipationes, vel interclusiones, aut ſuffocationes. Euacuationis & diſſipationis ſigna in ægro noſtro nulla ſe nobis offerunt. Quoniam dum optime valere videtur, hilaris eſt ac lętus, nec vllo, vel animi, vel corporis motu perturbatur, deniq; cum nihil minus metuit, repente inuadit eum affectus. Anxietas & dolor in ore ventriculi tantus non eſt, vt eius rationem habeat: nec eo præſente, ſuccedit ſemper animi defectio. Quæ res facit, vt minime putemus, ſpiritum perturbate motum, aut ex corde confertim ad os ventris propter eius dolorem accitum ſymptoma hoc parere. Sed nec ſuffocationis, aut interclusionis, aut extinctionis, Indicia vidimus. Quamobrem alterationem eos pati cenſuimus. Alterantur porro ſpiritus aliquando ſimplici & nuda qualitate, ſicut in Ephemera contingit; nonnumquam per admiſtionem inimici halitus. Et in ægroto noſtro prior modus locum non habet: vt & prædicta oſtendunt: & illud præclare probat, quod malum non ſenſim augetur, ſed celeriter inuadit, & mox iterum ſoluitur. At ſimplex intemperies tanta, quanta vires deiiciat, non tam celeriter reſtingui ſolet: quod Ephemeræ ſatis declarant. Alterantur igitur ab halitu quodam inimica qualitate prædito. Ergo certis temporibus ſpiritum vel halitum malignum in parte aliqua corporis colligi coniicimus: qui ex interuallis erumpens, os ventriculi, cor, deniq; caput etiam laceſſat. Signum huius eſt quod ſubito generatur hoc accidens, & celeriter iterum deſinit, & quod tum ſibi caput repleri, & non nihil accendi aduertit. Quinimo ſtrepitum, velut aquæ bullientis tantum percipit, vt mirentur adſtantes non eundem audire. Flatum hunc melancholicum eſſe iudicamus; videtur enim corpus ægri generationi huius ſucci maxime obnoxium eſſe: quod præter corporis habitum gracilem, colorem liuidum, & quodammodo plumbeũ, mores ingenium illud etiam probat, quod parentes ac fratres, (quos circa hanc ætatem conſimili prope morbo laborauiſſe audiuimus) ſimiliter temperati fuiſſe feruntur. Iam quia in ſplenis regione nihil vitii deprehendimus: at in altero hypochondrio, tenſionem ſeu repletionem manifeſte obſeruauimus, ex hoc potius, quam illo flatulentum hunc ſpiritum mala qualitate præditum prodire ſtatuimus. Nec mirum hoc videri poterit ei, qui nonnullis hepatis ac dextri hypochondrii vitio, nullo interim morbo in lienis regione apparente, melancholicis deliriis infeſtari animaduertit. Ex his patet, quiſnam iudicio noſtro ſit locus in quo cauſa mali oritur, licet generationis ſeu aceruationis modum nondum expoſuerimus. Videtur nobis melancholicus ſuccus in noſtro adoleſcente copioſior in hepate generari, quam vt a ſplene omnis attrahi poſſit, ac perfectius elaborari, & concoqui. Ergo circa hepatis regionem relictus accedente venarum eius partis obſtructione paulatim corrumpitur, & in flatum diſſoluitur: qui deinde in cor & cerebrum irrumpens ſymptomatis cauſa efficitur. Non exugitur autem omnis a liene, vel quia tantũ copiam expurgare non eſt aptum natũ hoc viſcus; vel quia morbo aliquo debilitatum intra modum trahit. Nobis vtrumque eſſe poſſe videtur, tametſi iecur potius, quam lienem accuſandum putemus, quod in ſplene morbus nullus ſe prodat, iecoris intemperies a toto corporis habitu, colore, moribus nimis clare arguatur. Hanc iecinoris proprietatem qui naturalem & congenitam ſtatuet, a ſcopo non prorſus, niſi vehementer fallimur, aberrabit, vt ex ante dictis liquet. His ita conſtitutis, manifeſta eſt curationis ratio. Quippe danda erit opera, quantum fieri poterit. (nam naturale hepatis temperamentum haud facile mutatum iri perſpicimus) vt huius ſucci minus gignatur in iecore. Deinde vt quod genitum fuerit, a ſplene totum expurgetur, pleniuſq; elaboretur. Tertio ſi quid expurgari non potuerit, id vt leui pharmaco ex interuallis per aluum euacuetur. Denique, vt os ventriculi, cor, & cerebrum ſumptis & admotis apte, confirmentur. Primum efficiet alimentum vſus, ex quibus cõcoctis minimum huius humoris generari ſolet: ac cauſarum illarum, propter quas multiplicare conſueuit, deuitatio. Alterum conſequemur, ſi venæ ad lienem pertinentes ſarctu liberentur, & recluſæ cõſt ruentur, ac viſcus ipſum roboretur, quo facilius ac largius attra-

in cerebro, non tam cerebri culpa, quam ventriculi, & vicinarum partium vitio vapores perpetuo multos ad cerebrum mittentium eueniret: dici non poteſt, quam fructuoſus futurus ſit diuturnus vſus talium medicamentorum. Ego D. Cnodii res non ſatis habeo compertas, niſi quod memini eum de ventriculi imbecillitate conqueſtum aliquando mihi fuiſſe. Tunc e corporis habitu, proceritate, & corpulentia eum mediocriter calidum quidem, ſed magis tamen humidum corpus habere conieci. Quamquam parum diligenter de iſtis tum cogitarem; quod conſilium a me ſerio non peteret, ſed obiter ſolum quædam interrogaret. Cæterum inde ſuſpicio aliqua mihi nunc etiam naſcitur, hunc & vicinas ei partes cerebro plus excrementorum tranſmittere, vel tantundem certe, quantum ipſum talium generet. Id ſi eſſet verum, nihil cunctarer polliceri ei magnam vtilitatem ex huius pharmaci vſu, modo nihil aliud impediat. Iam enim dixi, mihi temperaturam, & cæteras circumſtantias neceſſarias non ſatis eſſe notas, vt qui ſcire numquam opus habuerim.

Sed obiiciat hic forte aliquis, hac ratione non multum eum iuuandum. Poſſe enim reliquum excrementi, quod ab ipſo cerebro proueniat, & a puluere illo vacuari nequeat, propterea quod ad eas regiones, ex quibus is vacuare poteſt, non deſcendat; (ſic enim affectum eſſe cerebrum pono, vt excrementa plura colligat, quam per vſitatas vias expurgare valeat, quod tamen non ad ventriculum tranſmittat ſed ad pedes deponat) illum metum parere, quem author ad Piſonem propoſuit. Huic ego reſponderim, facile hoc caueri poſſe ſi ſingulis menſibus, præterea bis aut ter, (interdum vero plures, nonnumquam rarius, ac ſemel tantum, pro excrementi ſcilicet quod colligitur, copia & qualitate) aloe vel roſatum ſucco, cui agarici aliquid permixtum ſit, vel alio quopiam in hunc finem præparato pharmaco leni & ſuaui, excrementa capitis, & reliqui corporis vacuentur. Ego ſane ſolis purgatoriis talibus ſuauibus grauiſſimos articulorum recurrentes cruciatus, tum in principibus, tum plebeiis hominibus, Deo adiuuante, percuraui, poſt ſudores & alia quædam remedia opportuna. Aſſueſcit caput, vbi quis talibus paulo vtitur, frequentius excrementa ſua ad inteſtina deponere, priuſquam cum impetu in articulos detrudantur, quo tempore inprimis prodeſt prædicti pulueris vſus. Velim etiam cum Aetio ſermone 12. cap. 47. purgatoria miſceri, vt per aluum etiam expurgarentur ſimul excrementa, & per vrinas. Talis eſt Antidotus ipſius ex Hyperico, vel ea quæ ex centaureis fit, ſiquidem huic agaricus, aut ſimile aliud permiſceatur. Præſtiterit tamen, ſeorſum hæc exhiberi, ne ſe mutuo impediant.

Ergo ſi non videatur cerebrum excremēta ſua ad eas venas depoſiturum, per quas puluis præſens educere ea cum vrinis poſſit; medicamentis hoc conſequemur forte lenibus & ſuauibus. Interea puluis corpus exſiccando roborabit, & ne copia vaporum in caput ex inferioribus aſcendat prohibebit, atque vel hac ratione vtiliſſimus erit. Si vel inſuauitate ſua, vel alia de cauſa ſumi non poterit, promptū & facile erit ei, qui, ex quibus, & quomodo hic ſit compoſitus, nouit alium conficere, qui facultate non ſit forte inferior futurus. Habeo ego deſcriptionem a Medico Italo doctiſſimo, quem Iouis puluerem vocabat, quo a paucis annis aliquot percuratos aſſeruit. Huic Domino Wirſungi perſimilis eſt, & eadem habet, ſed plura, conſtat enim ex 8. ſimplicibus, cum D. Wirſungi ex 6. tantum compoſitus ſit. Præterea non eſt par ponderum in vtroque ratio, & accedit noſter magis ad Aetii deſcriptionem.

1. De primo capite dixi fere, quæ dicere potuit circumſtantiarum ignarus. Certum hoc eſt, aut nō eſſe veram autoris ad Piſonem ſententiam, aut non ſic eſſe intelligendam, vt præter theriacam, nulla abſque periculo vſurpentur remedia fructuoſe in hoc morbo. Etenim ſi remediis aliis hoc ipſum præſtemus, quod theriaca præſtat, exſiccemus, excrementa conſumamus, corpus roboremus per aluum atque vrinas, quæ redundant, & diſcuti a natura nequeunt, educamus: quo pacto non perinde proſimus, ac ſi theriacam inſuaue medicamentum ſæpius exhibeamus? puto tamen, ſi quis hac vti vellet ac poſſet, & per interualla purgatoriis vteretur, eum magnum inde commodum percepturum eſſe. Quos ego adhuc curandos ſuſcepi, & obſequentes reperi, (quorum profecto minor ſemper eſt numerus) ſolis purgatoriis lenibus, proſpere admodum, Deo eſt gratia, curare tentaui. Iſta enim vt facerem potius, quam vt diureticis vterer, omnia ſuadebant.

2. De Atrophia muſculorum pedis fruſtra plura dixero, ſi prauus ibi humor continetur (propter dolores frequentes & magnos, & partium debilitatem probabile eſt multos ad ea loca deſcendere, & a muſculis excipi) & fotu & leni manuum mollium contractatione ſeu frictione paulatim conſumendus. Debent autem manus prius calido oleo, ſcilicet chamæmelino aut alio facultatem huic non diſſimilem habente, perungi. Nec ſunt inino fortiora admouēda, ſed ſatis eſt nutrimentū leuiter attraxiſſe. Cū primū corpus fuerit redditum ſiccum, & minus humorum delabetur ad pedes, omnia talia ſua ſponte diſparebunt. Debilitas eſt in neruis præcipue propter combibitos humores laxioribus redditis; illis exſiccatis, officio ſuo

muſculi recte fungentur. Hæc mox, atque literas mihi traditas perlegere licuit, ſcripſi, ne alia negotia forte impedirent. Die 9. Februarii, Anno 1566.

Thomas Eraſtus.

Thomas Eraſtus D. Ioanni Cnodio Cancellario Ambergenſi, Domino & amico ſuo honorando S.D.

Ipſa die Id. Martii, qua die mane in periculoſam incidi ſubito dyſenteriam, tuæ mihi literæ redditæ ſunt. eas cum heri perlegiſſem, putaui ad eas mihi aliquid nunc eſſe reſpondendum. Morbus enim, Deo opt. max. gratia ſit, ita remiſit, vt ſcribere iam meditarique poſſim: declarabo autem quædam forte verboſius, pluſculum otii in hoc meo morbo nactus, vt mihi ipſi, & memoriæ hac in parte ſeruiam potius, quam vt cuiquam contradicam. Scio vix nocentius aliquid eſſe ægris acuto morbo laborantibus, vbi in mora maximum ſæpe periculum eſt, altercationibus iſtis medicorum inter ſeſe. Scio & illud, pluribus ægris plurimum quoq; profuiſſe eiuſmodi diſputationes. Vbi morbus dat inducias, & æger, eo præditus eſt iudicio, vt inter diſceptantes arbitrari poſſit, non poterit ſane non prodeſſe, ſi omnia perpendantur accuratius; quæ cum in noſtra præſenti cauſa concurrant, non inutile forſan erit, quædam penitus introſpicere. Scribis ergo te puluere vſurum fuiſſe, niſi duo quædã te adhuc impediuiſſent. Alterum eſt, quod me prius admonendum de temperatura, cæteriſque circumſtantiis putaueris. Alterum quod Medicos tuos non tantum in ſentẽtia perſiſtere animaduerteris, verum etiam ratione accommodate eandem confirmare obſeruaueris. Ad me quod attinet, neque propoſui tibi puluerem illum, nec propoſitum ſciui, priuſquam per D. Stephanum Cirlerum noſtrũ me interrogares, an tuto eo aliquis vti poſſet. Ego cum mihi temperaturam tuam, vt cętera cognitu neceſſaria ignota eſſe ſcirem, generatim reſpondi vſum ipſius (exceptis tamen valde calidis & ſiccis, vt poſtea patebit magis) tutum eſſe, ſimulq; quomodo prodeſſe poſſet, declaraui. Viſa eſt mihi tunc, cum hic te viderem, corporis tui ea temperies eſſe, quæ non impediret eius vſum. Et ne nunc quidem aliter ſenſio, quod ad temperamentum attinet. Sed quæſtionem nunc longe aliam proponis, de qua mox dicam, vbi prius de Medicorum tuorum opinione ac firmamento, quo eos inniti ſcribis, aliquid dixero. Defendunt, inquis, opinionem authoris lib. ad Piſonem, non iam ob Galeni autoritatem. (non eſſe eum Galeni noſtri nuper dixi) quam ſententiæ veritatem. Etenim cum proba coctio a iuſto proficiſcatur tẽperamento, mala & vitioſa, ab iniuſto, & deprauato neceſſe eſſe, vt corporis ſiccitate quæ lima ſit caloris, aucta, calor quoque augeatur. Quo facto coctionem fieri deteriorem, humoresque vitioſos attenuari, & fluxiliores reddi, vt ea facile conſequantur incommoda, quæ author ille commemoret. Comperiſſe etiam ſe vſu & experientia rem ita habere. Cæterum theriacæ ac Mithridatii vſum, talia minime parere incommoda, quod temperata magis ſint medicamenta. Hæc fere ſunt, quæ de ipſorum ſententia ſcribis.

Cur authoris lib. ad Piſonem teſtimonium contra ea quæ ipſe nuper ſcripſi producant, non ſane video. Tam aduerſatur author ille ſententiæ noſtræ, quam qui numquam vixit. Quinimo probat eam modis omnibus, vt ex ſequentibus patebit. Equidem niſi nobiſcum pulchre conſentiret, id quod nuper etiam ſcripſi; communi primum, deinde ſibi ipſi, poſtremo probatiſſimis ſcriptoribus & plurimorum ſæculorum experientiæ aduerſaretur. Etenim quæcumq; remedia ſuperuacaneos humores in corpore vel non ſinunt colligi, vel collectos per conuenientes vias, citra vllius partis offenſionem vacuant, ea damnare nullus poteſt. Nulla namq; alia eſt Methodus curandi eos morbos, quos humorum præſentia excitat, quam vt vel euacuentur, vel colligi prohibeantur; ſi quidem copia ſua nocent: vel denique alterentur, ſi qualitate ſola obſint: & ne fruſtra hic multa dicam, ad propoſitam quęſtionem nõ multum conferentia, humores podagram efficiẽtes ſua redundantia & copia morbum gignunt. Tolli ergo præſentes oportet, aut ne colligantur, cauere, ſi quidem percurare morbum velimus. Etenim ſi vel non ſinantur aceruari & generari, vel antequam ad pedes deſcendãt, per vias conuenientes educantur extra corpus: certum eſt, eos pedes non eſſe læſuros. Hæc cum puluis ille vel ipſis teſtibus præſtet, præſertim ſi, qui eo vtitur, leue aliquod & ſuaue pharmacum ſæpe ſumat, quomodo non pugnet cum ratione, qui conuenire neget? Porro quod ſecum ipſe pugnaret author ille, ſi ita ſentiret, ex verbis ipſius perſpicue patet. Cum enim dixiſſet, quam vtilitatem theriacæ potus adſerat podagricis, ſi in ſtatu aut declinatione, ea vtantur, atq; tales plurimum iuuari, ſi per ſuauitatem continenter eam bibant, rationem hanc addit: ἐκδαπανᾶται γὰρ τὰ περιττὰ τῶν ὑγρῶν, καὶ τὴν ὅλην ἀλλοιοῖ σύγκρισιν. τὰ μὲν γὰρ ἄλλα τῶν φαρμάκων, ὅσα εἰς ἀπαλλαγὴν τοῦ νοσήματος οἱ ποδαγρῶντες πίνουσι, τὴν μὲν ἐπὶ τοὺς πόδας τοῦ ῥεύματος φορὰν κωλύειν λέγεται, ἵνα ἐξαναλίσκοντα δὲ τὴν περιττὴν τούτων ἐργασίαν ἄλλου τινος μείζονος νοσήματος γένεσιν ἐργάζεται. Et paulo poſt: καὶ διὰ τοῦτο ἀποσυμβουλεύω μηδένας πίνειν ταῦτα τὰ φάρμα-

κα· τῇ

καὶ τῇ δὲ θηριακῇ ἐν τοῖς τοιούτοις καὶ πάνυ προσέχομεν. καὶ γὰρ ξηραίνουσα τὰ περιττὰ τὴν ἕξιν ὠφελεῖ, καὶ ὅπερ συλλέγεσθαι οὐκ ἐᾷ. In his verbis apertiſſime docet theriacam vtilem eſſe ideo, quia redundantes humores diſſipet, colligi eos nõ ſinat, corporis habitum mutet, ſeu alteret. Alia autem medicamenta, quæ hoc præſtare nequeunt, ſed excrementis non vacuatis, hoc tantum agũt, ne ad pedes delabantur, omnino vetat. Nullus, opinor, tam eſt rudis & imperitus, qui putet authorem hunc illa remedia hic damnaſſe, quæ non minus quam theriaca excremẽta diſcutiunt & vacuant, eademque ſimiliter colligi non ſinunt. Certe ratio ipſius qua theriacã congruere docet, fatua & inepta foret.

Contradiceret etiam, ſi aliter ſenſiſſet, probatiſſimis Medicis, Oribaſio, Æginetæ, Tralliano, Aetio, & aliis recentioribus. Etenim omnes iſti antidotos tales præſcribunt, & per annum integrum bibere iubent, ac præterea conſtanter affirmant, plurimos ex vſu talium integre percuratos fuiſſe. Et Paulus Ægin. lib. 7. cap. 11. Antid. tales quinq; ordine deſcripſit. quarum vnam quæ ex ſeptem rebus conſtat, ideoq; διὰ τῶν Z. inſcribitur, cum Oribaſio communem habet. Differentia tamen eſt in ponderibus, deinde in eo quod Paulus Trixaginem ponit & Ariſtolochiam longam, pro quibus Oribaſius ſemen petroſelini, & Ariſtolochiam rotundam habet. Monet tamen Paulus, aliquos petroſelinum admiſcere ſolitos fuiſſe. Quæ apud Paulum prima eſt, διὰ κοραλλίων nominatur, eadem apud Trallianum quoque prima eſt. Quamquam hic etiam non nihil ſit diſcriminis in ponderibus, & ſimplicibus. Etenim Trallianus nõ habet Anagallidem, quam Paulus ponit. Sed Paulus corallio caret, quod ideo miror, quia compoſitio nomen ab eo inuenit. Suſpicor certe librariorum culpa omiſſum fuiſſe. In vtendi modo etiam non conſentiunt prorſus, licet vterque iubeat potiones 365. (tot nimirum quot dies habet annus) ſumere. Tralliani modus requirit fere biennium, atque ab ipſis Ian. Calend. incboat. Ægineta ab æquinoctio autumnali principium ſumere iubet, ac menſibus plus minus. 19. abſoluit. Finietur iuxta eum prope anno vno, niſi iuberet a 24. Iunii vſque ad finem Auguſti intermittere propter æſtum. Hoc tempus apud nos, vbi calor non tantus eſt, nec ſimiliter, vt in calidis regionibus, vrget, breuius conſtitui poſſet. Quin & Trallianus in ſequenti antidoto quæ ex iiſdem conſtat, niſi quod pro caryophyllis, pæonia, & corallio, gentianam recipit, cũ baccis lauri excorticatis, ab autumno incipere iubet, ſic ſcribens: βέλτιον δ' ἐστὶν ἀπάρχεσθαι ἐπὶ μὲν τῶν ἐχόντων ψυχροτέραν τὴν κρᾶσιν ἀρχομένου μᾶλλον ἔαρος. ἐπὶ δὲ τῶν θερμοτέρων, ἤδη τοῦ φθινοπώρου μέλλοντος λήγειν: ſatius eſt temperamento præditos frigidiore ſtatim ineunte vere, calidius autem ſortitos temperamentum in fine autumni auſpicari pharmaci huius potionem.

Ex his verbis Alex. Tralliani illud etiam liquet, aliqua talia medicamenta non omnibus calidiore temperamento præditis obeſſe, ſed illis tantum nocere, qui valde calidi ſunt. Sic interpretatur etiam Galenus verba Hipp. quibus calidis naturis interdicit vini potum: Mihi, inquit, in lib. 5. de ſanit. tuenda cap. vltimo Hipp. id videtur, non abſolute de calidis ſed de naturis ſumme calidis dixiſſe. Et profecto ſic ſunt authorum verba intelligenda, cum calidis noxia eſſe diſcunt podagrica iſta medicamenta. Ægineta in fine deſcriptionis primæ ſuæ antidoti ex corallio nomen adeptæ, ne ſiccos quidem læſos hinc fuiſſe aſſerit, ſi liberalius ediſſent: οἱ δὲ ξηρότεροι ὄντες ἕξεως, καὶ πλατύτερον διαιτηθέντες οὐκ ἐβλάβησαν. Sicciore temperamento præditi, inquit, & ratione victus ampliore, ſeu liberaliore vſi, nõ ſunt ex annuo hu'' medicamenti vſu læſi. Quod ſi non læduntur facile ex eius vſu aridi homines, ne quidem calidiores paulo, ſi præſertim non ſint ſicci admodum, ex vſu ipſius offendentur. Quoniam hæc medicamenta, quemadmodum & D. Wirſungi puluis, multo ſiccant validius, quam calefaciãt. Proinde cum temperamento nunc tu ſis frigido, non calido, vti ex Medicorum tuorum ſentẽtia ſcribis: cur metuere temperamenti ratione, vſum eius poſſis aut debeas, minime intelligo.

Deſcribit præter commemoratas antidotos Trallianus tertiam, qua permultos etiam ſanatos ſcribit. Aetius quoque ex Philagrio aliquot recenſet compoſitiones, eaſq; ad miraculum vſq; laudat. Illam quæ ex centaureis conſtat, adeo ſalutarem affirmat, vt quoſdam per annos quindecim hoc morbo oppreſſos ſic reſtituerit, vt ſuis incedere pedibus potuerint. Meminit etiam cuiuſdam quã Tetrapharmacum vocat, atq; Myſterium appellatum deſcribit, quæ tamen non eſt eadem cum ea, quam Oribaſius Diateſſaron, quia ex quatuor ſimplicibus compoſita fuit, nominat. (Deſcriptio huius apud Oribaſium lib. 9. ſynopſ. cap. 62. & apud Paulum eodem modo lib. 3. cap. 77. extat.) Licet ergo plures Aetius, quam alii proponant, eam tamen, quæ diacorallium a Paulo & Alex. inſcribitur, & ab vtroque cæteris omnibus antefertur, non deſcribit. Ex iſtis omnibus manifeſte probatur, authorem libri ad Piſonem nihil tale cogitaſſe, cum ſupra dicta verba ſcripſit, vt qui manifeſte cũ ratione, cum ſeipſo, cum probatiſſimis Medicis, & certa multorum ſæculorum experientia pugnat. Adde quod verba ipſius apertiſſime contrarium docent. Quippe illa tantum damnant remedia, quæ humores intra corpus ſinunt, eoſque nec euacuant, nec diſſipant & diſcutiunt, nec etiam

quo minus generentur prohibent, ſed tantum ad pedes ferri non permittunt.

Huc pertinent illa quoq; Galeni verba, quæ in lib. 5. de tuenda ſanitate cap. 5. leguntur. Non vetem etiam necis viuis, * quæ melle condiuntur panes vti, maxime quibus ſuſpicio eſt calculi in renibus gignendi; aut podagræ alicuius, articulariſue morbi impetus futuri. Porro vinum, huiuſmodi compoſitioni, aptiſſimum eſt Sabinũ, aut ſimile aliquod. Iniicitur autem in id petroſelinum. Atque id ſolum articularibus ſatisfaciat, iis vero qui calculo laborant, etiam aliquid betonicæ, aut coſti, qui in Galliis naſcitur, eſt immiſcendum. Vocãt autem herbam illam ſaxifragam. Qui vero curioſius id medicamentum componunt, etiam ſpicæ nardi aliquid iniiciunt. Sunt vero, & alia quædam, quibus vrinam mouendi vis ineſt. Verum ſimplicem potionem pleriq; ex vino melleque conficiunt, adiecto rutæ piperiſque exiguo. Quid ad hæc Gal. verba dicent, quibus talia ſenibus podagricis, qui non ſunt, natura & corpore, plane gracili, arido & ſicco, (quale tuum profecto non eſt, niſi per accidens tale nunc ſit, propter longos dolores factum. At ſi vel 4. menſes valeres, mox reciperes carnes plus ſatis) imperat talium medicamentorum potum, nullumque incommodum inde ſentire eos affirmat. Graciles autem & macilentos, corpus, & pedes nimirum ſiccando in grauiſſimum ſtatum perducere ait.

Si libet recentiores etiam atque Arabes cum Græcis coniungere: apertior res fiet. Sauonarola recitat ſimilem ex Hermete quodam deſcriptionem: In Montagnanæ conſiliis ſimile quiddam reperitur, atque in recentiorum multorum libris. Meſuæ quoque in cura podagræ a cauſa frigida iubet ægros per ſanitatem vrinam proiicientib. vti. Quid in libro ſecretorum Galeno falſo adſcripto contineatur, notum eſſe Medicis puto. Reliqui autores fere purgantibus malunt vti. Nec poteſt dubitari, quin modo hæc, modo illa magis proſint, prout materia in vna parte magis quam in alia connnetur. Ego vtraque iungenda eſſe exiſtimo, illis rationibus adductus, quas nuper attigi, & nunc quoq; breuiter repetiui.

Cum ergo autoris libri ad Piſonem ſententia nulla in re ipſis patrocinetur, nobiſq; aduerſetur, ſed contra ipſos omnino pro nobis ſtet: videamus nunc an ratio eorum aliquid cõtra nos concludat. Coctio perficitur a moderato calore. Recte ſane. At puluis iſte non inducet tuo corpori calorem immoderatum, ſed potius amiſſum reſtituet. Dicunt enim te frigidiorem factum eſſe, quam vt concoctio recte perfici poſſit. Eſt ergo pellenda primum iſta accidentalis frigiditas, & reuocãdus naturalis calor. fiet hoc aptiſſime per euacuationem frigidæ pituitæ illius, quæ & concoctionem vitiat, & pedes moleſtia afficit. Audiuimus etiam ſupra ſuccos non lædi ab horum vſu, modo non ſe nimis labefaciant ieiuniis. Nec eſt neceſſe, vt quod excrementa corporis conſumit exſiccetq;, id ſemper etiam partium ſubſtantiam arefaciat. Quoniam iſta ſiccitas a nutrimenti qualitate, & inopia præcipue inducitur: pharmaca priuſquam has ſiccent, corporis excrementa prorſus diſcutiunt. In cauſa eſt, quod non facile alimentum fiunt, id quod de puluere noſtro certum eſt.

Fruſtra ergo aiunt calorem augeri, aucta ſiccitate. Quod ſi eſſet abſolute verum, neceſſario tantum in te incrementum accepiſſet calor, quantum ex doloribus acceſſit ſiccitatis. At frigidiorem te ſimul, & ſicciorem redditum aſſerunt. Non ergo cum ſiccitate ſemper augetur calor. Verum hoc eſt in eo corpore quod calorem notatu dignum obtinuit vna cum humiditate. Hoc enim ſi areſcat opera & actionis caloris euidẽtius oſtendat, quam dum vis eius ab humore quaſi vincta tenebatur. Quod deinde adſunt, calorem ampliorem factum, humores attenuare, & fluxiles magis reddere, vere quidem recteq; dicitur ab ipſis, at cauſæ noſtræ minime obſtat. Nos enim non hoc agimus, vt excrementa in eo nulla colligantur, collecta diſſipentur, corpus roboretur, concoctio promoueatur, intemperies frigida profligetur, calor reſtituatur, & denique vt omnes actiones naturales recte perficiantur. Theriacam dicunt temperatam eſſe. Quo iudice, aut iudicio? Guſtus longe aliter ſententiam ferre eos coget; opera ſeu vires theriacæ reclamabunt huic ſentẽtiæ. Author libri ad Piſonem, qui velut ignem eam purgatorium eſſe dicit, cum erudiris omnibus appellabunt ad alios iudices. Non neſcio quid de theriacæ calore cenſuit Auicenna in tractatu de medic. cordis. Hæc vt vera ponantur, temperatam tantum negat, ſed in ordine ſecundo calidã pronunciat. At ne puluis quidẽ noſter multo calidior eſt, ſiccior paulo videri forte poſſit. Profecto ſi de compoſitorũ viribus ſic volunt iudicare, ſicut nos ratio iubet & Galenus cum alibi paſſim, tum in toto opere, qui de medicamentorum compoſ. ſecundum loc. inſcripſit, docet, ne cogitare quidem, ne dum dicere audebunt, theriacam bonam, & adultam minus vel calidam vel ſiccam eſſe puluere noſtro. Si illa ergo conuenit, hic quoque. In eo differunt, quod illa per ſudorem atq; cutis meatus, excrementa educit, hic per vrinam potius vacuat.

Equidem Paulus Ægineta manifeſte, & clare dicit, eiuſdem generis eſſe has antidotos cum theriaca & Mithridatio, & iiſdem etiam conuenire. Quod ſi ergo theriacam profuturam tibi ſperant, puluerem quoq; nunc profuturum ſperare debent, aut ſaltem non metuere,

ex eo

ex eo plus periculi, quam ex theriaca. Cum enim dixiſſet Paulus libro ſcilicet tertio cap. 78. theriacam frigidioribus tantum prodeſſe, hæc addit: ἐπειδὴ δέ τινες ἀναγκάζουσιν ἡμᾶς καὶ τοῖς εἰρημένοις αὐτὴν διδόναι χρῆσθαι, τῶν μὲν αὐτοῦ τοῦ γένους ὑπαρχούσας, ἴσθι πλέον τι διὰ τοῦ δαμασωνίου, &c. Rectius certe Paulus, quod autor ad Piſonem indiſtincte ponit de calidioribus tantum & ſiccioribus aſſerit, atque talibus, neque antidotos illas calidas, neque theriacam idoneam eſſe affirmat; vult enim calidiores tantum a vino abſtinere, ſi ab vſu aquæ non læduntur, theriacam illis minime concedit. Quibus hanc concedit, iiſdem etiam antidotos illas concedit. Atque ex hoc loco verba authoris libri ad Piſonem ſunt interpretanda, cum aliter accepta defendi recte nequeant, vt ſupra demonſtratum nobis fuit.

Hæc reſpondere nunc volui & potui, antequam multi ſcirent me meliuſcule habere, non tam vt Medicis illis reſponderem, quam vt mihi ipſi iſta cōſignarem, quo alias, cum meditandi minus conceditur ocii ac temporis, ad manus haberem. Medicos illos neque de facie, neque aliter noui: ex tuis autem literis coniicio eos magno ſtudio teneri ſalutis tuæ, atque remedia minus vſitata non facile ob eam cauſam admittere. Ego nuper cum te ex frigida cauſa laborare intellexiſſem, puluere te illo tuto vti poſſe ſcribebam, de re alia nulla ſolicitus. Cum enim ſcriberes Medicos tantum autoris libri ad Piſonem teſtimonio permoueri, quo minus tibi vſum eius concederent: non ſine cauſa putaui impedimentum aliud nullum adeſſe. Nunc vero aliter rem habere video. ſcribis enim te Nephritidi & calculo obnoxium eſſe. Longe ergo alia eſt hæc quæſtio, an puluis ille a calculoſo, calidoſq; renes poſſidente tuto ſumi poſſit ab ea, quam nuper mihi per D. Stephanum propoſueras. De hac ergo iam dicere me aliquid oportet.

Temperamentum corporis tui nunquam valde calidum, ſed temperatum, ſiue non multo temperato, calidius atque humidum in adoleſcentia fuiſſe obiter conieci, cum tecum aliquando cœnarem. Hoc iam frigidius factum facile credo, ſiccius multo factum ſit neſcio. Non enim corpore macilento propter morbos facto, neceſſe eſt ſubſtantiam quoq; partium ſicciorem eſſe redditam, niſi quantum ætas cuiq; adfert mutationis. Probabile tamen eſt, vigilias, inediam. cruciatus diuturnos, curas, triſtitiam animi, corpus non nihil atefeciſſe. Ergo frigidius iam & ſiccius, aut ſaltem non æque humidum, vt prius, ponatur eſſe. Quod ad hoc attinet, vt ſupra non ſemel tantum monui, pulueris vſum tibi interdicere non poſſim. At quod addis te Nephritidi & calculo ſubiectum eſſe, hoc eſt, quod me dubium reddit. Quoniam diuretica pharmaca talia in calculoſis & Nephriticis non proſunt, ſed obſunt omnino plurimum, niſi Medicus ſumma prudentia in adminiſtrandis ipſis vtatur.

Ergo ſi renum inflammatione, aut dolore ex alia cauſa orto, quam flatu diſtendente laboraſti, aut laboras actu, abſtinendum tibi ab iſto puluere omnino cenſeo. Quod ſi vero neque his neque calculo laboraſti, ſed ea tantum mala metuis, non video quid impediat te pergere. Attamen non ante incipias, quam corpus exquiſitiſſime ſit præpurgatum. Materia & cauſa podagræ proculdubio in te eadem eſt, cum calculi materia. Quamobrem ſi renes nullo notabili vicio naturaliter laborant, dubitari non poterit, quin eadem opera ſis a motu calculi ſimul liberandus. Ego ſane puluerem habeo leuiter diureticum, eumque cum aqua herbæ cuiuſdam exhibere ſoleo illis, qui ex calculo ſæpe decumbunt, quater in menſe; atque hoc modo omnes fere, qui crebro ac acerbe dolere ſoliti ſunt, aut nunquam poſtea, aut certe rarius multo leuiuſq; doluerunt; ſed tam ſtrenue vrinam prolectantia ſuadere nulli puſſum. Proinde ſi actu nōdum laboraſti, ſicut dictum ſupra fuit, confidenter vtere; ſin actu & reuera nephriticus aut calculoſus aliquando fuiſti, ab eo vt abſtineas conſulo.

Quid ergo, dices forte, faciam? ſemper ne iſtis inferni cruciatibus ero ſubiectus? præſtat certe ex pedibus dolore, quam ex renibus: cum præſertim hic dolor non abſq; periculo vitæ accedat, ille periculoſus nemini fuerit, aut certe perpaucis, quibuſdam ex tanta laborantium turba. In præſenti caſu nullū ſcio remedium aptius & tutius, quā frequēter & prope quotidie vti pharmacis leuiter purgantib. & ſiccantib. ēt, vt oſſibus vſtis, cornu cerui vſto, corallis vſtis, & ſimilibus rebus aliis. Nam ſic etiam liberari poteris ab vtraq; affectione. At ſi ſiccantibus ſolis vti velis, cum ea non ſint efficacitate, vt multam materiam diſcutiant: poſſis certe tibi periculum creare, vt author libri ad Piſonem recte refert. Quod ſi cum ſiccantibus pariter & crebris purgationibus, quæ guſtui non ſint inſuaues, ventriculo non ſint noxiꝰ, eumq; non ſubuertant, non moueant faſtidium, morbum expugnare longiore tempore coneris; voti certe compos fies. Equidem his te, quamquam minus ſæpe, vti tunc etiam oportebit. Cum D. Wirſungi puluerem vſurpabit. Cogitent ergo Medici de forma aliqua vna vel pluribus talium pharmacorum. De victus ratione nuper nihil, & ne nunc quidem aliquid ſcripſi, quod neq; petitum hoc a me fuerit, neq; ſit neceſſe. Poteſt namque hæc ex omnium commentariis a quouis deſcribi. Hoc ſolum monere volo, ita eam inſtituendam, vt corpus plus iuſto non ſiccetur, id quod ex ſuperioribus intelligi facile potuit. ſatis eſt, ſi excremēta conſuman-

tur, humidaq; partium intemperies aliqua ex parte corrigatur. Medicos illos tuos, quos propter communia ſtudia amo & veneror, meo nomine plurimum ſalutes velim, ac moneas etiam oro, ne putent propter ſe, quos non noui, ſcripta hæc eſſe magis, quam propter meipſum, vt antea dixi. Die 20. Martii in lecto.

Hippoc. lib. 2. ſuarum prædictionum.

De podagricis hæc dico: Quicumque aut ſenes ſunt, aut circa articulos callos tofaceos concretos habent, aut ærumnoſe viuunt, aut ſiccam aluum habent, hi omnes ſani fieri non poſſunt, humana arte, quantum ego noui: ſanaui quidem hos optime dyſenteriæ ſi ſucceſſerint: ſed aliæ eliquationes valde proſunt, quæ ad infernos locos repunt. Qui vero iuuenis eſt & circa articulos nondum tofaceos callos concretos habet, & accurate viuit, & amans eſt laboris, & aluum bonam habet ad obediendum pro ſtudiorum ratione: hic ſane Medicum nactus intelligentiam habentem, ſanus fieri poterit. 2. Hippoc. dictum hoc ad finem adiectum eſt, vt quantam in hoc morbo tollendo purgationes vim habeant conſideres. Dyſenterias au, & reliquas eliquationes eos nonnumquam per ſanare. qui tofos iam duros & concretos habent. Multo ergo magis eos ſanauerint, quibus hi nondum adſunt. videtur autem parum intereſſe, ſiue arte moueantur iſtę purgationes, ſiue ſua ſponte eueniant, vt dyſenteriæ inuitis nobis ſemper oriuntur.

Puluis Iouis.

℞ Rad. Ariſtoloch. rotund. veræ,
Gentianæ,
Raipontici,
Mei, an ℥.i.
Semin. petroſelini Maced. ℥ ſem.
Comarum chamædryos,
Centaurei minoris,
Hyperici, an. ʒ x.

Fiat puluis ſubtiliſſimus, primo menſe ʒ. quotidie bibenda eſt ex aqua tepida. Poſtea ʒ. tantum ß. per totum annum. Singulis menſibus ſemel iterumq; purgandi ſunt. Bibendum vinum generoſum decocto Maſtiches dilutum, admiſcendus interim agaricus puluerizatus, ad aluum magis ciendam, præſertim in plegmaticis.

Alius D. Wirſungi videlicet.

℞. Rad. Ariſtolochiæ rot. veræ,
Gentianæ,
Raipontici, i. cantaurei maioris,
Comarum chamædryos,
Centaurei minoris,
Chamæpityos, an. p. æquales.

Vſus eius eſt fere ſimilis. Per anni partem quartam ſumenda eſt ʒ. i. quotidie, (frigidiores & humidiores, corpus excrementis plenum habentes, per dimidium annũ ſic ſument vtilius) per reliquum tempus. ʒ. ß. tantum ſument. ſed hæc prudentiæ Medici relinquuntur.

Thomas Eraſtus D. Ioanni Cnodio Cancellario Ambergenſi Dom. & amico ſuo honorando S. D.

Conſilium 8.

LITERAS tuas, vir clariſſime ante triduum accepi, ad eaſque nunc primum reſpondendi mihi conceſſa eſt facultas & ocium. Pharmacum vidi, legi & diligenter examinaui, authoris in eo componendo iudicium & induſtriam, plurimum amaui. Quæris tu, an vſum ipſius tibi tutum & ventriculo tuo innoxium exiſtimem. Ego vero abſolute hic reſpondere non debeo. Hoc tamen valde ſum admiratus, Medicum illum, de quo ſcribis auſum fuiſſe abſolute affirmare aloen ventriculo noxiam eſſe: Non videtur is Galenum legiſſe, qui vtilem & bonam ſtomacho ſiue ori ventris eſſe aſſerit, non vno tantum loco αι, καὶ γὰρ εὐϛόμαχόν ἐστι

χὸν δεῖ τὸ φάρμακον εἴπερ τι ἄλλο, ait Gal. in lib. ſexto de ſimpl. facult. Accedit etiam ratio idem comprobans. Quippe cum adſtringat, purgatione & deterſione ſua minus offendere poteſt. At non omnibus prodeſt. Hoc ſane confiteor, ſed ex eo tamen abſolute & ſimpliciter concludere non licet, ventriculo eam nocere, dum ſolummodo certo alicui ventri incommodat. Galeni ſententiam, qui ſecuti ſunt Medici omnes Græci, & Arabes probauerunt. Ægineta, Oribaſius, Aetius, addunt, minime nocere eam poſſe, etiam ſi quotidie aliquis ea vti velit. Neq; enim a cœna ſumtam cibum corrumpere, nec ſitim inducere, vt alia. Additam cæteris purgantibus, hoc præſtare, vt ſtomachum minus lædant. Meſues tamen ſanguinem proiicere, adapertis venarum oſculis, ventriculo nocere, tormina ciere, hepar lædere, difficili ſua purgatione aſſeruit, cum paulo ante eandem, vehementer laudauiſſet, ac cæteris omnibus purgantibus cum Galeno prætuliſſet. Attamen de adulterina & praua aloe illa præcipue debent intelligi. Amaritudinis ſuæ cauſa ventriculo eam non nihil infeſtam eſſe poſſe, nullus dubitat qui amara omnia ex Galeno didicit eidem inimica eſſe. Sic nihilominus vſum bonæ & legitimæ prædicat, vt nullo inſanabili morbo tentari illum aſſerat, qui in frequentiſſimo eam vſu habeat, ſenſus quoq; ab ea plurimum acui exiſtimauit. Qua in re, cum ſummus ſit conſenſus omnium, & experientia contrarium non oſtenderit, ſed hoc ipſum confirmet etiam hodie, meritiſſimo miror, quid in mentem illi venerit, qui aloes vſum ventriculo ſimpliciter nocere dixit. Equidem quæcumque purgantia os ventris ſiue ſtomachum roborant potiuſquam debilitent, ea vetriculo damnum dare nō poſſunt. Omnia enim ori magis quam fundo moleſta ſunt, cuius rei gratia aromatica & odorata illis admiſcuit omnes ætas teſte Galeno pluribus in locis.

At Galenus inquit aliquis ante Meſuen noxiam, imo exitioſam alicubi eſſe dixit, vt quæ ad tabem deducat quoſdam. In lib. 5. de tuenda ſanitate cap. 9. ſenibus dari eam minime iudicat conſultum. Ratio eſt, quia cum ſtrenue exſiccet, (eſt enim ſicca in 3. gradu cum vix calida ſit in 2. ordine) ſenes autem ventres habeant ex ætate ſiccos, conſulit recte prudenterq; vt aliis potius aluum ducant pharmacis. Altera cauſa eſt, quam ex 10. cap. lib. 6. eiuſdem operis, & ex lib. 8. de med. comp. ſecundum locos cap. 2. intelligere licet, quod ſenes ventres fere frigidos habent, & pituita frigida craſſaque plenos. Pituitam vero talem aloe ex Galeni ſententia non educit. Præterea propter eaſdem cauſas damnat eius vſum in 8. lib. de compoſit. pharm. κατὰ τόπους cap. 2. non abſolute, ſed in ventriculo puro, & excremētis vacuo, maxime vero, ſi is intemperie calida & ſicca, vel ſicca tantum, vel ſicca & frigida ſit affectus. Hos enim morbos auget crebra aloes ſumtio, propter facultatem ſeu efficacitatem, quam in ea ineſſe diximus, minime ignauam aut inſtrenuam, & quod intemperies ſola abſque humoribus vitioſis purgantibus minime eget.

Cæterum ſuſpicor hoc ipſum voluiſſe, cum vſum eius noxium affirmauit, nempe tibi damnoſum eſſe. Cauſæ enim mouere duæ potuerunt (puto namq; te non niſi mane ſumere. Etenim ſi cum cibo aut a cibo ſumatur, quod aliqui olim, & hodie quoque conſueuerunt, nocere omnibus poterit plurimum, vt ego quidem rationibus nequaquam leuibus & inanibus perſuaſus iudico) prima eſt, quod temperaturam ventriculi ſiccam & forſan etiam frigidam eſſe putarit, ſane in vltimis tuis literis tali te nunc temperamento eſſe, ex tuorum Medicorum ſententia ſcribebas. Quod etſi de multis partibus habituq; corporis verum ſit, de ventriculo tamen non eſt neceſſario idem ſtatuendum. Altera eſt, quod Gal. putauit, ac dixit: aloem pituitam craſſam non expurgare, ſed bilioſos tantum humores. Te autem craſſam & frigidam pituitam aceruare, non dubitauit forte, quemadmodum ego quoque arbitror: ſed ad poſteriorem cauſam facilis eſt reſponſio, vt enim Galenus in bilioſis ventris affectibus tantum vſus ſit aloe, eamque pituitam, vacuare poſſe non crediderit, docuit tamen experientia tot iam ſeculorum valde, eam commode pituitam etiam ex vētre & inteſtinis exturbare. Adde quod Oribaſius atque alii idē iam obſeruauerūt, id quod ex 1. lib. Synopſ. Oribaſii, c. 17. & lib. 7. Collect. eiuſdem autoris cap. 7. demonſtrari poteſt. Eadem eſt Arabum ſententia, Auicennæ & Meſuei. Hic enim de ea ſcribit, bilem & pituitam ex ventre & ex capite educit, horumq; doloribus opitulatur.

Galenus etiam non negat, hieræ amaræ vſurpationem vtilem eſſe tunc, cum pituita craſſa in ventre, vel in tunicis ipſius collecta eſt. Sed hac ratione cinnamomi, & ſimilium ei adeſſe opinatus eſt. Quod ſi inciſa prius craſſa pituita exhiberetur, educere eam ex ventriculo pituitam omnino credidiſſe videtur in lib. 7. Meth. Therap. cap. 11. Veruntamen vt dixi cōſtat nunc omnibus, vt affirmatum recte ab Arabibus quoque fuit, eam in affectibus pituitoſis ventriculi, & capitis vtiliter exhiberi. Sed faciamus verum eſſe, quod Galenus putauiſſe videtur, an ideo non tibi profutura ſit? Expertus ipſe es ex eius frequentiore vſu magnū fructum, vt ergo pituitam non abſterſerit, bilem ſaltem colligi in corpore non ſiuit, quo factum eſt, aut fieri potuiſſet, vt pituita ad pedes delabi non potuerit. Vix enim humor craſſus eo de-

trudatur, niſi ductorem habeat bilem, vias patefacientem. Sed quia ne quidem renum calculo laboraſti æque, aut crebro, aut grauiter poſt huius vſum, minus firmamenti retinet hæc ratio. Quamquam a terebinthina perfectum hoc fuiſſe dici poſſit.

Ad alteram cauſam difficilis magis eſt reſponſio. Etenim ſicco ventriculo inimiciſſima eſt aloe, ex omnium ſententia. Quod ſi ergo ventriculus eſt ſiccus hactenus, vt ex hac intemperie minus probe videatur munus ſuum obire: dubium non eſt, quin minus conueniat. Et quoniam ſcribis te hoc anno animaduertiſſe ventriculum deterius ſolito concoxiſſe, ſuſpicio mihi aliqua naſcitur, leuis tamen. Quippe ego humidum te potius ventriculum, quam ſiccum habere arbitror, illis coniecturis inductus, quas de tuo temperamento in prioribus litteris attigi. Forte nimia ipſius abſterſione nonnihil læditur ab ea venter. Cum enim amariſſima ſit, maxime deterget, & quaſi abradit ab ipſius tunicis interdum non excrementa modo, ſed etiam vtiles ſuccos ipſi adhæreſcentes. Quocirca non cum cibo eſt ſumenda, ſed mane, vt dixi, cum cibus eſt tranſmutatus, & excrementis vel in ipſo genitis, vel ex capite delapſis, vel aliunde attractis in ipſum oblitæ ſunt tunicæ. Hanc ipſius in detergendo efficacitatem, vt corrigeret autor pharmaci, ſeminis pſyllii mucaginem adhiberi, opinor, prudentiſſime percepit. Quod ſi hac ratione non eſt infecta, videri poſſet fortaſſe frigiditate ſua obeſſe. Etenim aloe, teſte Galeno, vix attingit 2. gradum caloris. Iam in præparatione recipit mucaginem ſeminis pſyllii, & præterea roſas recentes, quorum ratione magis videtur frigidius factum, quam ratione chamæpityos calidius. Corrigi hoc incommodum perfacile poſſet, vel omiſſione ſeminis pſyllii, vel adiectione cinnamomi, vel ſi pro ſucco boraginis aquæ cinnamomi diſtillatæ aliquot vnciæ ſumerentur. Compoſitio alias mihi mirifice probatur, & iudicio acri præditum fuiſſe docet ipſius auctorem, quiſquis tandem ille fuerit.

Quod ſi videatur omnino venter eſſe ſiccior, quam vt ſatis tutum iudicari hoc pharmacum poſſit: ſuaſerim ipſe etiam, vt minus ſiccante aliquo vtereris, ſed vt dixi, vix puto te adeo ſiccum habere ventrem, in hac præſertim florente adhuc ætate tua. Quare abiiciẽdum, niſi aliter inſtituam, tibi non cenſeo. Hoc tamen confirmo tibi, te prudenter facturum, ſi non ſemper vno hoc vtare, ſed alia quoque ſimili facultate potentiaque prædita vſurpes, & quidem frequentius interdum quam hoc, ſi modo illa non æque ſiccent, & venter non ſit æquo humidior, quod ego adhuc ſuſpicatus ſum. Parari autem tale pharmacum poſſit ex multiplici fol. roſarum rubrarum infuſione, quæ mox cum ſirupo ex omphacio, (quod Agreſtam aliqui barbare vocant) apparato, coquatur dum iuſtam craſſitiem adepta ſit. Poſtremo quoties libet, infundantur pharmaca, vt Agaricus, fol. ſenæ, Rhabarbarum, qua proportione res præſens videtur flagitare, in aquam vel roſaceam, vel aliam (licebit quidem ex his & ſimilibus antea in aqua coquere, quo magis vires ſuas in eam omnes deponant) vbi ea pharmacorum vires combibit, cum certa prædicti ſirupi quantitate miſcetur, & in duplici vaſe ad aquæ illius conſummationẽ coquitur. Poteſt hoc modo ex aliis ſirupis præparari. Ego ex floribus prunorum ſilueſtrium talem hic ſirupum iubeo concinnari, qui mirifice conuenit morbis talibus, & guſtui non ingratus eſt, ſed non minore voluptate bibitur, quam æſtate aqua permixta cum iulepo ſitis caloriſq; extinguendi cauſa hauritur.

Sic puto ego, me tuæ petitioni abunde ſatisfeciſſe. Iam ad illud venio, quod ſub finem literarum, de Medico adiecisti. Ego vos carere Medico neſciui certe. At noui hominem Friſium, qui etiam nunc Bononiæ non ſine laude ſua artem publice exercet, adeoq; in vtraque parte feliciter mihi verſatus eſſe ſcribitur, chirurgia ſcilicet atq; phyſica vocata. Is propter religionem abitum parat. & hic eſſe in Palatinatu cupit. Si ergo videtur, ego eum vocabo. Nuper admodum mihi ſcripſit de hac ipſa re. Puto ſane vos per Germaniam non reperturos talem, qualis is eſt de quo loquor. Veniet autem mox atque acceperit meas literas, niſi vehementer fallor. Hoc addere ideo libuit, vt videres me bene cupere etiam Reipublicæ, quã numquam tamen oculis aſpexi. Deus opt. max. te clementer reſpiciat & protegat. Amen. Die 21. Maii, Heidelbergæ.

Libet hic verba Iulii Cæſ. Scaligeri, quæ in libro De ſubtilitate ad Cardanum exercitatione 160. ſectione 3. reperies, adſcribere, ne quid omiſſum videri a me poſſit. Sic autem is ſcribit: Qui negant aloe iecur offendi, experientiæ ſcutica digni ſunt. Hoc per annos amplius quadraginta compertum habuimus. Quamobrem Meſuæ me ipſum aſcriptorem ſtatui neceſſario. Nolo commemorare, quod non ſolum ab empiricis ac pharmacariis, ſed etiam a Galeniſtis, in pericula & morbos aloes vſu coniectos exemimus e pernicie manifeſta.

Conſilium 9.

QVAM labores grauiter, & quam ſæpe ex pedum dolore, D. Cnodi Cancellarie honorande, partim vidi, partim ex te, atq; aliis intellexi. Et ſi vero ſtatueram, pridem meam ad

te de

te de curatione morbi tui ſententiam perſcribere, ſemper tamen impeditus adhuc fui. Cogitaui etiam non opus eſſe feſtinatione, propterea quod ante hoc tempus viderem te adhibere malis remedium nullum poſſe. Nunc cum ocii aliquid datum eſt, conabor perſpicue omnia tibi declarare.

De morbi huius natura minime eſt neceſſe vt multa dicam. De cauſa quoque mali neque tu dubitas, neq; alii dubitare poſſunt. Etenim color, tumor, doloris natura, vrinæ craſſæ, crudæ,& humorem crudum copioſum continentes, in vaſis fundo, ſanguis, ex dimidio albus & pituitoſus, ratio victus, otium perpetuum, animi perturbationes & curæ: deniq; ipſa viſcerum temperies, manifeſte demonſtrant, pituitoſos humores in pedes deſcendere, doloreſq; illos excitare. Neque obſcurum quoq; eſt, vnde & quomodo tantam crudi humoris vim collegeris. Etenim ventriculus cum male concoquat, tu vero non modo liberaliter edas & bibas, ſed etiam varios in eadem menſa cibos ingeras,& corpus interim non exerceas: fieri non poteſt, vt non cruditates generentur. Quæ cum naturæ incipiunt eſſe moleſtæ, ad extremas partes detrudit. Solita namque eſt pituitoſorum excrementorum non nihil ad articulos deponere propter certum vſum. Quocirca mirum non eſt, quod in magna crudorum humorum copia replentur articuli, præſertim autem pedum. Quippe a caloris fonte abſunt longius, & loco ad excipienda excrementa poſiti ſunt valde idoneo,& natura quoq; ſunt debiliores, aeriſque iniuriæ magis expoſiti, cæteris partibus. Adde quod motus etiam adiuuat grauiorum humorum vſum, tunc præcipue cum ex labore fatigati ſunt.

Sed his hoc loco miſſis, illud conſideremus, quod tu ſolum petis in præſentia, quomodo ab hoc malo præſeruari poſſis. Præſeruatio nil eſt aliud, quam fuga ſeu ablatio cauſarum morbos excitantium. Cauſæ autem duæ ſunt: membrorum debilitas, & humorum copia. Hoc ergo videndum nobis erit, quomodo humorum inutilium copia tollatur, & deinde pedes corroborentur. Et licet in hoc non ſit parum poſitum, in illo tamen plus nobis eſt elaborandum. Quippe huiuſcemodi morbi, propter ſolam partium imbecillitatem, nō admodum moleſti ſunt, ſi non accedat redundans ſuccus aliquis. Præcipuum ergo ſtudium eſſe debebit, vt pituitoſi humores, qui iam in magna copia adſunt, expurgentur. Deinde vt nulli aliqua aceruentur. Hoc ſi caueri omnino non poterit, proximum eſt, vt ex corpore educantur, priuſquam, vel copia, vel qualitate naturæ moleſtiam exhibeant.

Ergo vt conſumātur,& diſcutiantur crudi humores, qui in omnibus venis collecti ſunt: opus eſt, vt corpus ante diligenter purgentur. Quibus autem pharmacis hoc peragendum ſit, non eſt difficile cognitu. Vacuato corpore, ligni guaiaci decoctum tibi bibēdum video multis de cauſis. Primum quod vix aliter tantam copiam vacuari poſſe video. Deinde quod remedium hoc efficax eſt ad abſtergendos, incidendos, & diſcutiendos humores frigidos. Præterea roborat idem, ſimul cum alias corporis partes, tum maxime articulos, ex fluxione debilitatos. Adde quod vix aliud pharmacum felicius habitum corporis purgat, dum ex omnibus partibus ſudorem exprimit, & per eum contentos ſub cute humores vacuat. Soliti etiam ſunt, qui hoc genus remedii vſurpant, libenter famem, ſitimq; tolerare, quibus in pituitoſa podagra nihil eſt vtilius; & quod caput eſt rei, non facile quiſquam alio pharmaco tamdiu vti poſſet abſq; ſumma moleſtia. Leue autem pharmacum nihil apud te efficiet. Graue non poterit abſq; offenſione, longiore tempore vſurpari. Nec eſt vllum tam potens, quod ex venis exhaurire cruditatem tantam poſſit. Et ſane vereor plurimum, vt neque radix Chynæ, neque altera illa, quam Salſam parillam vocant, præſtare valeat, quod cupimus.

Proinde præparatis prius humoribus,& corpore purgato, velim te huius ligni decoctum per dies plus minus 30. bibere. Quo tempore danda erit opera, vt aluus, quotidie excrementa ſua reddat,& octauo autem ſextoq; die eadem leni pharmaco cietur. Vbi iam corpus hoc modo purgatum fuerit in reſtituendis viribus intenti erimus,& membris coctionis roborandis, præſertim ventriculo, id quod fiet partim ſumptis, partim admotis, de quibus poſtea agemus. Tu vero nihil tam cauere poſt vſum ligni debebis, atq; repletionem corporis. Per menſem prope vnum, paulo edere te oportebit liberalius, quam inter bibendum ederes, quo tempore tamen vino tibi vti licebit. Quantitatem cibi præſcribere certam nunc non poſſum. Nec eſt neceſſe, præſente D. Iobiherio, aut Medico alio. Satis eſt monuiſſe, vix, imo ne vix quidem, partem cibi quartam eius, quem per ſanitatem in vno ſoles prandio, paſtuve ſumere, tibi concedi poſſe. Quoniam ſi cibi ſatis offeratur, numquam illam, quæ in venis cumulata eſt, pituitam natura conficiet. Cæterum poſtquam ab huius remedii vſu, per dies aliquot, imo ſeptimanas vires recollegeris, de thermis tibi cogitandū erit. Nam niſi hoc agatur vt veluti renouetur corpus totum ſemel, vix aliquid ſperem. Velim autem te nō ſolum in illis lauari, verum etiam in potu ſumere: quod ſi haberi poterunt, quam ad vtrumque ſit vtilis, optimum erit; ſin minus, potu prius corpus erit purgandum ac roborādum; deinde pedes quoq; lauatione confirmandi. Præſtantiſſima ad lauandum erit aqua nitroſa, ſalſa & aluminoſa (ferrea ad vtrūq;

vtilis eſt) ad potum vero acidulæ. Et foris Geppuſenſis, & qui in finibus Bohemiæ ad oppidum Agram conſpicitur, atq; alii quidam vtrique vſui pulcherrime ſeruit, quas habent vires foris vrbi Veshæuicinus neſcio, ſi ferrum participaret, quod certe ſuſpicor; ex eo quod fere totus ille tractus ferreum quiddam continere videtur poſſe eſſe vtiliſſimus. Bibes ipſo ex præſcripto D. Folcheri per dies plus minus 15. Deinde totidem fere lauabis. Quamquam nihil vetet, cum mane biberis, & per vrinam vel aluum reddideris, veſperi ante cænam per dimidiam horam lauari.

Hiſce peractis, ventriculus erit fouendus & roborandus, ſiquidem nondum recte videatur habere. Quomodo autem & quibus remediis ſalus eius procuranda ſit, poſtea dicetur. Nunc illud docebo, qua victus ratione poſſis conſequi, vt hoc morbo vel nunquam, vel raro & leuiter ægrotes. Quippe ſumma ſpes eſt, ſi poſt corporis purgationem ab excrementis omnibus, quædam hucuſq; præſcripſi, ſeruetur iuſta ratio victus; aut nullos aut paucos deinceps colligendos humores, qui morbum tenouent. etſi enim pedes ita ſunt debilitati, vt vix proprium alimentum recte videantur concoquere; ſpero tamē, & ex prædicta, & paulo poſt dicenda curatione commode confirmandos eſſe. Magno ergo ſtudio agendum hoc erit, vt humores ſuperuacanei nulli aut certe pauci generentur. Deinde vt ſi qui generati ſunt, tempeſtiue educantur. Prius illud conſequemur, ſi ventriculus officium faciet, atque in cibo & potu nullus error committatur. Cætera enim viſcera videntur non male affecta eſſe, præter cerebrum, quod forte eſt humidius. Quamquam ipſum quoque per accidens tale videatur eſſe. Poſterius aſſequemur vſu cæterorum pharmacorum leuium, quæ naturæ non ſint grauia nec guſtui ingrata.

Ergo ad potum quod attinet, conſtat in eo te præcipue peccare, dum nimium bibis. Etenim in multo potu natat in ventriculo cibus, & nunquam recte cōficitur. Idem facile priuſquam concoctus ſit, per venas ad ventriculum pertinentes, ab epate exugitur. Quod caput etiam repleri tunc ſit neceſſe, cum ſic in ventriculo fluctuat cibus, nullus non videt; ſane bibendum non eſt, niſi cum bona pars cibi ingreſſa eſt, non mox ab initio paſtus. Fugiendus etiam potus, poſtquam cœperit in ventriculo coqui, nec inter paſtum vnum atque alterum bibendum erit. Quanquam vero certum eſt, vinum neruis facilius nocere poſſe, quam aquam, & vti aliqui affirmant, percuratos eſſe nonnullos ex ſolius vini abſtinentia; puto tamen ego non tam propter vini qualitatem, quam ipſius potus copiam eueniſſe. Etenim fieri vix poteſt, vt non plus bibat, qui vinum bibit, quam is qui aquam. Nocent autem maxime potentia vina ante cibum, vel mox a cibo hauſta. Quæ mediocria ſunt & temperate bibuntur, non modo non obſunt illis, quibus ventriculus eſt imbecillior, præſertim capite non exiſtente calido; ſed etiam plurimum proſunt, omneſq; præter coctionem excretiones promouent. Maxime ergo caueto, ne ieiunus aut poſt cibum bibas. Deinde vt parum bibas videto. Vinum autem album tenue maturum eſto.

In cibis hoc eſt præcipue obſeruandum, vt non permiſceantur cibi varii in vna menſa, quo vix aliquid eſt magis noxium. Res ipſa docet, gentes, quæ ſolis fere piſcibus aut carnibus vtuntur, ſalubrius agere nobis, qui longe veſcimur melioribus cibis, melioreque in aere viuimus. Deinde videndum eſt, vt ventrem nunquam expleas. Dictum enim ante fuit, nihil in hoc malo fame & ſiti, ſeu abſtinentia, eſſe vtilius, nihil repletione pernicioſius. Et valde eſſet vtile, ſemel tantum in die edere, ſiquidem paulatim te poſſis aſſuefacere. Nam repente a conſuetudine recedere minime conſultum eſt. Ex cibis autem conueniunt faciles concoctu, & qui excrementis vacant, quos ſpeciatim commemorate non eſt neceſſe hoc loco & tempore, ſcio enim notos eos tibi eſſe partim ex lectione, partim ex aliorum recitatione.

Piſces plerique omnes mali, quamuis ſunduli, trutæ, & ſimiles, ſi ita præpararentur, vt noſtrates ſolent, hoc eſt, ſi in vino elixentur, minus nocere poſſint: nocet etiam multus aceti vſus. Nocent quæ facile caput feriunt, vt allia, cæpe, naſturtium, ſinapi, raphanus. Nocēt horarii fructus omnes, a quibus abſtinuiſſe tantum prodeſt, quantum nullus facile credat. pyra cocta, concedi poſſunt videlicet auſtera in fine menſæ. Conceduntur etiam hoc tempore interdum amygdalæ, pingues caricæ, piſtacia, paſſulæ, nuces auellanæ, ſi parcus & rarus eorum ſit vſus, ſtrobuli vocati fructus in hoc ordine locantur quoque. Omnium maxime nocet immoderata Venus, & largiot vini potus, comparatione facta ad cibū. Vnde veteres podagram finxerunt, Bacchi & Veneris eſſe filiam, nocet etiam nimius ſomnus, & maxime diurnus.

Hæc de ratione victus attingere breuiter volui. De exercitio nihil dico, quod nec vacet tibi, nec poſſis, nec etiam debeas nūc pedes exercere. Vbi autem corpus nactus fueris purum, & pedes robuſtiores fuerint redditi; valde vtile erit, ante cibum mane exercitio vti moderato. Eſſe quoq; habendam alui rationem, vt quotidie ſua deponat excrementa, per ſe eſt omnibus notum. Hac de cauſa, & quia de vacuantibus aluum mox plura dicam, hanc rem totam præterii. Si hanc victus rationem ſeruare ſtudebis, non facile materia pro morbo iſto excitando

colligetur,

colligetur, præſertim ſi vẽtriculi ſimul habeatur ſemper diligens ratio, de qua nonnihil poſtea quoq; dicendum mihi erit.

Si poſſet aliquis abſq; errore in victu viuere, & excrementa, quæ ex quotidiano alimento neceſſario pronaſcuntur, apte vacuarẽtur: nullus haberet talib. pharmacis purgantibus opus. Iam quia propter magnos & frequentes errores, & propter non vacuata excrementa, neceſſe eſt vicioſos humores colligi; neceſſarium quoq; eſt, vt ii paulatim ſemper expurgentur, priuſquam morbum faciant. Et ſane in purgationibus ſumma fere ſpes poſita eſt; vt & ratio docet, & alias ex Hippocrate monſtraui. Quamobrem quoque operam dabis, vt aluus ſemper lubrica ſit, atque excrementa non ſinantur circa primas venas, inteſtina & ventriculum colligi. Neque vtendum vno ſemper pharmaco cenſeo, ſed pluribus & diuerſis; ſic enim & felicius humores praui expurgantur, & minus ea contemnet natura. Vni enim aſſueta tandem negligit eius actionem, aut ab eo plurimum læditur, a quo plurimum abhorreat. Ergo & aloe poteris interdum vti cum terebinthina. Alioqui ſemuncia, (aut paulo minus) turpethi pinguis in lacte coquatur, atq; calidum bibatur. Egregie hoc facit, atq; ſine omni moleſtia lentam craſſamque detrahit pituitam. Quod niſi fiat in tuo corpore & morbo, haud ita multum ſperauerim. Iccirco etiam aloe tua parum proficit, quod craſſiorem pituitam non detrahat.

A. Item ſumere aliquando te velim ʒ. i. pilularum, quas A. literas ſignaui ſeorſum deſcriptas.

B. Item parari poterit iulep, & cum aqua aut vino, de eo per interualla tantum ſumi, quantum poſſit duas aut tres ſedes iuſtas mouere. exemplum deſcribam ſub B. littera.

C. Deſcribam exemplum aliud per deſtillationem ſub littera C. de quo ſumere duas vncias plus minus licebit.

Pilulæ Comitis.

Celebratæ quoque ſunt olim, & nunc quoq; commendantur pilulæ ſeu catapotia pro comite podagrico præparatæ, quæ plurimos egregie iuuaſſe ſcribuntur. Horum deſcriptionem adiungere prædictis placuit.

Quod ſi quando electuario vt malis, ne hoc etiam careas, deſcribam exemplum quo non ſine magno certoque fructu fueris vſus. Licebit autem ſemel ſumere drachmam 1. plus minus, prout mouere expertus fueris. Non enim ab eodem pharmaco omnia corpora ſimiliter mouentur imo ne idem quoque corpus; eodem ſemper modo ab eodem afficitur remedio.

Non puto opus eſſe vt plures deſcriptiones addam, cum, quia facile eſt iuxta hos exempla plura facere, tum quia ad D. Folcherium alias quoque de talibus ſcripſi, inter quæ illud quod ex ſilueſtrium prunorum floribus paratur, præclariſſime facit. Ab hermodactylis puro abſtinendum cunctis eſſe, tum quia ignotum nobis eſt medicamentum, & pro eo venenata radix nobis venditur, tum quia multum ventriculo nocet, teſte Ægineta & nonnullis aliis.

Habenda quoque ratio erit capitis, quod fricari calido panno quotidie fere debet, mane ſcilicet, antequam progrediaris in aerem, odorandæ ſunt res ſemper ſuaui odore præditæ. Abluendũ ſæpe lixiuio in quo betonica, flores camomillæ, hyſſopus, roſæ rubræ ſiccę bullierint. In fine lotionis poculo vini calidi perfundatur, in quo aliquid fol. ſenæ, & agarici conciſi bullierit prius: mox calidis pannis diligenter & exacte, blande fricando exſiccetur, vt panni tales ſæpe mutentur, nec vllo pacto frigeſiat, antequam plane ſit exſiccatum. Præſtat ergo veſperi ante cœnam lauari, cum non eſt exeundum domo, aut certe iis diebus, quibus non habebis neceſſe ante prandium exire.

Velim etiam, te illis diebus, quibus medicamentum nullum ſumes, drachmam 1. vel etiam duas plus minus de puluere hoc deuorare, qui paratus ſit ex cornu cerui duriſſimo vſto, ex oſſibus aut boum aut ceruorum vſtis, maxime ex citris & dactylorum nucleis, mandibulis lucii piſcis (Hecht vocãt eum noſtri) vt ſint ſingulorum partes æquales, corallorum vſtorum, aut eboris vſti, pars dimidia vel tertia. His addantur cinnamomi, macis, caryophyllorum partes æquales. Tanta autem ſit horum aromatum ad reliquos pulueres portio, vt & odore & lingua percipi poſſint. Hunc puluerem vſurpabis quomodo voles. Vel enim cum pane toſto vel cum zuccharo mixtum, vel cum conſerua roſarum antiqua, vel cum conſerua betonicæ, quemadmodum conuenit, vel cum iure carnium, vel alio quouis modo. Maior eſt pulueris huius efficacia, quam quiſquã credat facile, qui non eſt expertus. Neque metui vllum ex eo incommodum poteſt, vt qui nocere nihil omnino poſſit, ac ventriculo tuo profuturus ſit plurimum.

Debet etiam ventriculus ſæpe oleo maſtichino & abſinthii rite præparato mane inungi, præcedente fomento tali. Abſinthii, roſarum rubrarum ſolia, menthæ criſp. folia (cuiuſque manipulus eſto) infundantur in vinum generoſum aut Maluaſiaticum, inq; eo macerentur per noctem. Poſtridie calefiat tegula in igne; & cum bene calet, inuoluatur pars herbarum

dimidia panno lineo, & ſuper tegula bene calefiant, calidæq; ori ventriculi admoueantur; vbi refrigeſcere incœperint, admoueatur pars altera herbarum, eodem modo, & priores interim calefiant iterum. At ne comburatur pannis, vino in quo maceratę ſunt herbæ, pannus leuiter aſpergatur. Cum ſexies vel octies hoc modo foueris, mox calido oleo inungi, & impoſita calida ſtupa te veſties, &c. Poteſt hoc ſingulis ſeptimanis, aut ſæpius fieri, & quoties grauitas in eo percipitur, aut minus probe cibũ confeciſſe videbitur. Valde quoque hoc tempore profit de electuario, pro ventriculo ſub litera D. deſcripto ſumere quantitatem dimidii oui, aut duarum regiarum nucum. Si libet admiſceri aliquid ſupradicti pulueris, poterit.

Fouere etiam hepar interdum poterit, & pòſt totum inungi eiſdem oleis, & eodem modo, parum enim recte ipſum facit officium, & fotu opus habere videtur, oleis tamen permiſceri aliquid camphoræ ad penetrationem oportebit. Dixiſſem aliquid de cauteriis in tibiis, niſi narratum eſſet, iam te in vtroque pede habere. Sane valde probo, ſed facta velim poſt generalem illam vniuerſi corporis purgationem, thermarumque vſum, quamquam non reprehẽdo conſilium, quod cuius excitare placuit. Scripſi fere quæ mihi occurrerũt pro tuo morbo curando. Nihil dubito, quin ſis ex hac methodo conſequuturus, quantum optare recte poſſis, ſi modo eam non neglexeris.

Sequuntur remediorum formulæ. Pil. A.

℞. Agarici electiſſ. ʒ. i. turpeti pinguiſ. ℈. ij. nucis muſcatæ, zingiberis an. ℈. ß. infundantur in aqua betonicæ, & mẽthæ criſpæ, & ſuper calidos cineres poſita, ferueant parum, & mox valide exprimantur. Huic expreſſæ aquæ adde rhabarb. optimi ℈. iiij. ſpecierum hieræ, diacolocynthidis ʒ. ij. Diagridii recte præparati ℈. ſem. cum ſirupo roſarum ſolut. fiat maſſa, & formentur pilulæ ex ʒ. i. quot cuiq; libet. Non autem formari debent ante vſum.

Julep. C.

℞. Turpeti pinguiſs. vnc. iiij. Agarici præſtantiſs. vnc. ij. fol. ſenæ vnc. i. Trita infundantur in aqua cichoreę vel endiuiæ, vel etiam fontana, exponanturque ſoli calido, vel ad fornacem calidam collocẽtur, vel ſuper calidos cineres per triduum. Poſtea colentur, & aqua alia ſuperinfundatur, iterumque ſic vt dixi ſoli exponantur. Hoc toties fiat, vt tandem nihil amplius ad ſe extrahere poſſit aqua, id quod guſtus demonſtrabit.

Omnes has aquas collige, & adiecto zuccharo q. ſ. fiat Iulep. aliquid in ſacculo ſuſpenſa teneantur, perpauciſſimum fiet, ſuaue & odoratum pharmacum, ſi aqua cinnamomi excipiatur, vel ſaltem roſacea bona, ſed illa melior eſt, niſi cinnamomum optimum, vna cum prædictis in roſacea maceretur. Poteſt etiam acui cum ſcamonea. Item pro zuccharo ſi ſirupus roſar. ſolut. accipiatur, fiet efficacius, & minus placebit oculis.

Sirupus ſeu Julep. aliud.

℞. Myrabolan. chebulorum, turpeti, agarici an. ℥. ij. rhabarb. vnc. i. rad. helleb. nigri fol. ſenæ an. vnc. ſem. pulpæ colocynthidis ʒ. iij. rad. iridis florent. ʒ. ij. zingiberis, piperis longi, cinnamomi, macis an. ʒ. i. Macerentur in ſ. q. aquæ per triduum in loco calido, in vaſe vitreo, diligẽter obturato, poſt hoc tempus diſtillentur per Alembicum vitreum. Humor collectus cum ſirupo roſ. ſolut. miſceatur, & iuxta artis legem ad ſiruporum craſſitudinem coquatur. Hic etiã ſirupus ex aqua cinnamomi præparatus ſuauior fiet, acui poterit vt prior.

Catapotia ſeu Pilulæ Comitis.

℞. Agarici, abſinthii, corticum myrabol. chebulorũ, & citreorum, colocynthidis collectæ, hieræ logadionis an. ʒ. i. ſem. cum ſucco cydoniorum & betonicæ conficiantur; ſingulis ſeptimanis ſumatur drachma.

Electuarium purgans.

℞. Cinnamomi opt. ʒ. ij. çaryophyll. nucis muſc. galangæ, macis an. ʒ. i. ſpecierum

rũ diamuſci dulcis ℈.iiij.ſpecierũ elect.de ſucco roſarũ ʒ.ij. cort. myrobal. chebulorum & citrinorũ an. ʒ.i. ſem. turpeti pinguiſs. ʒ.i. rhabarb. opt. vnc. ſem. zacchari albiſſimi, & aquæ polypodii. an. ℔. i. ſalis Ammon. ʒ. ſe. fiat ſecundum artem electuarium.

Electuarium pro corroboratione ventriculi.

D.

℞. Conſeruæ betonicæ vnc. i. ſem. Nucis muſcatæ conditæ numero ij. calami aromatici conditi, zingiberis conditi an. ʒ.ij. myrobal. chebul. condit. num. ij. piſtachiorum recentium ℈. ſem. ſeminum cucurbitæ & melonum an. ʒ.i. ſem. cinnamomi opt. ʒ.i. xyloaloes ℈. ij. ſem. caryoph. macis, an. ℈. ij. ſeminis aniſorum ʒ ſem. cum iure, in quo calamus aromat. conditus eſt, fiat mixtura conſiſtentiæ iuſtæ.

Vnum adhuc ſupereſt, vt quo pacto pedes roborandi, doceam. Sed de localibus omnibus nihil eſt vt plura dicam. Sunt enim vbiq; obuia, & cunctis nota. Cum humor omnis abſumtus eſt, imponimus eiuſmodi, quæ ſiccare, & aſtringere queant. Componantur ex galla, acacia, phu, malicorio, hypociſtide, radicibus geraniorum, glãdibus, erica, fructu pinaſtri, & ſimilibus aliis. Inprimis confert, ſi in decocto ericæ, & pinaſtri fructu pedes aliquando abluantur. Cum ſemel etiam diſcutere opus eſt, ceratum ex bryonia ab Aetio poſitum, commodum ſit. Mirum in modum exſiccat ac roborat lapis ille, qui inſtar oſſium in ſabulo hic paſſim reperitur, quo ad fracturas oſſium, vulgo nunc vtuntur omnes fere. Huius puluis ſi cum oleo vel butyro, & radicibus geranii coctis, apte miſceatur, & vice cataplaſmatis pedibus inducatur, ſic eos exſiccat, vt cutem rugoſam reddat. vtendum eo non eſt, niſi conſtat nullum ſuccum in pedibus contineri, qui reſiccatis in tophum indurari queant. Quamquam periculum hoc caueri poſſit, ſi diſcutientia permiſceantur in iuſta quantitate.

De ſedantibus dolorem, cum paroxyſmus infeſtat, ideo nihil dico, quod vix vmquam idem pharmacum eidem homini bis profuiſſe animaduertimus. In cauſa eſt quod pro varietate temporum, anni, ætatis, conſtitutionis, cæli, exercitii, animi affectuum, cibi, potus, atque aliarum talium rerum ſucci varii generantur, vt numquam eodem modo temperati, per omnia humores in pedes influere videantur. Quocirca eſt hæc res præſenti, & omnia oculis inſpicienti Medico committenda. Deus optimus maximus pro ſua benignitate, ad Sancti ſui nominis gloriam, & multorum vtilitatem largiri dignetur, vt & recte vtaris remediis, & efficaciter illa operentur, morbum a te depellant, quo alacrius Reipub. ſeruire poſſis, pluribusq; prodeſſe. Amen. Heidelbergæ die 29. Martii, anno 1567.

Thomas Eraſtus tuæ præſtantiæ
ſtudioſus Medicus.

Conſilium 10.

Literas tuas D. D. Folchere doctiſs. in quibus mihi caſum deſcribis viri ornatiſſimi, & clariſſimi Iuriconſ. Domini Chriſtophori Fabii Iugelii: quæq; diem ſecundum Ianuarii adſcriptũ habebant, quinto demũ Martii a fratre tuo accepi. Quo in loco hæſerint, neſcio: veruntamẽ, cal. Febr. a Principe Hennebergenſe vocatus, abii in Frãconiam: vnde 24. eiuſdem menſis primum redii. Nunc ergo ad caſum viri illius optimi, & tui, ſicut ſcribis, amantiſſimi ſepoſitis rebus aliis reſpondebo.

Temperaturam videre mihi videor calidam & humidam, ſie tamen, vt caliditas ab humiditate longe ſuperetur. Hoc enim corpus molle, plenũ, glabrum, flaccidum, excrementorum alui humidorum, ac ſudoris copia teſtificantur, quodq; ab aeris humidius permutato fluxiones, catarrhi, & ſymptomata alia augentur. Equidem tam crebro ſanguis ex naribus videtur propter admiſtionem ſeroſi humoris præcipue fluere. Calorem aliquem indicant corporis conſtitutio, & virium in caloribus talib. facilis deiectio ſeu diſſolutio. Nõ magnum hic eſſe exceſſum, illud in primis arguit, quod putridis febribus raro præhenſus fuit, quod certe fieri vix potuiſſet, ſi cum largo humore calor vberior conſociatus fuiſſet. Hanc intemperiem in iocinore eſſe dubitare non poſſum, cum apud me totius corporis conſtitutionem, & ſudores vndiq; emanantes conſidero. Quo & illud facit, quod poſt ſomnum, in quo præter ſudores, excretiones naturales omnes cohibentur, excrementa habet compactiora, & naturalibus ſimilia. vacuantur igitur quæ deinceps conſequuntur, ex venis: non continebantur in inteſtinis. Proinde principium aliquod ſic affectum colligo; quod epar eſſe Medicus recte inſtitutus, neſcire non poteſt. Non nego interim ventriculum adiuuare hanc tanti humoris

generationem, atque cerebrum ex ſublatis inſerne vaporibus eoſdem augere. Nam vt de humida terra plures aſcendunt in cælum halitus, quam de arida & ſicca, ita ex corpore nimis humido plures quoq; ad cerebrum tolluntur flatus. Argumento eſt, quod augentur catarrhi, quotiens alui fluxiones, vel ſponte ſupprimuntur, vel arte cohibentur. Ex iſta hepatis intemperie, dum calor eſſet maior, & victus ratio liberior, ſecuta eſt ſcabies illa diuturna: & quæ alia paſſus eſt æger, ſuperioribus annis accidentia.

Quæritur ergo, num poſſit hæc intemperies principalium membrorum corrigi, & quibus id remediis obtineri poſſe videatur. Ad prius reſpondeo, emendationem integram fortaſſe impoſſibilem eſſe, correctionem mediocrem, adeoq; ſymptomatum alleuationem notabilem, qua æger contentus eſſe poſſit, non eſſe impoſſibilem. Haud neſcio natiuum temperamentũ, ex Galeni ſententia, mutari poſſe in melius: verum lõgo ad id labore, ac ſumma diligentia opus eſſe pariter ſcio. Nec diſputo nunc, vtrum præſens temperamentum ægri congenitum ſit, an aduentitiũ. vtrum ſit, perinde habebit curatio. Etenim habitum contraxit, ac naturale iam factum cenſeri debet, etiamſi ex praua victus ratione accidiſſe ponatur. Si porro quæratur, quibus remediis alleuatio malorum procuranda ſit, exſiccantibus reſpondebo, quæ neque calefaciant vehementer, neque frigida ſint tamen. Ad fontis acidi potum quod attinet, non diſplicet mihi quidem, ſed valde vereor, vt, quod concupiſcimus præſtare queat. Decoctum certe guaiaci modis omnibus præfero. Cauſas exponere, vtriuſque ſententiæ nimis foret longum, & apud te ſuperuacaneum. Tu ſæpe prudenter times, ne ex huius vſu decocti hepar inflammetur, vt ſudores minus prouocentur: quæ tamen me non terrent. Prius enim malum caueri poterit illis modis, quorum facit mentionem. Sudoris prouocatio moleſta quidem eſt, fateor; attamẽ commodi plus, quam incommodi tandem adfert. Probarẽ etiam tormentillæ radicis admiſtionem, ſi ferre poſſet, (eſt enim ingrata guſtui) propterea quod magna vi prædita eſt roborandi. De Myrti baccis nihil habeo. De Salſa parilla certi nihil affirmare poſſum, quia ea numquam vſus ſum. Hoc video, colorem ab ea induci ſubrubentem, craſſum & turbidum. Certum eſt eam minus ligno calefacere: at ingrata ne ſit metuo. Hoc ſi non ſit, omnino admiſceri eam velim. Galangam prorſus laudo: cui tamen in caſu noſtro macim prætulerim propter facultatem roborandi: aut certe cinnamomum propter ſuauitatem, & recreandi poteſtatem. Velim autem decocto eum ſic vti, vt mane tantum ſumeret hauſtum ſudorificum, non veſperi. Deinde vt aqua, qua in paſtu vtetur, paulo minus efficax ſit ea, qua ſudores eſt prouocaturus: aut prorſus eadem. Tertio, vt pane veſcatur bis cocto cũ aniſis, fœniculo & ſimilibus: Ergo cum ſemicoctus eſt, ex furno extrahatur, tranſuerſimque diſſecetur, & inſperſis ſeminibus ac ſaccharo roſacea madefacto rurſus craticulę impoſitus in furnum inſeratur, coquiq; permittatur. Quarto, victus rationem tenuem quidem, at non exactam illam vulgo vſitatam ſeruare eam velim. Edat ergo alam pulli, dimidium columbum, par ouorum, aut turdellam, aut duos paſſeres, aut tres, aut ſimile quiddam. Sed in vno paſtu vnum prædictorum addito pyro cocto cum aniſis aut paſſulis, aut amygdalis aliquot, aut re alia conſimili. Sint autem carnes omnes aſſæ potius quam elixæ. Quinto, nolim eum domi latere, ſed ad negotia exire, capite bene tecto corporeque veſtibus apte munito. Quin ne conuiuiis quidem interdicerem, modo & parce edere, ſicut dictum eſt, vellet, & ſuo q; potu contẽtus eſſet, ſi carnium loco piſcibus mallet veſci, vt lucio, truta, fundulis, perca (modo in aceto cocti bene fuerint) non grauate concederem. At hanc rationem per menſes duos plus minus obſeruari cuperem. Nihil dubito, quin ex hac viuendi regula, (quæ moleſtiam ei nullam pariet, cum diebus pauculis ea fuerit vſus) plus ſit accepturus commodi, quam ſi pro more decocto vteretur per 4. aut 5. ſeptimanas abſque omni ferme cibo. Pro ſingulis vnc. ligni limati, non tornati ponerem ſingulas ℔. aquæ; & decoquerem ad dimidium aut paulo minus. Cum hauſtu matutino miſcerem cochlear aquæ ſtillat. cinnamomi. Poſt hoc tempus vino ei vtendum puto, quod vrinam leuiter citat, ac victus ratione medicamentiſq; corpus exſiccare valentibus: de quibus tum cogitabimus, cum, quomodo hæc ſucceſſerint, intellexero. In præſentia ſolum hoc monebo, vt ad ſiccum declinẽt cibi omnes, quoad fieri commode poterit: ita tamen, vt non ſint concoctu difficiles. Potus ſit quam pauciſſimus quouis tempore: vt appetitui naturali nõ plene ſatisfiat. In principio menſæ numquam ſi poteſt fieri, bibat, ſed cum prope dimidium cibi, (aut ſaltem partem tertiam) comedendi ingeſſerit. Dum hæc ſcriberem, rediit mihi in mentem hiſtoria de vxore Boethi: quam Galenus in cap. 8. lib. de præcognit. ad Poſthumum deſcripſit. Et ſane, vt quædam ſunt diſparia, ita permulta ſunt in ea huic noſtræ cauſæ ſimilia. Quinimo anxietatem quoq; quam a ſumpto cibo æger noſter, noctu præſertim, ſenſit. (nunc enim an tandem ſentiat neſcio) ſimilem ei ſuſpicor fuiſſe, cuius in eodẽ libro cap. 2. meminit, eodemq; modo curari potuiſſe. Quippe atteritur multorum ventriculus a cibo comeſto vt æſtuare cogat patientes, dum ex ventre exierit. Minus moleſtum hoc ſymptoma fuit interdiu; at nonnumquam

tamen

tamen ſudorem ei expreſſit inter edendum, vt ſcribis: affectuſq; in ſiniſtra potiſſimum faciei parte apparuit. Dum ligni decocto vtetur, non debet intermittere vſum medicamenti, quod Doctor Crato conſuluit: quo partem humoris feliciter duci intelligo. Poterit eo tamen aliquanto rarius vti, ſi minus eo ſe opus habere animaduertat. Interim dum guaiaci decoctum bibet, vtiliter admodum excipiet ore, naribus, oculis, auribus, fumum ſuccini albi: mane poterit accendi, vel carbonibus imponi. Nec minus, imo fortaſſe multo magis iuuabit fumus ſubſcripti pulueris, ſi inſtar fabæ, cũ aliquot aceti roſacei guttis inſpergatur ignito lapidi molari, & fumus excipiatur. Quod ita commode fiat. Fruſtum veteris molæ ignitum in vaſe terreo ponatur intra vas ligneum, in quali bet ancillæ hic aquam hauriunt. Hoc inter pedes medium collocetur, vt caput inclinatum ſupra lapidem ſitum ſit. Debet autem humilius quam pro more ſedere: ac pannus circumducendus eſt, qui ſupra caput colligatur, ne fumus diſpergatur. Inſperſo puluere ſinatur primus impetus diducto panno exhalare: & quod reliquum ſurgit, excipiatur. Cum fumare deſinit, inſpergatur noua materia: & hoc tantiſper fiat dum lapis candet. Si non ſufficit vnum, habeantur duo fruſta. Si ferre commode poſſit, per horam eo vtatur. Demum caput calidis linteis, quæ fumum eiuſdem pulueris carbonibus inſperſi exceperint leuiter ſeu blande fricando exſiccẽtur. Mirifice reſiccabit hoc remedium redundantes in cerebro humores. Si profuerit vſus ligni, poterit deinde vti cum ratione victus exſiccante chalybeato vino, aut chalybe aliter præparato, & quæ alia videbuntur vtilitatem allatura. Quæ reſtant, in illud vſque tempus reiicio, quo me de ſucceſſu certiorem reddes. Nam pro circumſtantiis inſtituenda deinceps reliqua erunt. Vale. Heidelbergæ 7. Martii.

℞. Thuris maſculi,
ligni aloes veri,
ſuccini albiſſ.
maſtichis puri,
ſandarachæ,
ſantali odoratiſſ.
roſarum rubrarum,
betonicæ an. ʒ. i.
cinnamomi,
macis,
caryophyllorum,
ſtyracis calam. an. ℈. ij.
Miſce. fiat ex omnibus puluis.

Thomas Eraſtus.

Conſilium 11.

S. D.

POſtquam præſentem te vidi, vir clariſſ. atque humaniſſ. fateri coactus ſum, me tuum affectum non cognouiſſe. Suſpicatus fui faciem puſtulis & ficoſis tumoribus fuiſſe deformatam: quales in illis apparent, qui hepar calidum quidem, ſed humidum aut certe non ſiccum obtinent, ac intemperantius viuunt. At αὐτοψία me docuit, hanc in facie rubedinem (cutis .n. in rubro liueſcit) nõ ſine tumore aliquo, leui tamẽ, a ſanguine terreo, melãcholico, vſto, cuius cauſa ſit hepar, nõ tã calore quã ſiccitate nimia peccans, originẽ trahere. Quare tota curatio in hoc primum conſiſtit, vt hepatis caliditas & ſiccitas inprimis alterentur. Quo facto non erit difficile humores ſub cuticula collectos diſcutere & extergere. Quod hieme grauius eſt malũ, ex eo accidit, quod ab aere frigido cutis tenditur & denſatur: vt halitus illius ſanguinis non æque, vt per æſtatem poſſint exhalare. Et cum hepar excrementa illa excocta, & ſalſedine non prorſus carentia, ad ſuperficiem propellat, maxime vero in facie oſtentet ſicut facere ſolet, mirum non debet videri, ſi non inducatur ſitis modum excedens. Plus tamen hic prodeſt victus ratio temperata. Si enim tua excell. vino recur obrueret, ſicut multi ſolent, & per eum modo ſalſi humoris ac biliosi plus generaretur, non poſſet non pars maxima retrocedere ad inteſtina, & ventriculum, eiſq; in locis ſitim excitare nõ ſatis tolerabilem. Quod nullas inde actiones partium aliarum offendi animaduertiſti, argumentum certum eſt hepatis robuſti, quod vicioſum vſtumq; ſanguinem ad faciem, & cutem protrudit, in venis accumulari, aut in partes principes colligi non ſinit. Non tamen non aliquid ad ventriculum quoque aſcendit, quod ex eo liquet, quod ſputum mane aliquando valde ſalſum eſſe intellexi, & amarum quoque nonnunquam apparuiſſe audiui. Generantur ambo hi ſapores eodem ferme modo, & ab eiſdem cauſis magna ex parte. Itaq; victus ratio inſtituenda, quæ humectet citra manifeſtam calefactionem. Cum non tam caliditatis, quam ſiccitatis vitio, quicquid hic mali eſt, pronaſci videatur. Nimia quoq; refrigeratio parum tuta eſt. Quantum enim ad curationem huius mali adferret commodi tantum, imo longe amplius, ventriculum, qui primus medicamenta excipit, & ab eis adhuc integris alteratur debilitaret. Satis igitur fuerit, ſi manifeſte calefacientia omnia videntur, præſertim, quæ ſiccandi ſimul facultate ſunt prædita. Particulatim recenſere omnia alimenta tum vtilia, tum noxia, minime neceſſarium eſſe arbitror, cum hoc nullus ignoret, tu autem maxime noris quæ calida ſint, quæ ſicca, aut non talia exiſtant. Vinum tenue præſtabilius & vtilius eſt aqua, modo ſit auſteritatis & aſtrictio-

nis expers. Maxime tamen prodeſſet aqua cum paſſulis parata, ſicut frater tibi ſcribet. Nam & iecur humectare, & ventriculum non lædere poſſunt. Maximum ex remediis erit ſuccus portulacæ ex contuſa herba expreſſus,& cum ſaccbaro ad ſirupi aut iulepi coctus vt exprimi poſſit,tuſa herba, aqua pura fontana, vel bugloſſi, vel endiuiæ, vel lactucæ conſpergi debet. Sirupus hic aut iulepus miſceatur cum potu ordinario. Iuuabit non minus ſi de eo ſumatur coch. 1. vel alterum cum hauſtu aquæ alicuius ex modo dictis, initio prandii, & cum voles te ad ſomnum componere. Confert etiam iulepus roſaceus,& ex aqua vel endiuiæ, vel lactucæ paratus, quomodo parari ex violarum aqua ſolet. Hepatis autem regio, mane, interdum & veſperi, debet inũgi vnguẽto infra deſcripto, nõ calido quidẽ, ſed leuiter tepido. Et hęc ſunt pharmaca, quibus te velim per hanc æſtatem vti. Veſperi ſæpius ſuccoſa vtendum lactuca, cum aceto non acri, ſed in quo maduerint paſſulæ, ipſe tum optime intelligis. Generalia quoque vt in morbis aliis quibuslibet præcedere debent venæ ſectio (non tamen copioſa, ſed noſtris hominibus vſitata, vt ad 7. aut 8. vnc. emittantur) & leuis purgatio, quæ amaros & ſalſos humores a tunicis vẽtriculi, inteſtinorũ, & e venis meſaraicis detergeat, optima fuerit ex ſucco roſarum incarnatarum parata. Succi roſarum ſubrubrarum accipimus vnc. xij. ſacchari vnc. v. coquimus ad conſiſtentiã iulepi, & vnc. ij. vel iij. ex aqua borag. vel bugloſſi vel endiuiæ exhibemus initio prandii.

Ipſi autem faciei hæc admouere oportet. Veſperi infricetur oleum violaceum, eo modo paratũ, quo poſtea notabitur, & poſtridie frigida, vel ex fabarum floribus deſtillata abluatur. Vel paretur linimentum ex albuminibus ouorum, & veſperi ſimiliter infricetur leuiter, ſed diu tamen cuti rubenti, & poſtridie eodem modo abluatur. Ad hanc rem conducit aqua ex alſinæ, auricula muris, an. M. i. & ouorum albuminibus, trium vel quatuor per balneum Marię, deſtillata: debent albumina cum cõtuſis herbis optime miſceri. Admiſcere alias ſoleo abſterſionis maioris gratia ſuccum lapathi ſeu rumicis. Sed poſt venæ ſectionem & corporis ex roſaceo ſucco vel rhabarb. deterſionem bis terue repetitam valde prodeſſet, vtrique naſi pinnæ mane admouiſſe hirudinem (vel iuxta naſum cuti) quæ fęculentum illum ſanguinem exſugeret. Adhærere debent, dum expletæ decidant.

Cũ ſuperiora ſcripſiſſem, nec tamẽ remedia adhuc addidiſſem; tuæ mihi, literę vir humaniſſime, redduntur, in quibus me recte admones de toto valetudinis tuæ ſtatu: Etſi enim omnia nuper præſens expoſuiſſes, atque ego recte memoriæ mandaſſem, gratiſſimum tamen, fuit eas videre & legere. Didici enim me nullius eorum, quæ ex te audieram, oblitum fuiſſe, quod gratum ſane mihi fuit. Particularem victus rationem D. Danieli fratri dictabo, additis ſubinde rationibus. Dulcis aquæ balneum prorſus iuuat plurimum, ſed calidius eſſe non debet, quam vt in eo inſidens non frigeas. D. Ieſus excellentiæ tuæ benedicat, & conatus noſtros proſperare dignetur. Amen. oro tuam humanitatem, vt ſummum virum D. Iohan. Sturmium ex me quam officioſiſſime reſalutare dignetur. die 22. Iunii. 78.

Tuæ excellentiæ amantiſſimus
Thomas Eraſtus.

Vnguentum pro hepate.

Olei nymphęæ,
vnguenti ſantalini,
roſacei, an. ℥ i.
olei cydoniorum, ʒ. ij.
roſacei, ʒ. iij.
camphoræ, ℈. v.
aceti pauxillum.
Miſce. fiat linimentum, adiecta paucula cera.

Linimentum ex albuminibus ouorum.

℞. albumin. ouorum ij.
ſucci plantaginis,
lapathi acuti, an. parum,
ſulfuris, ʒ. ß.
aluminis, ʒ. i.
aquæ nymphęæ,
aceti, an. quantum ſatis.

Miſceantur

Miſceantur & diligenter agitētur, poſt modum ſimul ad conſumtionem dimidii bulliant. Denique colata ſeruentur vſui.

℞. olei violarum, (vel nymphęæ) ex aqua fontana decies, ex roſacea bis abluti q. v. vt ℥. ij. vel iij. Infundatur pulueris Iridis per totam noctē vnc. i. poſtmodum in hoc oleo bulliant radic. cucumeris ſiluestris vel aſinini minutiſſime conciſi, dum molleſcant, & pene diſſoluātur, poſtea refrigerata tum fuerit, exprimatur oleum, & veſperi illinatur.

Conſilium 12.

FRater tuus me nomine tuo, vir clariſſime, orauit, vt qua mihi videreris affectioni faciei ratione medicaturus, indicare tibi non grauet. Ego vero tibi, ſi modo poſſim, cum voluptate ſim gratificaturus: nec magis quicquam doleo quam quod præſtare non poſſum, quod vterque cupimus. Quantum potui ex fratris ingenioſa & diligenti narratione intelligere, mali ſpecies eſt impetigo quædam ab humore vſto ſalſoque profecta. Eſt autem humor, vt coniicio inæqualis, hoc eſt, craſſus, cum ſeroſo miſtus. Vtrum autem is in facie propter diuturnam & inueteratam cutis intemperiem corrumpatur, an iam ante ſic corruptus ad faciem confluat, dubitari fortaſſe poteſt. Audio enim nulla de ſiti, aut alia quapiam actione offenſa queri; ſed & in reliqua corporis cute, pectoris & hypochondriorum, dextri præſertim puſtulas ſubinde erumpere, quæ humore exſiccato in ſquamulas aut cruſtulas abeant, audio. Quod ſi ita eſt, fieri vix poteſt, vt cauſa mali non conſiſtat in hepatis intemperie; ſed nec facies cutis, poſt malum adeo longum immunis eſſe poteſt. Puto igitur calidam & ſiccam iecoris intemperiem, ſanguinem adurere ſalſumq; reddere. Hic cum ad faciem alimenti cauſa attrahitur, magis ibidem aduritur, & hanc ob cauſam hic magis, quam aliis in locis puſtulas illas ſuſcitat. Quam rem & cutis illius quoq; denſitas adiuuat, humorum tranſpirationem impediens. Hæc de affectu eiuſq; cauſa, quæ ſi vera nobis poſita ſunt, facile eſt dicere, quid facto ſit opus. Etenim hepatis calor comprimendus erit, ac ſiccitas temperanda, ne deinceps ſanguinem adurat. Faciei quoq; cutis ad priſtinam temperiem erit reuocanda, abſterſis primum puſtulis & furfuribus. Cæterum quibus iſta remediis conficienda ſint, hoc illud eſt, quod te maxime quærere puto. Vſus aliquādo ſum ſucco ſolani maioris, quod in ſiluis vmbroſis naſcitur, cum pari pondere ſucci lactucæ, & cum ſaccharo in ſirupi formam coctæ, atque ante cœnam cochlearis menſuram exhibui vel quotidie, vel alternis diebus. Ante prandium ad quant. dimidii oui exhibui elect. ſubſcripti, & iij. vnc. aquæ cichoreæ, aut endiuiæ ſuperbibere iuſſi. Foris regionem hepatis inunxi vnguento ex ſantalis cum oleo nymphææ, & roſaceo additis granis aliquot camphorę penetrationis cauſa: & hiſce remediis ſæpenumero voti compos factus ſum, at non ſemper res ſucceſſit. Auſus ſum aliquando Epiſcopo cuidam ex familia Campegiorum, cui ſimilia modo dictis remediis nil profuiſſent, exhibere vinum ſtillatitium, in quo pingues & ſucculētæ lactucæ per horas *12.* aut plures maceratæ fuiſſent mane duab. aut trib. horis ante cibum. Et euentus docuit me recte ratiocinatum fuiſſe. Idem deinde cum portulaca (quæ leniter tuſa immitti debet, vt ſuccum remittat) tentaui, licet non perfecte morbum abſtulerit. Erant autem hi ægri carnoſi admodum & corpulenti. Si madentiores & ſicciores fuiſſent, vix auſus fuiſſem facere. Licebit autem in his quoq; vti, ſi ſuccus aliquis minus calido vino iſto permiſceatur, qui tamen tenuium ſit partium. Nam his cauſis motus ſum. Remedio opus eſt quod in vētriculo non hæreat, ſed mox ad hepar ſe promoueat, ipſumque refrigeret. Frigidum ſi ſit, in ventre alterabitur. Craſſa ſi permiſceantur, idem continget. Tenuia calida cito penetrantia calefacient magis, quam ſuccus refrigeret admiſtus. Quare calidum tenuiſſimum, & quod in ipſo itinere aut mox atq; iecur attigit diſſoluatur, & frigidum ſuccum quem ex herbis exſuxit relinquat, eſſe conuenit. Cum aliud nullum occurreret tunc, hoc accepi. Non dubito aut poſſe aquam ex frigida planta elici, & iterata deſtillatione in duplici vaſe ſic attenuari, vt idem præſtet, tu pro tua prudentia facile temperabis. In ſolani ſucco cautio eſt adhibenda ne nimium refrigeret, tametſi nihil inde mali ortum deprehendere potuerim.

Ad faciem admouere oportet, quæ vim habent ſtrenue extergendi & ſiccandi citra caliditatem. Vſus ſum in tenerioribus carnibus linimento, & partibus æquis butyri recentis loti, terebinthinæ lotæ, amygdal. dul. olei, adipis anſerini, ſtyracis liquidæ cum g̃. 1. aut 2. camphoræ ad deductionem intra cutem: poſtridie decocto furfurum, aut ex floribus fabarum aqua, vel decocto lomentorum fabarum ablui iuſſi. In durioribus corporibus adhibui aliquātulum hydrargyri in ſucco limonum diu macerati & extincti, ex frigida iterum abluti. Hæc cum non profuerūt, aliquid ſem. hyoſcyami permiſcui. Maioribus vſus non ſum; ſi enim hæc non contuliſſent, curationem non magnopere ſperaui, quod ad fortiora ſine periculo non

probe exſiccatum fuerit. Cauendum interim eſt accurate, vt non multum caleſiat, & ne mox poſt exſiccationem aeri frigido exponatur. Quare non debet lixiuium ſupra modum calere. Sin in eodem incoquantur roſæ rubræ, folia ſenæ, ſerpillum, betonica, & agaricus, valentius exſiccabit.

Purgatio inſtitui nūc aut appetente vere, aut cum inuaſio morbi metuitur ſeu expectatur, poterit in hunc modum. Duæ vnciæ ſalſæ parilliæ recentis inciſæ, ioq; mortario mediocriter contuſæ, macerentur per horas 20. aut 24. in ℔. aquæ 16. Poſt hoc tempus igne lento bulliant ad abſumptionem ℔. 4. tum adde epithimū ſ, ol. ſenæ, an. vnc. ſem. hermodactyl. veri contuſi vnc. ij. vel vnc. i. ſem. & turpeti ℥. iij. rhabarb. ℥. i. (ſi non diſpliceant) & per octauam horæ partem bulliant amplius. Remoue mox ab igne, & bene tecta ſerua dum refrigeſcant: demum colentur. Cui placet enim poſtremis illis medicamentis ventriculi, & ſaporis gratia addere cinnamomum contuſum, ſaccharum, paſſulas, ei licet: debet enim quiſque pro naturæ ſuæ modo temperare. Cum vſu decoctum hoc abſumptum fuerit, vt ſtatim dicetur, nouum parari debet. Quod vt plus habeat virium, paretur ex aqua in qua recrementa ſeu medicamenta prioris (& cum tertium inſtituetur ſecundi) bullierint. Vſus huius decocti eſt, vt vini loco in menſa bibatur. Sed aduertere oportet ſi nimium purgat, vt parcius bibatur, & reliqua ſitis vino extinguatur, vel in prandio tantum, non autem in cœna vſurpetur. Omnino enim, vt dictum eſt, quiſq; conſiderare debet, quid ferre poſſit, quæ ſui corporis ſit proprietas, & quo modo erga rem quamque affectus ſit.

Per reliquum anni tempus vti poteris ſubinde vino abſinthite. Accipies dolium 7. vel 6. menſurarum noſtrarum continens, & herbas, quas in charta deſcriptas cernis, * inde vino vas replebis, & vbi obturatum exacte per dies 10. aut 12. manſerit, vti eo poteris vt dicam. Monendus es prius, decocto antea dicto ex ſalſa parilia vtendum ſpacio 15. aut plurium dierum, pro naturæ tuæ modo, ſeu facili aut difficili toleratione. Vini abſinthitis vſus talis eſt: Qui ientaculum mane ſolent ſumere, iuſtum eius hauſtum ſeu mediocre poculum ebibunt. Qui non ſolent ientare in prandio, cum primum bibere volunt, tantundem hauriunt. Eſt hic etiam quantitas menſuranda, prout corpus ab eo magis, minuſue mouebitur. Sufficit, ſi eo die quo bibitur, ter aluum moueat. Poterit bis, ter, ſæpius, quotidie, rarius, ſemel tantum eo in ſeptimana vti: cum depletum eſt doliolum, nouum ex recenti materia parandum eſt, vaſe prius diligenter aqua feruente purgato. Mira eſt huius remedii vis in podagræ præſeruatione, vt multorum literis teſtatum facere poſſum. Ex Polonia, Pomerania, Boruſſia, Marchia, &c. vt vicinas regiones ſileam ad me miſſis. Vinum paſſulatum ſic paratur: In doliolum ſegmenta corylorum (aqua prius per multos dies macerata, ſæpeq; mutata) induntur, vt fundus operiatur, hæc paſſulis integuntur lotis, paſſulæ iterum ſegmentis, itaque fit dum vaſculum fit plenum. Affuſa deinde aqua pura, & vino pari vel impari quantitate repletur vas, & obturatum ſeruatur vſui: Qui volunt contuſi cinnamomi adiiciunt quantum libet. Nec enim vel hoc vel alia aromata nocent cum aqua miſta ſaporis conciliandi, aut aquæ frigiditatis corrigendę cauſa. Sirupis nullis opus eſt ei, qui abſinthite vino vti poteſt. Paratur ex moris rubis (Germani appellant, Brambeere/ Kratzbeere/) vinum fragrantiſſimi odoris, eodem modo quo paſſulatum, ſed abſq; aqua. Thermarū ſeu aquarum calidarum vſus in hoc morbi genere, quo tu laboras, non nocet: ſed vehementer prodeſt. Ego nullum reperi ad mitigandum articulorum dolores iſtos certius & melius. Iubeo igitur ægris, ſi non poſſunt toto corpore inſidere, vt dolentes partes in ea habeant. Sed debet tantum ſalis incoqui, vt guſtus clare ſalſedinem percipiat. Sic abſq; dolore & breui tempore præterit paroxyſmus. Succus cydoniorum ex tritis & mundatis exprimitur, & vel ſic, vel cum modico ſaccharo coctus ſeruatur, ſi accurate obturatum ſit vas in quo continetur. Baſileæ 11. Nouembris anno 1582.

* deeſt hæc deſcriptio.

Domino Wolfgango Hallero Tigurino, S. D.

Conſilium 14.

VIR quidam non maiorum modo, ſed etiam propria virtute, pietate, prudentia, eruditione, clariſs. atque ampliſs. de ſymptomatis quibuſdam vehementer queritur, quæ iam hic recenſere volo.

Patitur, vt ipſe quidem affirmat, quandam capitis aut cerebri quaſi concuſſionem aut vibrationem, potiſſimum ſtans, vt de caſu non raro metuerit. vertiginem ipſe aliquando eſſe putauit, cum tamen nihil omnino volui appareat, quantumuis intentis omnia oculis aſpiciat. Præterea non tranſire videtur ei ſymptoma, vt vertiginoſis citius tardius videmus. Multo minus tenebræ ante oculos apparent, cum præſertim iis fere oculi obtenebrentur, quibus vertigo vehemens moleſta eſt, & a craſſis vaporibus orta. Dum igitur neque ipſe ſibi vol-

ui videtur, neque alia volui modo vertique videt, neque vlla in re ſenſus tum læſi cognoſcantur, vertiginem eſſe nō credere potui. Fatetur enim æger ſymptoma, dum ſtat, pene perpetuum poſteaquam cœpit eſſe moleſtum, neque quicquam ei videri, niſi quod cerebrum quaſi concutiatur leuiter, vnde metuere cogatur, ne cadat. Pedum tamen titubationem non queritur, ſed interdum quaſi defatigati labore eſſent, in acceſſionibus eos ſibi ſentiri ait. Interrogatus, an illo tempore aut paulo ante in reliquo corpore aliquid incommodi ſentiat, nihil ſe ſentire reſpondet, niſi quādam anguſtiam circa regionem oris ventriculi, & quaſi principium quoddam animi deliquii; ſtatim vero ac recumbit, ſeu ſupra lectulum ſe componit, nihil prorſus mali aut incommodi in toto percipit corpore tantiſper, dum rurſus ſurgit. Ita neque nocte neque die, dum iacet, aliquid mali ſentit, minus etiam dum ſedet, quando vel ſtat vel ambulat. Dum etiam vel equo vel curru vehitur, niſi cibo & potu ventriculum habeat nimis oneratum & diſtentum, immunis & liber eſt ab omni hoc malo. Mane cum ſurgit, non continuo inuadit eum, ſed poſtquam indutus eſt, inambulauit, & negotiis, quibus plane propter Spartam quam gerit dutiſſimam, obruitur interdum, ac cingitur in mediis etiam negotiis: cum cogitationes & ſenſus habet diſtractos, & rebus aliis intentos, nihil ſibi mali adeſſe aduertit, niſi ſolus vel ſcribat, vel legat, vel meditetur, aliquid ſedens. A cibo quoque nihil ſentit antea quam fere coctio in ventriculo ſit perfecta. Malum non eſt perpetuum, ſed interualla habet interdum longiſſima. Menſes aliquando, ſeptimanas non raro integras & plures, nonnumquam dies aliquot prorſus eſſe ſibi liber videtur. Quod inter iacendum, equitandum, &c. a cibo nihil mali percipiat, iam eſt ſupradictum. Triſtis eſt ſupra modum, dum hoc ſymptomate vrgetur, præſertim vero quando ſolus eſt, metuit plurima præter rationem: interrogatus etenim, cur vel triſtetur vel metuat, aut quid metuat, nihil habeat quod reſpondeat, niſi quod apoplexiam ſe timere, nonnumquam epilepſiam, interdum hydropem dicit. Aluum habet lubricam ſatis; & excrementa, quæ ipſe vidi, tumida, inflata & plena erant, nigra, & mali odoris. Vidi autem dum diarrhœa laboraret. Ructus patitur crebros, neque alienum vel odorem vel ſaporem animaduertit; patitur etiam ſymptoma, quod aliqui ventriculi ardorem (aut ipſius oris) ego oxyregmiam quandam eſſe cenſeo. Deſtillat multa ipſi pituita in os, quam per ſputum mane reiicit ſine incommodo; ſapor neque aridus in ea, neque ſalſus (ſed fere inſipida eſt) deprehenditur. Vrina colore & ſubſtantia talis eſt, qualis in bene temperato (habita ratione harum regionum victus conſuetudinis, &c.) eſſe poſſit: contenta ſunt æqualia ſatis, ſed raro cohærent, ſed a flatibus in totum vrinæ corpus diſperguntur. Sunt præterea ſemper quaſi arenulæ in ea rubræ, & pallidæ, & quaſi aduſtorum humorum quidam cineres. Operationes omnes capitis habet alias integras, ſenſus acutiſſimos, ingenium ſolertiſs. & acerrimum iudicium. Cogitationes mire mobiles habet, varia ſibi fingit phantaſmata, & vt in ſumma dicam, corpus æquabiliter temperatum videtur, niſi quod hepar, cuius plurima ſunt indicia, paulo habet calidius vna cum cerebro. Iam vero eſt exceſſus ille mediocris, vt vitium vix appellare auſim. Per cutim, vt in pectore, ventre, interdum oriuntur maculæ quædam ſatis latæ, flaueſcentes, quæ aliquanto poſt rurſus euaneſcunt.

Hæc fere ſunt, quæ ego animaduertendo & interrogando cognoſcere potui: ſed oblitus eram, quod per multos annos plurimis iiſq; validiſſimis medicamentis, vt hoc a ſe quicquid eſt mali depelleret, vſus eſt, maxime vero purgationibus: capiti adhibitū ſinapiſmum intellexi. Confectionem Diatrion pipereon habet, qua pene quotidie mane vtitur, in qua plura, quam in medicamento a Galeno deſcripto, aromata ineſſe arbitror: in continuo etiam vſu pilulas maſtichinas habuit, &c.

Reliquum iam eſt, vt eſſentiam morbi locum, affectum, & morbi cauſam inquiramus. deinde cauſas, modo fieri poſſit, ſymptomatum omnium adferamus. (hoc enim a nobis petiit) poſtremo, vt quanam ratione curari morbus ille queat, indicemus.

Principio morbum eſſe melancholiæ quandam ſpeciem nemo dubitabit, qui ſymptomata enumerata conſiderarit, & imaginationes melancholicas intelligit, vt pluribus non ſit opus.

Locum affectum cerebrum eſſe, id quoque controuerſia & dubitatione caret. Cum enim imaginetur, cerebrum aut ſpiritus in eo inordinate ita moueri, vt ei de caſu metuēdum ſit, imaginatio autē virtus (ſiue mauis actio) ſit cerebri; conſtat cerebrum aut eiuſdem ſpiritus affectos eſſe; tam enim ſuperſtitioſe hæc neque diſtinguenda, neq; explicanda videntur, modo eorum, quæ ad recte curandum pertinent, nihil omittatur. Eſſe autem hunc in cerebro affectum non per eſſentiam, ſed conſenſum aut vnius, aut plurium, aut omnium corporis partium, ex eo intelligi poteſt, quod non ſemper durat morbus, ſed interualla habet interdum longiſſima.

At cauſa horum malorum ſeu huius morbi ſpiritum aliquem aut vaporem, nō humorem eſſe hinc aliquis colligat, quod celerrime tum venit, tum abit. Neque enim tam vehe-

menter ab eo vmquam afflictus eſt. vt ſi ſe in lectulum demiſerit, non continuo ab omni malo liberatus viſus fuerit. Adde quod ſæpe, dum ſeria tractat, repente ſolicitatur, cum nimirum ſpiritus aliis cogitationibus exercet. Caput quoq; non fit grauius, non diſtenditur, non dolet, neq; in facie doloris aliquam mutationem aduertere potuimus, ex qua humorum affluxum iudicaremus. Ex his ipſis, & quod ne tinnitum quidem aurium ſentit, perſpicere licet, vapores illos eſſe valde tenues & paucos, quique faciliме vel auertantur a cerebro, vel reſoluantur. Coniecturam hoc quoque facit non leuem, quod licet imaginandi potentia, quæ non re & ſubiecto, ſed cogitatione ſeu ratione tantum a ſenſu communi differt, affecta ſit, ſenſus tamen exteriores nihil patiantur. Hactenus igitur omnia ſunt aperta, & quod morbus melancholicus ſit, a quo hæc ſymptomata manāt, & quod phantaſia lædatur, & quod vapores quidam pauci atque tenues ſpiritibus animalibus in prioribus ipſius ventriculis permixti, cauſa eius morbi fiant. Vnde porro hi vapores in caput aſcendant, & vbi generentur, ex dictis quoque cognoſcere prudens Medicus poteſt. Si namque per ſe & primo ſiue per eſſentiam (hic non tam exacte diſputo) affectum eſt, totumq; corpus melancholicum non eſt; facile ſequi videmus, vt vel in meſenterii venis, vel in liene, vel in vtroque eos generari oporteat. Ego ſane ex vtroq; tolli arbitror hiſce coniecturis perſuaſus. Ex vrina ſatis ſatis conſtat, humores aliquo modo aduri. Non poſſe autem alibi, atque in meſenterio, niſi plane calidiſſ. corpus eſſe putemus, tam facile aduri, ex eo quis diſcat, quod & obſtructiones ibi calorem hepatis augentes facilius fiunt, & materies quæ aduratur ibi copioſior eſt & aptior. Aduritur enim ſete pars chyli incocta, quæ ad progenerationem ſanguinis eſt inepta: in noſtro autē ægro credibilius hoc ipſum facit, quod calidiſſ. vtitur medicamentis, vt Diatrio pipereo, quod multum edit atque auide, interdum etiam nimium bibit. Hinc humorum cruditas oritur, qui in meſenterium attracti quibuſdam venis obſtructiones pariunt, atque vel mora, ſi nō ob aliam cauſam, longiore aduruntur. Conſtat autem ex omnium medicorum politiorum ſententia, quam experientia tum docuit tum confirmauit, cauſam melancholiæ illius, quam ideo hypochondriam vocarunt, in hypochondriis generari ab inflammatione earum partium, aut certe obſtructione, ratione cuius calor augeatur. Porro cum nulla hic deprehendatur inflammatio, ita fere, vt expoſui, eos generari probabile admodum eſt. Quod vero lien quoq; tales vapores contineat, generet, & aliquando capiti tranſmittat, nemo eſt, qui negare audeat. Ex ventriculo certe vapores plurimos eleuari crediderim, verum non eius naturæ, vt mœſtitiam, & timorem, & imaginationes melancholicas efficiant, ſed potius alia quędam afferant cerebro incommoda. Per ventriculum tamen plurimum eos in caput aſcendere, (probabile ſane eſt multos in ventriculo ipſis alios coniungi) rationi admodum conſentaneum videtur: Nulla enim eſt via amplior & expedita magis, per quam quæ in inferiore ventre continētur, ad caput aſcendāt, cum præſertim ventriculus ex vicinis illis ſibi partibus eiuſmodi vapores facile recipiat, aliquando etiam attrahat.

Sed quæ cauſa eſt, quod a cibo non ſtatim aſcendunt, ventriculum ita claudi, (loquor de loco ſuperiore) vt nihil in caput euaporet ex cibis, dum coquuntur, nemo ſanæ mentis dixerit. Nam & ſomnus pleriſq; (atque ita a natura ordinatum eſt) ideo poſt cibum obrepit, & ructus fiūt, licet etiam bibere edereq; cum volumus, quantumuis clauſus ſit, & recipere eum cibos ac potus conſtat. Hinc etiam intelligi poteſt, cum a cibo non tentetur eo ſymptomate, vapores ſub ventriculo alicubi generari, neque a cibo impeditos caput petere poſſe. De liene difficultas maior eſt, quem in pleriſq; ramum venæ ad os ventriculi mittere, ex anatome apparet, per quem eiuſmodi vapores aſcendere tunc deberent; fortaſſe ex liene nihil eorum vaporum aſcendit, ſed ex ſolo meſenterio; fortaſſe etiam illo tempore nō poteſt. Nam dum ventriculus arcte cibum complectitur in ſeq; contrahitur, ſine dubio ora venarum, quæ in ipſum pertinent, conniuent & clauſa ſunt, vt neque per illum venæ ramum aliquid tranſire conſentaneum videatur. Argumento eſt, quod cum nimium edit bibitue, ita vtroq; contrahi neque corrugari tantum poſſit, vt ora venarum claudantur: ſymptoma etiam poſt cibum patitur, antequam ſcilicet ex ventriculo chylus exierit.

Cur autem equitandum, aut dum vehitur curru, nihil ſentiat mali, in cauſa eſſe poteſt, quod caput fere eo modo, tum concutitur, quo ſibi concuti exiſtimat. Quo fit, vt tum non animaduertat a morbo ne, an ab equitatione ſeu agitatione id fiat. Fieri etiā poteſt, vt tum reſoluantur tenues illi vapores. Sunt etiam ex clariſſimis Medicis, qui inter equitādum os ventriculi mirifice exerceri & confirmari putent, vt nō debeat admirabile videri, quod illo tempore aut nō tranſeant, aut certe abſumantur. Quomodo vero & cur os ventriculi inter equitandum confirmetur, huius loci non eſt pluribus explicare. Hoc ſatis ſit quod equitationis & vectionis fere par eſt ratio.

Dum iacet etiam quod nihil ſentit mali, in cauſa fortaſſe eſt quod os ventriculi magis clauditur, & nerui minus laborant quam quum ſtatur, ſedetur aut ambulatur, inter ambulan-

dum vero quia plus huiusmodi vaporum abſumuntur, minus moleſtiarum ſentit. Scimus præterea eam eſſe vaporum, præſertim tenuium & leuium, naturam, vt ſemper ſurſum tendant. inter iacendum vero (iacet autem plerumque ſupinus) non caput, ſed pectus atq; venter ſurſum ſunt. Itaque veriſimile, eos tum non caput, ſed recta ſuperiora petere, ſi verum eſt, quod in problematibus quidam affirmant, bruta in capite breuiores ideo quam vel homines in capite vel ipſa in tergore habeant, pilos habere: multo magis quæ hic dico vera eſſe poſſunt. Addo etiam quod quiſque experitur, eam corporis partem quæ ſurſum eſt, dum in lecto iacet, magis ſudare quam contrariam, proculdubio non ob aliam cauſam, quam quod vapores iſtiuſmodi ſemper ſurſum, numquam in obliquum, niſi impediantur, feruntur. Alias etiam cauſas in problem. Ariſt. inuenies. Cū vero & quendam quaſi cordis morſum ſiue anguſtiam quandam interdum ſentit: fieri hoc ſymptoma poteſt ab iiſdem humoribus, maxime vero cum ex liene per os ventriculi ad caput aſcendunt, ipſumque mordicant, vel etiam ab aliis in ventriculo contentis. Neq; enim ſemper hoc priora comitatur, ſed aliquando ipſis coniungitur. Ex his omnibus intelligi ēt facile poſſit, cur non ſtatim, ac ſurrexit mane, ſymptoma ipſum inuadat, ſed paulo poſt. Quare bis omiſſis ad curandi indicationes veniamus, cum præſertim nemo hominum poſſit melancholicarum imaginationum cauſas reddere. quæ ipſe attuli, in eum tantum finem attuli vt clariſſimo atque ampliſſimo viro ſatisfieret: cum enim præſens omnia hæc pluribus ei explicaſſem, voluit etiam ſcriptis comprehendi a me, quo alii, quæ mea eſſet hac de re ſententia, perſpicere poſſent. Satis certe prudentioribus fuiſſet dixiſſe imaginationes eſſe melancholicas, a ſpiritibus ſeu vaporibus melancholicis in cerebro excitatos: placuit tamē, vt bene de me merito viro gratificarer, pluribus omnia explicare, prudētibus hæc nimis multa, imprudentioribus ne ſatis quidem hic videbuntur omnia declarari. Curandi indicationes ex ſupra dictis nullo negotio erui poſſunt: ſi enim per conſenſum morbus eſt cerebri, pendet adhuc a ſua cauſa, hoc eſt, a vaporibus in caput aſcendentibus. Si igitur eorum generatio prohibeatur, aut ſi id fieri propter malos hinc noſtratium mores & victus rationem peſſimam nequeant, aſcenſus eorum in caput impediatur; liberatum ſe a morbo continuo æger fatebitur; prohibebitur eorumdem generatio, ſi dabitur opera, ne crudi humores lentique generentur in ventriculo, ſed chylus exquiſite elaboretur. Fiet autem hec ſi ſuo tempore æger edat, bibat, exerceatur, ſi eo ordine & menſura, ſi eius qualitatis cibos ſumat, quos ei ſumendos ante biennium ſuaſi.

Si vero eorum generatio prohiberi nequeat, a capite ſunt auertendi. Vſus eſt ante aliquot annos, vt mihi indicatum eſt, ligaturis, fricationibus, purgationibus, &c. ſed ſine ſucceſſu magno. Quare conſului ipſe, vt vteretur quotidie, cum res poſceret, medicamento aliquo leuiter aperiente, extergente, incidēte, & quod ſimul, vel per aluum tales humores blādiſſime, vel per vrinas educeret. Cū præſertim per vtramque viam natura non adiuta, magnā partē educere ſoleat; abſtinere etiam iuſſi a perpetuo calidiſſimorum medicamentorum vſu, ne magis ac magis calor illis in locis augeatur. Præcipue vero ne temere forti medicamento purgari ſe pateretur, ſuaſi; cum illa talia facile malum propter multas occaſiones exaſperent, ſed vt in vere & autumno commode pro rei neceſſitate blando medicamento aliquoties repetito conſului.

Medicamenta vero tria quæ tum incidant, & aperiant meſenterii obſtructiones, tum humores illos abſtergant, ne tam facile adurantur, ac tandem vel per aluum vel vrinas educant, compoſui; & in iis cōponendis ſpectaui, vt quantū fieri poſſet guſtui non eſſent ingrata. Quoniam vero omnium deſcriptiones trium non occurrunt, a pharmacopola tertium peti poteſt ex rhab. rhaponti. aniſis, maſtiche, lacca, & neſcio quibus aliis compoſitum, voluiſſem etiam plura dicere, eaq; maximi momenti, ſed temporis anguſtia prohibet. 24. Februarii, 1558. Masfeldiæ feſtinanter.

Thomas Eraſtus.

Conſilium 15.

S. D.

SEXTA iam agitur hebdomas, vir præclariſſime, ac humaniſſime, ex quo faſciculum literarum cum libro a Doctore Camerario tibi miſſo Heidelbergam ad te ferendum iuueni cuidam Tigurino dedi: at num acceperis ignoro. Nunc vero etiā ſi nihil erat, cur te quam occupatiſſimum in ſecunda diſputationum tuarum parte editioni præparanda, interpellare debeam, tamen cum de iuuene illo Tigurino nihil ad hoc vſque tempus intellexi, reſcribere volui. Interea præſtanti eruditione ac pietate inſignis vir D. Fabius Iugelius, alias Chriſtophorus Iulius I. V. Doct. mei ſtudioſiſſimus atque amantiſſimus T. E. olim Bononiæ quam familiariſſimus, morbis multis toto quaſi vitæ curriculo conflictatus, ſcribendi occaſionem auxit, qui etiam

ſam cum Henneberga huc tranſires, tecum Reipub. Nor. cauſa de medica prouincia hic ſuſcipienda egit. Fretus enim tum mei, tum tui amicitia, vtriuſq; auxilium implorat: meum tum in cōſilio dando, tum in ſententia mea tibi commūnicanda atque perſcribenda: tuum in cognoſcendorum morborum, medicamentorumque eligendorum accurato nobis communicando iudicio, ſeſe ſplendide ac munificentiſſime tuam operam (cuius rei ſponſorem me conſtituo) compenſaturum pollicetur: fac itaq; per otium vt nobis rē patefacias. Ad morborum cognitionem atque curationem deſiderari imprimis morbi principii, progreſſus ac præſentis ſtatus ſubiecti ſiue ægri naturæ cauſarum procatarcticarum exquiſitam ſcientiam ſatis liquet. Quapropter operæ pretium eſſe duxi cum in hoc corpore multi, graues atq; intricati ſint morbi, illa omnia in quam breuiſſimam (vt poſſum) hiſtoriam ſiue enumerationem contrahere: qu.d hactenus actum ſit, recenſere, meumque (quod quam tenue ſit non ignoro) iudicium aperire.

Excellens hic vir ætate quadragenarius, temperatura ſanguineus, corporis habitu plenus, mollis, glaber, flaccidus, laxis poris, in pueritia a morbis vtpote catarrhis, ſcabie, tumoribus præter naturam, alui ſolutionibus, & id genus aliis, quibus tenera multoties infeſtari ſolet ætas, liber ad ſeptennium vixit.

Ab hoc tempore inſignis in ſuo corpore (cuius rei cauſam violentæ ac frequenti alui cohibitioni aſcripſit) facta eſt mutatio; nam ſcabie cum totius corporis, tum in primis capitis fuit prehenſus. Scabiei capitis ſucceſſere vlcera manantia quæ totum ſeptennium illum moleſtiſſime cruciarunt.

Anno vero 14. literarum addiſcendarum gratia ablegatus, aerem victumque mutauit: prauiori enim victu eſt vſus, & loco ceruiſiæ, quam a teneris biberat, vinum immaturum, aridum, ac multoties corruptum bibere coactus fuit. deinde etiam frequenter frigora maxima tulit: vnde ingēs ſcabies per totum diffuſa corpus, quæ toto tempore, quo in Germaniæ ſcholis vixit, diſpelli nequiuit.

Vigeſimo primo ætatis ſuæ anno in Italiam profectus, vbi propter aerem ſicciorem, victum meliorem, libertatem forſan viuendi maiorem, aliaſque commoditates, quibus in Germania deſtituebatur, ſcabie liberatus fuit: attamen frequentem cerebri debilitatem, & catarrhos perſenſit, vehemētibus narium hæmorrhagiis nonnumquam prehendebatur, a quibus & in Germania liber non fuit, a caloribus Italicis ſoluebātur vires admodum, acceſſit ad hæc alui lubricitas præter naturæ conſuetum freqnentior.

Ex Italia in Germaniam reuerſus variis conuiuiis ac conuentibus intereſſe cogebatur, vbi ob prauam atq; inordinatam victus rationem, crebertimas iſthic plus nimio vſitatas crapulas corpus cruditatibus magnis impleuit: ſubſequutæ ſunt venarum meſaraicarum obſtructiones, vrinę crudæ, abſque ſedimentis, alui fluxiones, & tandem vniuerſi corporis ſudor noctu tempore concoctionis, inſignis laſſitudo cum inquietudine moleſtiſſima, vt præ his grauiſſimis ſymptomatibus ſingulis noctibus multas horas inſomnes traduxerit: ſudor hic nocturnus non facile ceſſabat: quod ſi quiete atq; tegumentis leuiter ſudorem prouocaſſet, integrum duraſſet noctem. Corripiebatur & interdiu, nempe in cœna & prandio; in cœna præcipue ſudore, qui ſigillatim faciei ſiniſtram partem infeſtabat, hoc modo decem continuis annis, afflictus fuit. Ad hunc moleſtum ſudorem depellendum vſus eſt tempeſtiuis purgationibus ſanguinis miſſione, & ſcarificatione: at quamuis diu in horum vſu perſeuerarit, tamen nihil profecit; correptus etiā febri fuit tertiana bis terue, quæ illū hoc ſudore liberaſſe videtur.

Ab anno D. 58. alui deiectiones factæ ſunt ſolito crebriores, nimirum quotidie 4. 5. 6. & ſepties cum ad requiſita naturæ compulere. poſt ſomnum naturales, deinde ſingulis vicibus liquidiores, atque crudiores egerebantur ſedes.

Quando ob ciuilia aliaque negotia extra domum occupatus, ſedes (vt multoties vſuuenit) cohibet, rugitus inteſtinorumq; tenſiones percipit, corripiturque teneſmo ac diuturno.

Poſt receſſus violentam repreſſionem ſentit catarrhos excitari, qui tum temporis ad faciem dilabuntur, atque eam acuum inſtar pungunt; inde ad pectus decidunt, quod anguſtia atque dolore premunt. Identidem hæc pectoris anguſtia ac dolor affatim cum virium proſtratione, & leui lipothymia redit.

Quanto hic catarrhus vehementius decidit, tanto ſunt crebriores egeſtiones. ſi quando a pectore ad ventriculum labitur, in inteſtinis diutius retineri videtur, inde diffunditur per viſcera atque membra exteriora, excitat paſſim variis in locis tenſiones, palpitationes ſimiles hypochondriacæ melanchol. ſymptomatibus in orificio vētriculi moleſtiam, cum æſtus ſenſu, cui ſuperuenit oſcitatio. multi generantur in inteſtinis flatus, qui interim citius, interim tardius, attamen ſine moleſtia per ſedem erumpunt.

Adſtringentibus ad alui nimium fluxum ſiſtendum cum vtitur, ſiſtitur quidem, ſed non abſq; magno incommodo atq; dolore per diem; ſequuntur enim omnia ea, quę ſpontaneam retentionem.

Ab eo tempore quo ſudor, cuius mentio habita eſt, ceſſauit, ſatis quiete ac placide dormit; ac ſimulatq; parum & quam minimum in cibo potuq; deliquerit, vigiliæ ac ſudores redeunt pro exceſſu vehementiores & mitiores.

Domi in cibo & potu ſi delinquit, parum peccat. eibi quantitas edendi appetitum non explet, domi parce bibit, ieiunia ſolito diuturniora non fert, nam ſtatim in ventriculo morſiones ſentit, mœrore, ac indignatione ſimul afficitur.

Inſomnia humoribus in corpore peccantibus reſpondent, nam quanto plures humiditates aquoſæ ſuperfluunt, tanto magis, aquas, piſces, cancros, atque aquoſa phantaſmata numquam viſa ſomniat; aliquando animalia nigra nonnunquam cholerica in ſomno obueniunt. Temporum aeriſq; alterationes magnam in corpore inducunt mutationem; tempeſtates, pluuias, aeris perturbationes futuras præſentit: tum temporis etiam defluxiones totum inuadunt corpus, & in primis vero caput, & capitis plerumq; dimidia pars tum temporis exulcerationis ſenſum percipit; fluxus catarrhuſq; commouetur, qui ab eodem latere, vt plurimum a parte ſiniſtra ad inferiora deſcendit, ac alui ſolutiones catarrhoſq; reddit moleſtiores. Vſus eſt thermis Carolinis, at nullo cum emolumento potus: quidem non obfuit, ſed a lotione catarrhi eum ſiſtere coegerunt, opinatur ſeſe non recte expurgatum fuiſſe ante thermarum vſum.

Conſuluit horum membrorum cauſa D. Cratonem, qui ita illi reſpondit: Non dubium eſt, ſiue intemperies ſit in hepate, ſiue in ventriculo, & inteſtinis, quin, cum tamdiu durarit, ea iam habitum contraxerit: itaque curationem difficultatem habere magnam; Medicus recte in arte inſtitutus dubitare non poteſt. Hepar fuiſſe calidum ab ineunte ætate, & multos vapores miſiſſe ad caput, qui corrupti fluxiones atq; ſcabiem excitarunt, nullum eſt dubium: illud ſucceſſu temporis factum ac frigidius, minuſq; ad ſe humiditatis e chylo traxit, itaque & aluus fluidior, quemadmodum hoc declaratur a Gal. 5. Aphoriſ. 20. & 53. Hepatis autem caliditatem natiuum calorem ventriculi & inteſtinorum corrumpere, notum eſt Medicis: itaque non mirum, ſi flatus & conſignata ſymptomata conſequantur, cum chylus in inteſtinis vel corrumpitur, vel ſtipticorum vſu excretiones retinentur.

Indicatio curatiua prima eſt, robur membris addere, ſiue temperiem partibus nutritioni ſeruientibus reſtituere, & corrupta in coctionibus remouere. Hoc an thermæ, vel vſus ligni guaiaci, aut ſalſæ parilliæ præſtare poſſit, ſane apud me ingens eſt dubium. Cum autem præmiſſa optima & exactiſſima victus ratione (quæ ſi in nullo corpore, in hoc eſt neceſſaria) ſecundum Auicennæ doctrinam nō aſtrictione, ſed vacuatione hic fluxus curandus ſit, mea ſententia nihil conuenientius vel vtilius fieri poteſt, quam ſi quotidie vel alternis ſaltem diebus Rheubarbaro iſto modo vteretur.

℞. zacchari in aq. cinam. diſſol. ℥. iij.
extracti rhabarb. ʒ. i.
rheubarb. puluer.
ſucci roſar. an. ʒ. i.
Conſeruæ roſarum quantum ſatis. fiat confectio in morſellis
pondo drachmarum duarum.

Sumat de his vnum ieiuno ſtomacho, tribus horis ante cibum: non enim ſolum vitioſos humores & maxime bilioſos, qui intempeſtiue aluum irritant, educeret; ſed ventriculum ac hepar in primis roboraret. Vt autem robur maius addatur, foris quoque quædam adhiberi poſſent, videlicet hoc vel ſimile vnguentum:

℞. comar. abſinthii,
roſar. rubrar.
ligni aloes,
ſantalorum an. ʒ. i.
rheubarb. ʒ. ß.
maſtich. ℈. ij.

Olei cytoniorum, vel olei amygdal. in quo flores prunellorum ſilueſt. ſunt macerati ℥. iij. vini optimi ℥. ij. coq. ad vini conſumptionem, & detur in vitro. Hoc vnguento mane inungatur totus venter, & pannus duplex lineus applicetur. In hieme poteſt addi parum olei nuc. muſc. & maxime cum lienteria moleſta eſt.

Caput autem atque pedes contra hyberna frigora probe muniantur, & ne ſomnus nocturnus vllo modo impediatur, caueat. Si quoque roborandi gratia ſumeret conſeruam e floribus cichorii hoc modo præparatam, non inutile futurum arbitrarer.

℞. Conſeruæ flor. cichor. ℥. iij.
conſer. meliſſæ,
conſer. roſar. an. ℥. ß.

ſper.

ſpec. aromat. roſ. fidel. diſpenſati ℥. i.ß. corall. præpar. ʒ.i. miſce. Vtatur etiam orbiculis ex zaccharo, maſtiche, & corallis factis. Hactenus D. Crato.

Hoc Doct. Cratonis conſilium quam diligentiſſime ſequutus eſt, atque vſu morſellorum, ſi tertio vel quarto quoque die vtatur morſellis, ſe plurimum alleuationis percipere affirmat: & quamuis plurimum euacuent, tamen eandem ſuperfluorum, tam paucis diebus, quæ ante fuit, recolligi quantitatem inquit, ita vt ſi vel ſemel aſſumptionem huius medicamenti intermiſerit, ſtatim omnia mala recrudeſcere ſentiat. Aſtringentia atque corroborantia aluum quidem ſiſtunt ac indurant, ſed non ſine moleſtia, ſymptomatumque quorumdam excitatione. Quãuis omnia tolerabiliora quoquomodo ſint, atque D. Crato optime conſuluerit; nihilominus cũ vt ſeruitus hæc illi valde tædioſa ſit, ſic eum a muneribus tam hic Norimbergæ in ſenatu quam foris in rebus publicis obeundis ſuu ingenti cum damno detineat, atque etiam cum remedia D. Cratonis ad mali ſcaturiginem extirpandam, vel morborum ſæuitiam commode reprimendam, vt a negotiis ſuis non impediatur, nimis debilia ſint; validiora poſtulat. Res ipſa etiam hoc exigere videtur; nam inſignis illa humiditas in partibus nutritionis, capite, & toto corpore contenta, quotidieque ob partium nutritoriarum, ac capitis debilitatem in naturalem humiditatem antipathiamq́; regenerata, ac collecta, tanta eſt vt ne validiſſimis frequentibuſq́; purgationibus expurgari queat, quod ex facili toleraotia colligere licet; nihil enim vel parum a purgationibus affligitur. poſtea mihi retulit ſeſe tenuiſſimis purgationibus valde expurgari, a validis debilitari, ſed vires cito recolligere: adde quod facultates partium colluuie horum humorum obſeſſarum obtundantur ac opprimãtur. Quapropter inter omnia remedia, quæ huc pertinere mihi videntur, iudico, vel acidi fontis, vel ligni guaiaci cum ſalſa parrigha, radic. tormentillæ, baccis myrti & galanga vſum ei conuenire. voluntas ac deſiderium ad ligni decoctum magis, quam ad aliud inclinat; inquit enim matrem ſuam, cuius temperaturæ ipſus eſt, magno cum emolumento ſimilium fluxionum gratia decocto ligni guaiaci vſam fuiſſe. Secundo laborat & hernia ſatis magna, partim hydrocele, partim ſarcocele, ad quam imminuendam ligni decoctum profuturum dixi, tertio thermarum incommodo, tempuſque longum, quo a negotiis domo abeſſe cogeretur, ab earundem vſu illum deterrent. Verum enimuero duo hic habeo, quæ ligni decoctum in hoc corpore quoquo modo mihi ſuſpectum reddunt, nimirum hepatis innata caliditas, & ad ſudorem procliuitas, metuendum enim foret, ne hepar calefactum plures catarrhos excitaret, aliosq́; induceret affectus, neue ſudor ligni decocto prouocatus, poſtea difficulter auferri quiret. Ad hepatis caliditatem augendam quod attinet, ſperarem me eam miſtione ſalſæ parriglæ, & aliarum repreſſurum: accedit & humiditas magna in corpore, quæ nimiam ligni caliditatem obtundere poſſet: ſudoris cauſa vellet adiicere tormentillam, baccas myrti, & galangam.

Reſtat, vt tuum ſalutare conſilium ac accuratum iudicium nobis per otium aperias: maturatione non eſt opus, nam in fine Martii, vel Aprilis principio vellet ſeſe curæ committere. Hæc illi legenda dedi, quapropter vnum, quod eum forſan offenderet, omiſi, nimirum, me ex multis indiciis colligere, illum gulæ plus nimio indulgere, multum cibi ingerit, & ſemper in otio verſatur, continuo ſtudet ac ſcribit. Hac etiam de cauſa ligni decoctum potius, atque aliud quippiam, ſuaſi; hac enim in opinione ſunt homines ligni guaiaci decoctum, quam exquiſitiſſimam victus rationem poſtulare, in thermis nimiam licentiam edendi & bibendi ſibi ſumunt Germani. Obſecro vehementer. . . . . . [*reliquum deeſt.*

Conſilium 16.

D. Wenceslaus Lauinus Morauus, annos 36. natus, laborat magnis & fere perpetuis alui obſtructionibus. hieme præſertim frigidiore, & æſtate calidiore. Aliis enim temporibus aluus ſolito more vtcumq; fluit ſegnior tamen eſt, ſi ad ea quæ vſitate ingerit, reſpiciat. Vrinas habet cõſiſtentia mediocres, ſubrubras, ſæpe citrinas cum hypoſtaſi tenui, modo magis, modo minus vnitas. In hac aliquando conſpiciuntur arenulæ tenuiſſimæ, ſummitati innatantes pulueris inſtar, quæ mox ſubſidunt. Sunt eædem crudæ interdum, & pinguedo eis innatat, ſedimentumq; habent craſſum, piloſum & ſabuloſum. Interdum ob frequentem circa hypochondria & vtrumq; latus compreſſionis ſenſum mœſtus eſt, ac noctu a ventriculi & renum dolore plerumq; circa medium noctis excitatur, vt inde ad auroram vſque vigilet. Quæ licet modo vehementiora ſint, modo mitiora, nunquam tamen ex toto ſic deſinunt, vt non continuis punctionibus, & quaſi torminibus vexetur. Huius debilitatis in virtute expultrice cauſas, quia alii aliter exponunt, meam quoque ſententiam audire, conſiliumq; ſalutare ſuppeditari ſibi a me cupit.

Symptomata prædicta præcipue ex retentione iſta excrementorum prouenire, mini-

me opus eſt oſtendere, cum & ægro idem videatur, & per ſe manifeſtum ſit. Etenim fluente aluo rectius, omnia fere ceſſant. Recte igitur de cauſa huius obſtructionis quęritur. Eam ego non tam in debilitate virtutis expultricis quærendam eſſe arbitror, quam in retentricis robore, ſeu vt verius dicam, in nimia hepatis attractione, vel ſuctione. Dum enim immoderate humorem ex ventriculo & inteſtinis emulget & exſugit, aridiora fiunt excrementa, quam vt propelli apte queant. Accidit hoc & ſanis (ſua quadam ſanitate) multis quibus hepar natura dedit ſiccius, tum præſertim, cum vel labor vel inedia, vel calefactio, vel paucitas potus accedit. Quum ægris etiam aliquando propter ſimiles cauſas idem vſuueniat, a nemine dubitari poteſt. Quod porro iſta alui ſiccitas & fæcum retentio per conſtitutiones frigidiores & calidiores ægrum magis vexat, nõ obſcuram habet cauſam. Etenim frigus denſans corpora, calorem viſcerum plurimum non auget ſolum, verum etiam acuit. Non minus certe vera eſt Hippocratis ſententia, ventres hieme, & vere natura calidiſſimi ſunt, &c. de ventriculo, quam de hepate accepta. Et quamuis ſubiecta magis augeatur, quam qualitas intendatur, non tamen non acrior quoq; redditur concluſus in viſceribus calor, in illis præſertim, quibus a natura acrior obtigit. Æſtas ſubſtantiam non ſæpe auget, in talibus, at qualitatem mirifice exacuit. Vtroque igitur tempore in hepate calor hactenus augetur, vt validius humorem ex inteſtinis ad ſe per venas pertrahat, itaque ipſa cum excrementis quæ continent, exſiccat, vt fæcum expulſio difficilior reddatur. Si coniectando fallor, ideo fallor, quia ægri temperamentum, corporiſq; conſtitutio, mores quoque cum aliis circumſtantiis me prorſus latent. Sane ſi ob aliam cauſam fiat, non facile explicatum videtur, quod in mediis conſtitutionibus anni malum hoc vel non affligit, vel multo leuius vexat.

Quod ſi cauſam inuenimus, perſpicue curandi ratio cognoſcitur. Quippe temperandus eſt hepatis calor, vtendum cibis humidioribus, magisque inteſtina lubricantibus, potusque pluſculum indulgendum. In primis autem cauendum ab aſtringentibus initio cibi. (Vltimo loco non obfuerit forte aliquid huiusmodi ſumpſiſſe) ſed lubricantia aliis præmittenda. Particularia non addo, quia nota ſunt omnibus. Clyſterum quoque vſus non eſt intermittendus. Sed ex interuallis longioribus cũ neceſſitas poſtulat, adhibẽdi. Præſtaret autẽ inſtrumentum habere, quale apud me eſt, & butyrum dulce concretumque per id iniicere. Poteſt autem ſibi quiſq; expeditiſſime & facilime iniicere, vt nullius miniſterio ad id egeat.

Cæterum prodeſt plurimum aliquamdiu vſurpare aut vinum abſinthii aut electuarium, quo aluus leuiter proritetur, officiique ſui admoneatur. Prodeſt, inquam, a quacumque tandem cauſa malum hoc pronatum ſit. Hac de cauſa non grauabor adſcribere vinũ, miſſurus etiam, ſi res poſtulabit, electarii ad eundem vſum deſcriptionem. Ergo paretur vaſculum ſeu lagena, quæ exacte claudi poſſit, quæque contineat duas fere menſuras Baſilienſes. Debet autem lagena hæc collum habere craſſum, vel latum adeo, vt manus inſeri, herbæ commode immitti & rurſus eximi valeant, ſimulque a ſordibus, quoties libet repurgari apte poſſit. In hanc indantur herbæ infra ſcriptæ, eisque ſuperfundantur menſura vini mediocris (tale ſi non inueniatur, aqua diluti vſus erit) menſura, i. Baſilienſis. Claudatur poſt accurate, ne tranſpiret, ac per horas plus minus 20. quieſcant. Cum res poſtulat, bibatur huius vini hauſtus mediocris mane cum ientaculo. Qui ante prandium eſſe non ſolent iuſtum eius hauſtum hauriant in prandio, cum bibendi primum aderit appetitus: quomodo ſcilicet, Germani abſinthite, aut ex aliis herbis præparatis vinis vti conſueuerunt. Qui non abhorret ab amaritudine, quam ei conciliat abſinthium, is vel vno iſto potu contentus eſſe poterit. Quia vero differt homo ab homine, & alii maiore, alii minore indigent ſtimulo, tantum quiſque haurire vno die, vnoque hauſtu ſolum, quantum ad excitandam virtutem expultricem, vt bis deiiciat, ſufficiet. Et poteſt qui vult quotidie citra omnem vllius periculi metum vſurpare, vel alternis dumtaxat diebus, vel etiam ex longioribus interuallis, vt cuique commodum erit. Cum exhauſtum eſt primum hoc (quod fere quarto die, vel hauſtu contingit) eluatur vas diligenter, ac noua imponatur materia. Si libet aliquot diebus interquieſcere, interimque alio quodam remedio vti, licet hoc quoq; facere. Hæc de præſenti caſu ſcribenda in præſentia putaui. Baſileæ die 14. Decem. 83.

Thomas Eraſtus.

℞. abſinthii ſicci, M. i.
rad. mechoac. genuinæ,
turpeti electi an. ℥. iij. ß.
agarici ſubtilit. inciſi ℥. ij.
fol. ſen. orient. mund. ℥. v.
Rad. Iridis recentis ℈. v.
Aniſorum ſem. ℥. iij.

Miſce, contuſis prius omnibus craſſo modo, exceptis abſynth. agar. ſena & aniſis.

Nolui oſtendere, quo pacto ex alui illa obſtructione reliqua ſymptomata præcipue promanent, quia nec obſcurum eſt, nec ad curationem admodum facit. Hoc autem tacere non debeo, præ ſoribus iam eſſe initia, adeoque radices iam aliquas iactas eſſe, (vel ſemina ſparſa) melancholiæ hypochondriacæ. Quare maiore ſtudio cauendum, ne incrementum capiant, & difficilius poſtmodum extirpentur. Occurretur autem hoc & ſimilibus remediis vtrique malo: nec maioribus nunc opus eſſe arbitror.

Conſilium 17.

NObilis matrona ab Emberg, nata annos circiter 42. temperatura nec calida, nec frigida præter modum, ſed ſicciori paulo, atque inæquali, (nam hepar ſiccum, cerebrum frigidum, cor calidum ſatis, ventriculum frigidum ac humidum nacta videtur) de ſequentibus ſymptomatibus conqueſta fuit. Ante menſes prope 14. correpta fuit vehemente tuſſi ex diſtillatione pituitæ, qua cum laboraſſet 20. plus minus dies, & pituitoſa multa expuiſſet; febris eam inuaſit, cum rigore & dolore dextri lateris ſub mamma, ac ſiniſtri inguinis. Duo hi dolores ab eo tempore perdurarunt: (ſemper enim aliquid percepit) & aliquando ſic exaſperantur, vt nec incumbere in latus dextrum poſſit, nec tactu facile ferat, & altero horum dolorum aucto, minuitur alter. Cum vehementius dolet, videtur ſentire murmur aut ſtrepitum, ac ſi ex folle aliquid in ea loca infunderetur: quem ſtrepitum maritus etiam ſe audiſſe ait. Duobus poſt menſibus ſuppreſſi ſunt menſes, venterque intumeſcere cœpit paulo minus, quam cum fert vterum, (cũ appetitus deuictione ac ſymptomate qualia prægnanti alias acciderãt) vt ſe grauidatam opinaretur. Poſt ſeptimanas 15. a menſibus habitis dolor lateris dextri vehementer auctus, ac reſpiratio adeo difficilis reddita eſt, vt ſuffocationem metueret. Expuit primo die cum tuſſi ſanguinem, altero cruenta, & poſtea pituitoſa non multa. Sexto ſanguinem miſit, ac leuius habuit, ventriſq; tumor ex eo tempore decreuit. Poſt menſes quatuor alios menſes parce fluxerunt: & inde ad ſeptimanas 9. iterum ſe oſtenderunt. Ante ſeptim. 3. iuſta copia prodierunt (ſed nigriores & craſſiores ſolito,) denique menſe nondum exacto iterum apparuerunt. Circa 12. Cal. Ianuarii, cum ſiniſtri cubiti venam aperuiſſet, ſecundo inuaſit eam ſuffocationis metus, de qua ſupra dixi: & cruenta pauca cum expuiſſet, rectius habuit. Idem paſſa eſt tertio circa 14. Cal. Februarii, & poſtremo 8. Id. Martii. Sed hac vice nigra, pituitoſa, craſſa, & lenta, expuit, cruenti nihil reiecit. Durat hæc moleſtia per quartam horæ partem, atq; cum ſtrepitu reſpirat, qualem ſpiritus per humorem perrumpens efficit. Noctu ſemper aut poſt ſomnum cum horrore accreſcit. Secundo viſa eſt percepiſſe ſenſum rei alicuius per aſperam arteriam aſcendentis, quam leuiter tuſſiens excreuit. Ex capite defluere hanc materiam iudicat, his perſuaſa coniecturis. Prima eſt, quod caput frequenter dolet, potiſſimum in mutationibus aeris, nonnunquam etiam vertigine tentatur. Altera, quod clare percipit ſanguinem in fauces deſcendere, quem ſolo ſcreatu reiicit abſque tuſſi. Tertia, quod etiam per nares crebro deſtillat. Denique, quod, cum multa deſtillauiſſe animaduertit, thorax totus grauatur: ac nauſeam per totam diem ſequentem ſentit. Extra paroxyſmum hunc non tuſſit, niſi cum aliquis inſtar aliorum catarrhus moleſtat.

Poſt menſium fluxus cœperunt intumeſcere pedes (pleni ſunt varicoſis & tumidis venis) tumore œdematoſo cum imi pedis rubore aliquo & dolore. Ac ſiniſter quidem multis iam annis vlcus habuit: ex qua ichor multus emanat. Quoties vlcus hoc clauditur (quod tũc fere accidit cum ægrotat vehementius) non quieſcit, donec rurſus aperiatur. Pinguia, & calida nocent: ſicca & temperata iuuant. Ante menſes tres faſtidire cœpit omnes fere cibos, & ſitis intolerabilis fere orta eſt. Affligit eam grauius a meridie & noctu, cum oris magna ſiccitate & amaritate. Cum edit aliquid aut bibit, quieſcit. Duabus poſt horis iterum amareſcere & exſiccari os incipit. Aluus facilis eſt, ac quotidie excrementa deponit, interdum naturalia ſæpe liquida, flaua, viridia, aliquando etiam mucoſa. Vrinæ quas vidi, mediocriter erant tinctæ, nullam habentes veram hypoſtaſin. Frequenter ſolent eſſe, vt retulit, tenues & aquoſæ colore & ſubſtantia. Valetudinaria ſemper fuit, ac parce ſemper edit. Anhelitus quoq; difficultas, & ſcilicet poſt aſcenſum ſcalarum, aut ambulationem longiorem, (etiam reſpiratio vetus quoddam & durabile malum eſt) matrem habuit ac ſororem, quæ ex phthiſi mortuæ ſunt. Altera quoq; ſoror ſanguinem ſæpe eiecit: ac ſimilibus ferme ſymptomatibus conflictata obiit.

Iam conſtat nullam eſſe cauſam, cur de retentione mẽſium diſputemus, cum ſua ſponte cœperint profluere. De tumore etiam ventris eiuſq; cauſa fruſtra ſimus ſoliciti, cum longo iam tempore nullus fuerit. Probabile autem eſt a flatulento ſpiritu exſiccatum fuiſſe propter retentos menſes. Is nunc cum feroſa pituita pedes inflat. Argumẽto eſt, quod poſt menſes vacuatos cœpere intumeſcere, & quod ad veſperam tumor maior eſt, mane ſemper fere

minor exiſtit, ac ſæpe ex toto fere abit. Nec mirum eſt non prorſus tolli. Nam a multis annis propter vlcus ſiniſtri pedis deſcendere ſolitus eſt illiusmodi humor ac flatus, & nunc propter copioſiorem potum plus in corpore gignitur. Dolores quoq; dextri lateris & ſiniſtri inguinis a flatu pronaſci ex recitatis conſtat. Nec aliam ob cauſam vterum ac ventrem intumuiſſe, vt iam dixi veriſimile prorſus videtur. Reliquum proinde eſt, vt cauſam faſtidii ac ſitis, deinde ſuffocationis ac ſputi ſanguinis cauſas ſcrutemur. Etenim eſſentia morborum, quæ ſymptomata hæc pariunt, non explorate cognita, remedium recte præſcribi non poterit.

Ergo cum fieri nequeat, vt actio naturalis vlla ſit impedita, inſtrumento eius naturaliter habente: atque inſtrumentum appetitionis cibi & potus principale ſit os ventriculi, minus principale gula & fauces: neceſſarium eſt in his affectum conſiſtere præter naturam. Cæterum frigiditas oris ventriculi contra, quam in partibus aliis omnibus fieri ſolet, appetitionem nec tollit, (niſi prorſus maxima ſit) nec minuit: ſed deprauat potius, ac ſupra naturæ modum auget. Quare vel calidius factum oportet os ventris vel humidius. His enim duabus cauſis læditur hæc actio. At de humiditate cogitare non licet propter inſolitam ſitim: quæ ſiccitatis cauſa eſt affectus. Quocirca calori tribuere nos oportet. Si porro hæc ferme æqualis eſſet, at veſperi ac noctu, cum plus in ſe humoris ac potus continet venter, præcipue affligit ſitis. Deinde cum ſiti ac nauſea iuncta eſt ingrata amaritas, quam certum eſt a flaua bile effici. Monſtrant idem bilioſæ deiectiones. Quamobrem bilis aceruatio tum cibi faſtidium, tum ſitim creat. Hæc vero non a ventriculo, ſed ab hepate gignitur. At non generaret, ſi non eſſet vltra naturæ modum calefactum. Quomodo autem in hoc corpore aliter ſic potuerit calefieri, quam propter obſtructionem venarum meſenterii, opinabile non eſt. Ergo harum venarum obſtructio calorem hepati conciliat. Hepat calefactum ſanguinis partes calidiores in bilem conuertit. Hæc in ventriculum effuſa deiicit appetentiam oriſq; amaritudinem inducit; eadem in caput exhalationes mittens dolorum eiuſdem fit cauſa.

Reſpiratiu ſimiliter lædi cum non poſſit inſtrumentis eius non læſis, impoſſibile eſt nullum in partibus reſpirationi ſeruientibus morbum inhærere. Sed præter anguſtiam nullus eſt excogitabilis in hac nobili Matrona. Quæ cum in faucibus, ore, aſpera arteria non ſit, (niſi cum ſuffocationis periculum illud eſt præſens, quod iam quarto ſenſit) in pulmonibus, eam quæri oportet. At nullam eſſe aliam mihi propter multa perſuaſi, quam flatum craſſum, qui ſemper fere dolorem aliquem ſuſcitat. Hic enim a motu commotus per thoracem diſperſus anguſtiam illam efficit. Signum eſt, quod mox per quietem iterum ſedatur. Quod paroxyſmi etiam tempore propter anguſtiã faucium, aut laryngis propemodum intercludatur ſpiritus, per ſe clarum eſt, atque ex eo perſpicitur quod ſtrepitus in ea parte ſentitur, & leui tuſſicula materia laryngem obturans reiicitur. In eo difficultas maior eſt, vnde ſanguis ille, qui tertio hanc difficilem reſpirationem attulit (poſtremo & quarto cruenti nihil conſpectum fuit, vt ante dixi) promanet. Sanguis in venis & arteriis continetur. Is præter naturam ex eis egreditur, vel quia oſcula vaſorum reſerantur, vel quia per vaſorum tunicas exſudat, vel quia vaſis continuitas ſoluitur. Fit hoc quoties aut diſrumpitur, aut eroditur. In ęgrota noſtra oportet primum modum eſſe. Nam quæ in exſpuitione apparent, diapedeſim non eſſe cauſam firme probant. Hactenus etiam nec rupturã, nec eroſionem eſſe in pulmonibus, illud euidenter declarat, quod extra paroxyſmi tempus non tuſſit. Si adeſſet vlcus, neceſſario saniẽ continenter gigneret: ac proinde ſemper tuſſire cogeretur. Si in capite ruptum aut eroſum vas eſſet, continue ſanguinis aliquid deſtillaret. Ex capite autem potius delabi in fauces & pectus quam ex thorace aut pulmonibus prodire demonſtrant ante dicta: & quod cum horrore hic paroxyſmus & poſt ſomnum inuadit. Interim certum hoc eſt, magnam eſſe naturæ inclinationem ad phthiſim: vndecumque venire putetur.

Quid igitur facere oportet? Principio tollenda eſt meſenterii & hepatis obſtructio moderate calidis, & ſubducenda leuibus pharmacis, iam collecta bilis, quæque interim aceruabitur. Reſeratis venis minus generabitur bilis, minus quoque ab eadem infeſtabitur os ventriculi. Sic & redibit appetitus cibi, & tolletur moleſta illa ſitis. Illa etiam, quæ in pedes deſcendunt, excrementa ſimul educentur. Præſeruabitur quoque a phthiſi, ſi materia, quæ ex capite ſolet in pectus defluere, alio deriuetur. Nam prohibere eius generationem in hac ætate, & iſta naturæ propenſione, vix auſim ſperare. Deriuabitur autem commode (ſi modo fieri poterit) cauterio in brachio facto. Fieri apte poterit corpore prius ex interuallis repurgato, vt paulo ſupra faciendum monui. Certe vt caput ſolum non ſit in culpa, ſed thoracis quoque natiua imbecillitas & conformatio periculum adiuuet (de quo intelligens nullus dubitauerit) vix tamen, aut ſerius ſaltem vlcerabuntur pulmones, ſi ex capite nihil accedat. Roborandum deniq; fuerit caput, cerebrum, thorax, pulmones iis remediis, quæ poſtea deſcribentur Germanice. Cauterium in ſiniſtro inſuper pede imprimere, vel vlcus apertum relinquere oportet: ne humor, qui per eum locum exire ſolet, intra corpus claudatur.

Conſi-

Conſilium 18.

S. D.

POſteriores tuas literas, Obrechte doctiſſime ſimul & chariſſime, reddidit mihi popularis tuus Nagerus puto die 7. Septembris. Tardius enim ſuam ſupellectilem, eamque madidam recepit. Quæris in his cur fœtida in hyſtericis naribus admota iuuent, odorata noceant, & econtra, inferne ſubdita hæc proſint, illa offendant. Ego verũ tibi dicã, vel non eſſe abſolute vera, quæ de hac re dicuntur vulgo a Medicis, vel cauſam me euentus huiuſce neſcire. Quod enim odorata quoque ori ac naribus impoſita, adeoque deuoranda prædita, (quæ cumq; ſcilicet odore acuto prædita ſenſi hactenus, vt præ vehementia moleſta ſint, ac vehemẽtius nos moueant) vt quæ ex aromatibus, muſco, zibetto componuntur, non magis conducant graui odore donatis, certo comperi. Quare cauſam inquirenti hæc viſa eſt maxime veriſimilis & conſentanea, quod videlicet fœtida illa viroſo & inimico nobis odore ſuo valide ſpiritus percellãt, ac veluti ſopitas facultates maleolentia quadam exſtimulent, adque augendum excitent. Quo facto ſi vapor ex vtero aſcendens reprimatur & diſcutiatur, quod fieri oportet viribus redintegratis, cũ natura hoſtem adgreditur, facile fieri, vt paroxyſmus remittat. Quod autem vim diſcutiendi fœtida illa habeant, caloreque & partium tenuitate ſint dotata, extra controuerſiam poſitum eſſe reor. Cur non idem, inquies, leuiter odorata præſtant? Reſpondeo, vt iam dixi, ex vehementer odoratis quæ ſunt, idem efficere. Non calida ſolum & tenuia eſſe oportet, quæ natura a malefico iſto vapore oppreſſam irritent, ſed violenter agere, ac tumultuarie, quod ab iis ſolis poteſt ac debet expectari, quę omnino virtute inſigni ac celeriter agente ornata ſunt. Nam quæ grata nobis ſunt, ea nos confirmant quidem, ſed ad expellendum noxia non ſic incitant, vt quæ confertim, & vi quadam agunt, propterea quod ingrata & inimica nobis ſunt. Muſcus igitur qui, cum bonus eſt, odoris ſuauiſſimi vehementiâ non minus nos permouet, quam quæ odore graui moleſta nobis ſunt, merito iuuat hyſtericos, ſi vel naribus admoueatur vel deglutiatur, cum aromatibus acetoq; miſtus. Verum quia fœtidorum experientiam habemus, & magis obuia ſunt, natura denique minus talibus aſſueuerimus, (opulentiores enim feminæ omnia fere muſci odore imbuta habent, ſicque odoribus talibus aſſueuerunt, vt eis non commoueantur) libentius & confidentius his vtimur.

Subiicimus autem odorata, quia familiari calore partes eas calefacere & laxare cogitamus, turbare nullo pacto aut vehementius mouere tentamus. Hæ igitur familiaribus demulcendæ, ſuperiores non vſitatis ad depulſionem noxiorum impellendæ ſunt. Habes quid de hac re ſentiam.

Ad quæſtionem, quam de diſtinctione læſarum actionum in prioribus moueras, breuiter reſpondi, Lauateroq; noſtro ad te perferendas Tigurũ miſi. Summa eſt, nõ eſſe dignam, de qua multa dicantur, cum non ſit vera diuiſio, (hæc enim eſt generis in ſpecies per differentias contrarias tributio) ſed per accidentia quædam, clarioris doctrinæ gratia, facta diſcluſio. Quippe inter ablatam & diminutam eſt fere maioris & minoris ſolum differentia. Cum vero intenditur actio ſupra naturæ modum, aut aliter, quam per debilitatem, læditur, deprauata appellatur. Si reſtricte vti nomine velis, nõ complecti ſub ea intentam nimis actionem fortaſſe dabo. Sin autem vitioſam quamlibet ſignificet (quo in ſignificatu Gal. ac Medici alii vſurparunt, cum hac de re ſermonem facerent) quæ nec abolita ſit, nec debilitata; non video cur accuſari Gal. debeat ac poſſit. Volunt enim vna voce, tum nimis auctam & intentam, tum aliter vitiatam comprehendere, præſertim cum præclare videret, nõ omnem actionem ſic poſſe intendi, vt vitioſa nominari ac cenſeri poſſet. Quæ autem hactenus augeri poteſt actio, ea cum abſq; morbo intendi eouſq; non poſſit, nec tamen debilior reddita videri poſſit: quo alio eam nomine rectius notauiſſet? Intẽſam nimium vocare debebat inquiat aliquis. Ego vero duabus de cauſis eum noluiſſe ita nuncupare arbitror. Prima iam dicta eſt, quod cum omnis actio poſſit auferri, ac debilitari ac deprauari, non autem omnis poſſet nimium intendi, imo paucæ ſunt, quæ nimium intendantur. Quas enim tum recenſes ex Argenterio, atq; aliis, non recte omnes in hoc ordine ponantur, deprauatas non ſine ratione appellauit, quæ citra debilitationem non recte fierent. Altera eſt, quod deprauata & diminuta ſimul eſſe poſſunt, licet ratione diuerſa id eueniat (hinc rurſus liquet non ſic opponi diſtinctas illas actiones, quin aliquando coincidere poſſint) cũ diminuta & nimis intenſa ſimul cogitare non liceat. Poteſt enim aliquis debiliter videre, & ſimul, quæ videt, rubra, alba, flaua, nigra, perforata videre. Quæ cum ſit clara, patet docẽdi cauſa Gal. actiones læſas ſic diſpeſcuiſſe, & de nominibus fruſtra rixari, qui hac in parte negotium ei faceſſint. Vale, Baſileę die 12. Septembris, 82. Mittam has etiam Tigurum; nondum enim, puto, abiit inde Lauaterus.

Thomas Eraſtus.

Complicaris literis ad animum accidit diuiſio ſymptomatis, cum tribuitur in actionem læſam, in excreta & retenta præter naturam, & corporis affectus. Quid hic? An non excretio & retentio deprauata, ſeu excreta & retenta, ſi accurate loqui oporteat, ſub actione læſa contineantur? Equidem deprauate agit Natura, quoties excernit aut retinet, quæ, quomodo, quando excernere, aut retinere nõ debebat. Attamen docendi cauſa Galeno ſic diſcrimina re placuit. Similis huic diſtractioni ſeu partitioni eſt illa quoque diſſectio. Nec meretur illa maiorem reprehenſionem, quam iſta: cum neutra ſit vera diuiſio ſed quædam dumtaxat per accidentia ſeparatio.

Conſilium 19.

ETſi me omnibus pro viribus conſulere debere præclare intelligo, D. Stephane amicorum maxime & fideliſſime; huic tamen ægroto hac etiam de cauſa libentius conſulo, quod me tibi in eo gratificari ſimul animaduerto.

Si verbo res tota ſit exprimenda, laborat ægrotus hic ſpecie quadam melancholiæ hypochondriacę. Etenim morbi acceſſio, & quæ poſtea ei acciderunt, & hodie etiam apparent, & quod natura alias minime triſtis fuit, ſatis probant, veram melancholiam non eſſe, cum præſertim temperamentum corporis non conſentiat, eſt ergo melancholia flatulenta. Verumtamen adeſt, vna cum vaporibus turbidis, obſcuris, & plane melancholicis, magna capitis repletio: a pituita copiam flatuum indicat ſubita inuaſio partium, tum refrigeratio earundem, ſubita quædam calefactio, capitis perturbatio, leuis vertigo. & quod ſæpe aliquid cadere ſibi æger in capite opinatur. Etenim flatulenti, ſeu vaporoſi, craſſique ſpiritus repentina impulſio imaginationem talem efficit, dum loco vno relicto ſubito ad alium transfertur. Pituitæ multitudinem indicant capitis grauitas, frigus oculorum, lachrymæ, & huius generis alia. In primis autem, quod poſt eiectam e naribus pituitam, leuamentum aliquod malorum, quamquam breue ſentit. Probat idem victus ratio præcedens, præſertim vero quod aliquot ante morbum diebus, imo ſeptimanis, appetitum cibi nullum habuit, & nihilominus edit, atq; tum propter ſitim, tum propter anni tempus liberaliter ſatis bibit. Probabile ſane eſt, multum interea pituitæ natum, & in caput collectum fuiſſe.

Loci affecti ſunt duo. Vnus eſt cerebrum partim a pituita in eo aceruata grauatum, partim a vaporibus melancholicis ſeu flatibus turbidis oppreſſum. Alter eſt hypochondrium ſiniſtrum, lienisq; tota regio. Nam circa hæc loca percipit grauitatem, & doloris aliquid, qui ea in parte ad ſpinam vſque dorſi extenditur. Magna certe hic naſcitur melancholicorum ſpirituum copia, qui oſcitationum, nutuumque frequentium cauſa exiſtunt. Qui hoc modo non vacuantur, ad caput feruntur, ipſumque replent, ac deinde cogitationes melancholicas, metum ac triſtitiam inſolitam pariunt. Pars ad crura & teſtes delati, inſoliti caloris cauſæ fuerunt, & prout vel ſubito in partem aliquam irruperunt, aut celeriter ex aliqua abierunt, calorem aut frigus earum procrearunt. Exhalationes nãque iſtæ, nonnumquam inſtar bullientis, aut feruentis aceti mordere, calefacereque certas partes ſolent, quod in gula frequenter, qui his morbis laborant, percipere conſueuerunt. Interdum non tam ſua aciditate, quam admiſtione multæ bilis partes aliquas inflammant, vel inſtar carbonis vri ſe ægri conquerantur. Hinc etiam pruritus in extrema virga & ſeminis profuſio irritata virtute expultrice, teſtium, & vaſorum ſeminalium oritur. Poſtremo cum iidem in cerebro celeriter de vno loco tranſmittantur ad aluum, præſertim quando in ventriculos ipſius irruũt, ſymptoma efficiunt, quo æger arbitratur aliquid in cerebro corruere, id quod ante quoque monui. Ex his cauſæ intelliguntur accidentium non modo enumeratorum, ſed & aliorum, quæ adferre hic morbus ſecum ſolet multiplicia, & varia, pro varia ægrotum, & circumſtantiarum conſtitutione. Melancholici iſti vapores vix vnquam generantur in hypochondriis, quin alui duritiem inducant, ſubitaneos calores & ſudores vel totius corporis, vel aliquarum partium. Profluit tunc ſudor calidus vel frigidus pro natura excrementorum, quæ in ea parte continentur. Pituitæ cauſa & generatio breuiter eſt indicata. Melancholici autem flatus generationis cauſa eſt, tum hepatis caliditas, tum venarum in meſenterio atque liene obturatio. Hac permanente non facile cedit morbus. Ego calorem hepatis hic non valde immoderatum eſſe puto, nihilque intelligo mali in dextro hypochondrio ab ægroto perceptum fuiſſe. Quocirca ad lienis & meſaraicarum venarum obſtructionem refero cauſam. Videndum ergo nobis erit, vt & cerebrum a pituita purgemus &, ne ſæpe ac multa regenerentur prohibeamus. Deinde vt ſoluamus obſtructiones lienis ac meſenterii. Sic prohibebimus humorum & vaporum collectionem. Quo facto non admodum conquereretur de his malis æger. Proinde reſtat vt nũc eodem modo exponam, quibus putem remediis obtineri & perfici, quæ dicta ſunt, poſſe.

De generali victus ratione nihil dicam, vt quæ Medicis omnibus ſit nota. Arbitror au-

tem

tem ægrotum ſemper habere apud ſe medicum, cuius conſilio pleraque agat. Cauebit ergo a cibis coctu difficilibus, aromaticis, calidis, ſiccis, ſalſis, & flatulentis. Nihil eſt proba coctione melius & vtilius in hoc morbo. Pinguia, & iuſcula exhibita in ea quātitate, vt fluctuent in ventre, morbum augent. Proſunt plurimum poma dulcia vel ſubacida cum zuccharo cocta ab initio menſæ: verumtamen cauere debet, ne multum calida edat, aniſis zuccharo incruſtatis conſpergat. Vuę paſſæ dulces omnis generis, pruna dulcia conueniunt, carnesq; deinde gallinarum, vitulorum elixæ potius, quam aſſæ. Vinum tenue albumque eſto, quamquam longiſſime præſtaret ab eo prorſus abſtinere. Sed ne ceruiſia quidem prodeſt, niſi admodum tenuis, vt Emberenſis. Aquæ deſcriptionem vnam & alteram in fine adiiciam, quibus vti poſſet vtiliter, ſiquidem venter ferret. A paſtu, cum non volet amplius bibere, cohc. 1. pulueris infraſcripti capiat, quo vapor a capite arcebitur.

Et quoniam aluus ægris fere ſemper adſtringitur propter validorum vaporum in ventre collectorum copiam, a quibus excrementa inteſtinorum ſtrenue exſiccantur, danda opera eſt, vt ea ſit lubrica. Hoc autem medicamentis efficiendum, quæ ventriculum nō multum calefaciant, exſiccentq́ᵹ, id quod omnibus purgantibus pharmacis adeſſe ſolet. Miſcenda ergo quæ humectant aut ſaltem exſiccationem prohibent. Ventriculus autem ſemper conſentit cæteris partibus, in hoc malo. Vnde hic æger modo appetit, modo nihil appetit, ac ructus habet, nunc plures, nunc pauciores, Vidi ego, qui in hoc modo (& Deo adiuuante percuraui aliquot, inter quos Ludouicus Iunior a Bemelberg.) attoniti triduum & amplius immotis omnib. membris iacerēt quiq; nō tantū nihil ederēt ſed neq; viderēt neq; audirēt quicquam.

De medicamentis ita cenſeo, ſi videatur virius ferre & mediocris adeſſe copia ſanguinis, venam interiorem ſiniſtri cubiti ſecandam puto. Deinde corpus medicamentis leuibus ſemel iterumq; purgandum exſtimo, vt infuſione fol. ſenæ in vino cum ʒ.i. agarici factæ ad vn. iiij. In hac aniſi & fœniculi ſemina decoquenda erunt cum cæteris propter flatus.

Ad vncias 4. dictæ infuſionis addantur ſirupi de bugloſſa, & pomis dulcibus, vel regis ſabor vnciæ ſingulæ, hoc eſt duæ. Vtatur hoc, ſi nihil impedit, tribus aut quatuor diebus, poſtea inſperget capiti puluere roborantes temperate calid. Vtatur etiam lixiuio, in quo decocta ſint folia maluarum, camomillæ, meliſſæ, betonicæ, an. p. i. roſæ rubræ p. ij. fol. ſenæ p. eoq; caput abluatur; lixiuium non valde caleat, & pili ſint breues. Inter abluendum lixiuium ſemper in caput defluat ſine intermiſſione. Cum ſatis videtur ablutum, mox pannis calidis leuiſſime fricetur, donec exſiccatum ſit. Cauendum hic eſt, ne pānus calidus vnus auferatur, antequam alius adſit, vt refrigerari caput non contingat. Dum lauatur, non debet manibus caput duriter tractari, ſed leniter ſolum fricari. Lienis quoq; regio poſt ſupra dictas purgationes foueatur quinquies aut pluries decocto herbarum pro fomento deſcriptarum, mane ac veſperi. poſt fotum iuſtum inungatur vnguento ad eam rem infra deſcripto, ſæpe abluat dorſum leniter fricando. In aqua bulliant folia ſalicum, vitium, & papaueris capita aliquot. Caueat interim, ne vapor multus ad nares aſcendat, & caput magis repleat alias nimis repletum.

Quod ſi corpus videbitur mediocriter plenum eſſe vicioſis ſuccis, velim loco purgationis prædictæ talem fieri. In vncus iij. dictæ iam infuſionis diſſolui debent ʒ. ij. confect. Alkermes vocatæ, quæ omnino vires hic habet inſignes, & adiectis granis ſex ſcamō. correctæ cum vncia ß. ſirupi roſ. ſol. vel de pomis ſolutiuis (ſi ita paratur) fiat potus. Hoc ſumpto poſſet æger per biduum aut tridium ſumere ſupra ſcriptam potionem dempta vncia i. infuſionis ſenæ, vt eſſent tres ſolum vnciæ, quam parari tunc in ſero lactis malim. Deinde iterum ſumetur potus cum confect. Alkermes. Sic alternatim tertio repetatur hæc confectio, interiecto ſiruporum vſu.

Caput eo modo quo ictum eſt aliquoties abluatur, vt bis in ſeptimana vel ſemel tantum, & foueatur lien vt ſupra. Victus ratio ſi poſt has purgationes ſeruabitur, & æger hoc ſtuduerit, vt aluus ſit lubrica: experietur leuamentum morbi, quale vix auſus fuerit ſperare. Debebit ergo medicamentum vnum atque alterum, vel plura habere etiam familiaria, quibus frequenter vtatur ante cibum, modo hoc, modo illo, ne vllum ei veniat in faſtidium, & in hac re cōſiſtit prope tota curatio. Vereor ſane vt conualeſcat, niſi tale quid egerit vſurparitue, & cur verear, ſcio. Iam multos enim habui ægros tales, vt non prorſus nihil didicerim. Ergo aluum oportet habere lubricam, & in eū finem habere aliquem ſirupum ſuauem præparatum, de quo ſine obſeruatione certi diei tantum ſumat, quantum ad promouēdas duas ſedes ſufficit, aliquando duobus diebus ſumet, totidemq; intermittet, vel vno intermittet, ac quatuor aut tribus ſumet, interdum pluribus intermittet. Summa eſt, frequenter ſumere debet, ſed ita vt certos dies non obſeruet, verum quoties, & quando opus habebit, habebit autem ſemper fere.

Quoniam vero nauſeam parit, tandem vnius vncia ſuauiſſimi pharmaci ſumpto plura

Sirupi ſolnenius. & diuerſa habeat parata, quo viciſſitudine illa faſtidium vitet. poſſunt in ſirupi forma, in pilularum, in puluere, in electuarii forma. Poteſt etiam ſumere, vt ei libet, & cũ quibus libet. Nos hic habemus ſirupum ex floribus prunorum ſiluestrium mirifice accommodatum iſti malo. Habemus item ex roſarum infuſione alium ſimiliter apparatum. Poſſet talis ex ſucco pomorum dulcium parari, qui valde congrueret. *Puluis.* Infraſcripto puluere ſum in quodam nobili a Roſeno feliciſſime vſus, qui per annos plures quam 24. ex hoc morbo frequentiſſime & grauiſſime decubuerat. Eo fere per dimidium annũ eſt vſus, atq; in vino, in offa, in ferçulis, & quacunq; cum re, & quocumq; modo potuit, ſumpſit.

Præterea proderit ei omnino plurimum, ſi duabus aut tribus horis mane ante paſtum ſumat de radicibus Eringii marini çonditis zuccharo, aut ſiquidem non ingrata ei ſit amaritudo de radicibus Helenii ſimiliter conditis, aut de corticibus citri conditis, aut de conſerua radicum, vel potius florum bugloſſi. Hiſce ſi vtetur vt eſt dictum; bene habebit, ſpero, breui. Vale Cirlere chariſſime atque honorande,

Methodus generalis curandi podagram.

Conſilium 20.

PODAGRAM morbum eſſe, qui a decubitu humorum in pedes eorumue articulos oritur, notum confeſſumque eſt cunctis. Quem qui recte, hoc eſt, Methodo vult curare, ad duo reſpicere cogitur, ad partem, vnde humor is adfluit, & ad naturam humoris confluentis. Pedum ſeu partium recipientium nulla eſt hic habenda ratio alia, quam vt poſt humoris diſcuſſionẽ corroboretur, ne tam facile vndecumq; delabentes ſuccos in ſe ſuſcipiant. Non enim vel calor, vel dolor eorum humores illos ad eos attrahit, quoties malum hoc redit: licet aliquid horum primo paroxyſmo aliquando occaſionem attulerit. Deinde certum quoq; eſt, humores morbi huius effectores ſenſum in pedibus non naſci, ac colligi, ſed ex ſuperioribus in eos partibus defluere. Quare videndum eſt, quæ nam ſit pars mandans, ſiue colligens. Hac cognita nil reſtat, quam vt ne porro coaceruet. Non enim partes vllæ a ſe ſuccos ad partes alias protrudunt, niſi ii vel qualitate, vel quantitate moleſtiam partibus creent, quas occupant. Quiſquis igitur vel generationem eorum prohibere, vel ne moleſti partibus fiant, efficere poteſt, is podagræ paroxyſmos recte curare nouit. Cæterum nulla videtur alia ratio hoc ipſum efficiendi, quam ſi (quæ quotidie colliguntur excrementa) ex paruis interuallis, priuſquam ſcilicet ea copia colligantur, quam vel qualitate, vel mole nocere poſſint, ex corpore educantur. Nam perdifficile, & in plurimis impoſſibile eſt, generationem talium ſuccorum inhibere, tum quia plerumque incertum eſt, vbi & propter quam cauſam generentur; tum quia, vel natiuum vel acquiſititium temperamentum, ſi radices iam egerit, mutare non licet. Nolo de hac re plura nunc dicere, nec partium ſingulorum exemptis fuſius exponere. Nam res adeo eſt medicis intelligentibus nota, vt ridiculum ſit, hoc eis velle perſuadere. Imperitis autem fruſtra coneris iſtius euentus cauſas declarare. Taceo iam, quod plerunque incertum eſt ex quibus potiſſimum partibus humores iſti tales profluant. Quo fit vt prope vna hæc nobis relicta ſit ratio et via, tales a pedibus ſuccos auertendi et arcendi, vt vacuatione aliqua eos extra corpus educamus, priuſquam naturæ moleſtiam inferant. Hæc ratio multiplex eſt. Nam & tenui victus ratione, vini abſtinentia, ſudoribus multis, vrinarum prouocatione, ſanguinis larga miſſione, cauteriorum impreſſione, alui denique citatione, aliqui perſanati, aut ſi mauis, præſeruati ſunt.

Quod proba victus ratio maximum hic momentum habeat, in dubium vocari non poteſt, ſi præſertim ab initio morbi adhibeatur, conſtanterq; ad extremum vitæ vſq; ſeruetur. Sed quia hoc omnibus difficile eſt, & de Germanis vix ſperãdum, de hoc remedio plura non dicam, hoc excepto, quod reliqua omnia ſine modiocri victus ratione (nam exacta, vt dixi, optanda magis quam ſperanda eſt) parum prodeſſe poterunt. Profuit nonnullis a vino abſtinuiſſe, ſed illis ſolis profuit, quibus calidi & biliosi humores in pedibus dolores concitauerunt. In Germania, vbi magna ex parte podagra a pituitoſis humoribus excitatur, vini moderati vſus non obeſt, ſed potius confert. Non enim alia de cauſa nocet, quam quod ſanguinem humoreſq; alios liquat ac fluxiles reddit.

Sudoribus quoq; perpetuis diffluere & tabeſcere, non ſemper tutum eſt, cum grauiorum morborum cauſa facile fiant. Huç accedit, quod iis qui facile ſudant, non licet eiſdem vacuare, licet moleſtiam, quam coniunctam fere habent, facile aliqui contemnant.

Euacuatio etiam per vrinas parum tuta eſt, niſi fortaſſe in valde carnoſis & pinguibus, reneſque minime calidos a nátura conſecutis. Noui qui pulueris diuretici vſu, (cum & alia quædam adhibuiſſent) per totum anni ſpatium ab inuaſione præſeruati ſunt, & horum alii

cauteria quoque imprimi ſibi paſſi ſunt, alii etiam aluum ſæpe citarunt, alii præter temperantiam in victu nihil adhibuerunt. Solo diureticorum vſu qui conualuerit, neminem noui. Eadem propemodum ratio eſt cauteriorum. Etenim multos eis vſos ſcio, ſed abſq; purgantium crebra vſurpatione parum adiutos obſeruaui, tametſi contuliſſe inficiari non poſſim.

Leuiter per aluum humores vacuantibus non in Italia ſolum, verum etiam in Germania, omnium ordinũ homines, ſi mediocris accederet victus ratio, vel omnino a paroxyſmis præſeruatos, vel maxime adiutos vidi plurimos. Nec aliud docet ratio. Quia enim redundantium humorum procreatio inhiberi vix, imo vel vix quidem poteſt; & in hac noſtra regione plerumque pituita, præ aliis humoribus cum ſanguine augetur, quæ alia ratione nulla facilius expurgari poteſt quam aluum ſubducentibus, quod nullus non intelligit: nulla quoque melior excogitari poteſt ratio, quam horum frequens vſurpatio. Quod ſi vrinas pariter eadem proliciant, & temperantia vitæ coniũcta ſit, aliaque nonnulla ex prædictis adhibeantur, quin maxime & neceſſario profutura ſint, ſi longiore tempore vſurpentur, ne dubitari quidem poteſt.

De parte mandante dum diſputo, etiam de humorum natura & qualitate, obiter quidem, ſed quantum ſatis tamen videri poſſit, diſſerui. Quippe pituitam ſere cum pauco ſanguine miſtam, in articulos & pedes confluere oſtendi. Quod ferme ſemper flatus multi cum his iungatur, vel in affecto loco ex eiſdem his incluſis generentur, controuerſiam nullam habet.

Patet igitur ex omnibus iam dictis, vſum medicamentorum pituitam euacuantium maxime commodare. Generantur hæc in ventriculo veniſque meſaraicis, & in hepate plurima continetur. Hinc fit vt a leuioribus pharmacis ex his locis facilime extergatur & partim per aluum, partim per vrinas vacuetur, antequam per venas in corpus diſtribuatur. Sed ſæpe fieri hoc oportet, dum & quæ in venas rapta eſt, iam diſſipetur, & natura quam generat, ad alium deponere adſuefiat. Inde alterum quoque perſpicitur, quantum ſcilicet pondus in iſta curatione habeat temperantia in cibo & potu.

Qui guaiaci decocto hic vtuntur, idem habent propoſitum, quod nos diximus ſpectandum. Sed non cogitant hi (de illis loquor, qui eo ſolo ſe curaturos ſperant hunc morbum) per eum modum illa ſolum vacuari quæ in venas penetrant, tenuique illa victus ratione ſoluta, mox iterum eiſdem ſuccis corpus repleri. Eadem ratio eſt illorum, qui thermis confidũt, niſi quod hi non caueant, quin in earum vſu redundantes & excrementitii humores quotidie proueniant. Conducunt quidem hęc remedia, quatenus quod aceruatum eſt aliqua ex parte abſumunt, ſed ne mox iterum colligantur, non prohibet.

Quæret forte hic aliquis, quibus putem pharmacis ad arcendum paroxyſmos huius morbi adeo moleſte, adeoq; facile, ac ſæpe recurrentis, vtendum. Scio perdifficile eſſe purgantibus quantumuis lenibus, continenter vti. Sed res eouſque me docuerunt, apud noſtrates, quibus abſinthitis vini ſapor ſuauis, & iucundus videtur, minus hic eſſe difficultatis. Ita enim ſapor, & odor abſinthii ingratum purgantium ſaporem, & odorem tegit, & obſcurat, vt ſine labore eis vti abſq; nauſea, quantumuis longo tempore poſſint. Cum abſinthio igne ſicco turpatus agaricus, mechoac. radix, folia etiam ſenæ, miſcenda ſunt ea quantitate, quæ cuique conueniat, & vinum abſinthites parandum, eo modo (aut ſimili) quo in 4. parte Antiparacelſ. me parare ſolitum eſſe docui pag. 119. & 214. Minime opus eſt vt hoc in loco vel huius vini, vel aliorum purgantium exempla deſcribam. Hoc inſuper docebo, conducibilius vix aliquid eſſe, quam ſi de principio curationis æger, poſtquam ex interuallis medicamentis mediocribus cõmode purgatus fuerit (ſemel enim ne validiſſimo quidem pharmaco recte purgaueris horum quemq;) per tres aut quatuor ſeptimanas ex guaiaci decocto. Sed hic mediocrem, non exactam illam & tenuem victus rationem requiro: nec vt domi maneãt quum aer calidus eſt & feruens, poſtulo. Poſſunt qui validi ſunt bis, qui imbecilliores mane tantum ſudare: ſed parcius prandere quam cœnare debent. Qui grauius & longiore tempore laborarunt, vtiliter per dies aliquot decocto purgantia miſcẽt, vt ſenam, turpethum, hermodactylos. At his ſudare nõ eſt neceſſe, ſed pro potu eo in prãdio & cœna vti oportet. Facile hic erit cauere, ne nimiæ fiant purgationes. Hæc eſt generalis methodus curandi podagricos, quæ ratione inuenta, vſuque comperta mihi eſt. Qui artis medicæ non eſt ignarus facile particularibus accommodare ſciet. Nec vni huic viæ per purgationes leues eſſe inſiſtendum intelliget: ſed enim huc ex recitatis plures, prout circumſtantiæ poſcent, coniunget. Baſileæ. Calendis Septem. 82.

De miſſione ſanguinis oblitus ſum dicere. Hæc larga faciẽda bis in anno, quando multus cum pituita ſanguis deſcendit. Sæpius paroxyſmũ incipiente liberaliore ſanguinis miſſione (ad vnc. 18. aut 19.) ſtatim inhibui. Sed habenda eſt ratio ætatis, victus, temperationis, temporis ſeu anni, conſtitutionis, vt magis vel minus mittas.

Thomas Eraſtus.

Conſilium 21.

S. D.

POſteriores tuas literas, Obrechte doctiſſime ſimul & chariſſime, reddidit mihi popularis tuus Nagerus puto die 7. Septembris. Tardius enim ſuam ſupellectilem, eamque madidam recepit. Quæris in his cur fœtida io hyſtericis naribus admota iuuent, odorata noceant, & econtra, inferne ſubdita hæc proſint, illa offendant. Ego verũ tibi dicã, vel non eſſe abſolute vera, quæ de hac re dicuntur vulgo a Medicis, vel cauſam me euentus huiuſce neſcire. Quod enim odorata quoque ori ac naribus impoſita, adeoque deroraoda prædita, (quæ cumq; ſcilicet odore acuto prædita ſenſi hactenus, vt præ vehementia moleſta ſint, ac vehemẽtius nos moueant) vt quæ ex aromatibus, muſco, zibetto componuntur, non magis conducant graui odore donatis, certo comperi. Quare cauſam inquirenti hæc viſa eſt maxime veriſimilis & conſentanea, quod videlicet fœtida illa viroſo & inimico nobis odore ſuo valide ſpiritus percellãt, ac veluti ſopitas facultates maleolentia quadam exſtimulent, adque augendum excitent. Quo facto ſi vapor ex vtero aſcendens reprimatur & diſcutiatur, quod fieri oportet viribus redintegratis, cũ natura hoſtem adgreditur, facile fieri, vt paroxyſmus remittat. Quod autem vim diſcutiendi fœtida illa habeant, caloreque & partium tenuitate ſint dotata, extra controuerſiam poſitum eſſe reor. Cur non idem, inquies, leuiter odorata præſtant? Reſpondeo, vt iam dixi, ex vehementer odoratis quæ ſunt, idem efficere. Non calida ſolum & tenuia eſſe oportet, quæ naturã a malefico iſto vapore oppreſſam irritent, ſed violenter agere, ac tumultuarie, quod ab iis ſolis poteſt ac debet expectari, quę omnino virtute inſigni ac celeriter agente ornata ſunt. Nam quæ grata nobis ſunt, ea nos confirmant quidem, ſed ad expellendum noxia non ſic incitant, vt quæ conſertim, & vi quadam agunt, propterea quod ingrata & inimica nobis ſunt. Muſcus igitur qui, cum bonus eſt, odoris ſuauiſſimi vehementiâ non minus nos permouet, quam quæ odore graui moleſta nobis ſunt, merito iuuat hyſtericos, ſi vel naribus admoueatur vel deglutiatur, cum aromatibus acetoq; miſtus. Verum quia fœtidorum experientiam habemus, & magis obuia ſunt, natura deoique minus talibus aſſueuerimus, (opulentiores eoim feminæ omnia fere muſci odore imbuta habent, ſicque odoribus talibus aſſueuerunt, vt eis non commoueantur) libentius & confidentius his vtimur.

Subiicimus autem odorata, quia familiari calore partes eas calefacere & laxare cogitamus, turbare nullo pacto aut vehementius mouere tentamus. Hæ igitur familiaribus demulcendæ, ſuperiores non vſitatis ad depulſionem noxiorum impellendæ ſunt. Habes quid de hac re ſentiam.

Ad quæſtionem, quam de diſtinctione læſarum actionum in prioribus moueras, breuiter reſpondi, Lauateroq; noſtro ad te perferendas Tigurũ miſi. Summa eſt, nõ eſſe dignam, de qua multa dicantur, cum non ſit vera diuiſio, (hæc eoim eſt generis in ſpecies per differentias contrarias tributio) ſed per accidentia quædam, clarioris doctrinæ gratia, facta diſcluſio. Quippe inter ablatam & diminutam eſt fere maioris & minoris ſolum differentia. Cum vero intenditur actio ſupra naturæ modum, aut aliter, quam per debilitatem, læditur, deprauata appellatur. Si reſtricte vti nomine velis, nõ complecti ſub ea intentam nimis actionem fortaſſe dabo. Sin autem vitioſam quamlibet ſignificet (quo in ſignificatu Gal. ac Medici alii vſurparunt, cum hac de re ſermonem facereot) quæ nec abolita ſit, nec debilitata: non video cur accuſari Gal. debeat ac poſſit. Voluit enim vna voce, tum nimis auctam & intentam, tum aliter vitiatam comprehendere, præſertim cum præclare videret, nõ omnem actionem ſic poſſe intendi, vt vitioſa nominari ac cenſeri poſſet. Quæ autem hactenus augeri poteſt actio, ea cum abſq; morbo iotendi eouſq; noo poſſit, nec tamen debilior reddita videri poſſit: quo alio eam nomine rectius notauiſſet? Intẽſam nimium vocare debebat inquiat aliquis. Ego vero duabus de cauſis eum noluiſſe ita nuncupare arbitror. Prima iam dicta eſt, quod cum omnis actio poſſit auferri, ac debilitari ac deprauari, non autem omnis poſſet nimium intendi, imo paucæ ſunt, quæ nimium intendantur. Quas enim tu recenſes ex Argenterio, atq; aliis, non recte omnes in hoc ordine ponantur, deprauatas non ſine ratione appellauit, quæ citra debilitationem non recte fierent. Altera eſt, quod deprauata & diminuta ſimul eſſe poſſunt, licet ratione diuerſa id eueniat (hinc rurſus liquet non ſic opponi diſtinctas illas actiones, quin aliquando coincidere poſſint) cũ diminuta & nimis intenſa ſimul cogitare non liceat. Poteſt enim aliquis debiliter videre, & ſimul, quæ videt, rubra, alba, flaua, nigra, perforata videre. Quæ cũ ſint clara, patet docẽdi cauſa Gal. actiones læſas ſic diſpeſcuiſſe, & de nominibus fruſtra rixari, qui hac in parte negotium ei faceſſint. Vale, Baſileę die 12. Septembris, 82. Mittam has etiam Tigurum; nondum enim, puto, abiit inde Lauaterus.

Thomas Eraſtus.

Complicatis literis ad animum accidit diuiſio ſymptomatis, cum tribuitur in actionem læſam, in excreta, & retenta præter naturam, & corporis affectus. Quid hic? An non excretio,

& reten-

tio deprauata, ſeu excreta & retenta (ſi accurate loqui oporteat) ſub actione læſa continentur? Equidem deprauate agit natura, quoties excernit, aut retinet, quæ, quomodo, quando excernere, aut retinere non debebat. Attamen docendi cauſa Galeno ſic diſcriminare placuit. Similis huic diſtractioni ſeu partitioni eſt illa quoq; diſſectio. Nec meretur illa maiorem reprehenſionem, quam iſta, cum neutra ſit vera diuiſio, ſed quædam dumtaxat per accidentia ſeparatio.

Conſilium 22.

MAgna ſymptomatum farrago apparet in viro doctrina, virtute, & prudentia clariſſimo D. Christophoro Fabio Iugelio: vt enim præterea ſileam, vertigine ſæpe, coryza, & granedine tentatur: dolorē inſuper aliquando in pericranio, et cute faciei, ac muſculis pectoris pungentem percipit, grauitatem item pectoris, & anhelitus anguſtiam ſentit tantam, vt vix gradus aſcendere queat, maxime poſt cohibitam diarrhœā, qua ſæpe afficitur. Ante ſomnum tuſſis plerumque eum vexat, dum cibum & potum iniiciat vna cum lenta pituita. Accidit ei præterea frequens diarrhœa, quæ ſi cohibeatur aut ſponte ſua, aut pharmacis, ſuperuenire ſolet nonnumquam teneſmus acerrimus cum vehementibus torminibus, & ſumma virium proſtratione. Hæc diarrhœa fere poſt vnam, alteramue a prandio horam incipit, ac tanto citatior eſt aluus, quanto capitis fluxiones ſunt maiores. A purgātibus etiam leuibus valde purgatur, & deſtillationes poſtea grauiores & vehementiores ſequuntur. Semper autem prius capitis moleſtias, & defluxiones præſentiſcit. Iudicat æger cauſam eſſe defluxionem e cerebro, quam pepererit immoderatum frigus, quod in adoleſcentia ait ſe eſſe paſſum. Vſus eſt guaiaci decocto, ex quo obſeruauit pituitam craſſiorem, & magis adhæreſcentem factam, & proinde excretu difficiliorem. Vſus eſt thermis Carolinis, & neſcio quib. acidulis: at non magno cum fructu. Ex aliorum conſilio, guaiaci decocto addidit herbas nuper exſiccantes, & extergentes: ſed malum rediit vt prius erat. Cibum in plures partes diſpertitus eſt, & ex hoc viſus eſt rectiſſime habere. Cum enim materia defluens acris viſa fuiſſet, contemperans ratio victus maxime hebetare acrimoniam, & obtundere mordacitatem viſa eſt. Recte hoc dicitur: at cauſæ interim non occurritur. Ieiunium difficulter fert propter ventriculi roſiones, mœrorem, indignationemque. Pars ſiniſtra capitis & faciei magis afficitur. Hæc fere ſunt ſymptomata, quæ virum hunc præſtantiſſimum excruciant, quantum ego intelligere ex relatis potui, quæ ante annos aliquot D. Doct. Volckerus, & nūc D. D. Ioachimus Camerarius ſcripſerūt. Volckerus a me nil aliud petiuit, quā vt ſententiā meā dicerem, an guaiaci decocto vti poſſet. Monui inſuper, & præter id quod a me petebatur, vt æger vteretur fumo caput exſiccante: cuius deſcriptionem ſimul miſi. Addidi hoc etiam ſi de ſucceſſu admonerer, me, qua ratione corporis illa redundans humiditas conſumi poſſet, libenter conſilium meum communicaturum.

Ad rem quod attinet, extra dubium pono omnium malorum cauſam eſſe cerebri humiditatem. Adiuuant hanc non parum ventriculi quoque humiditas. Eſt enim corpus, vt audio, molle, & glabrum magis quā hirſutum, & moles carnis magna ſatis, imo nimia fortaſſe. Certiſſima ſunt ſententiæ meæ argumenta, quod caput ſæpe dolet, quod defluere humores ipſe ſentit, quod poſtea diarrhœa & reliqua ſymptomata ſentiuntur, quod humidæ conſtitutiones ſunt moleſtiores multo, quod tanto eſt diarrhœa copioſior, quanto catarrhi ſunt maiores, quod vertigines, & coryzas, ſeu grauedine tā crebro ſentit, quod pericranium & faciei cutis, & ſæpe etiam muſculi thoracis punguntur, & ſubſequente alui fluxu omnia mitigātur, aut tollūtur, quod ſemper moleſtias alias animaduertit præceſſiſſe ex capite fluxiones. Quod ſi & in faucibus titillatio, & frequens deglutitio adſint, nihil ad perfectam certitudinem deſideraueris. Si ventriculi, aut iecinoris tantum eſſet ſoboles crebra diarrhœa, nec capitis moleſtiæ, nec ſenſus defluxionum, nec pectoris anguſtia adeſſent. Scribitur etiā poſt ſomnum excrementa eſſe compacta & naturalibus ſimilia: quo ſcilicet tempore capitis fluxiones ſunt parciores. Sed non ſolum cerebrum laborare cenſemus. Fieri enim nullo pacto poteſt, quin per tot annorum ſpacium non ſit in conſenſum pertractus ventriculus, vt de iecore ſileam. Itaque facilius deſtillans materia in ventriculo imbecillo putreſcit, ac cibos corrumpit; quanquam punctiones in pectore & facie oſtendant, acrimonia omni non carere materiam ex capite primum prodeuntem. Ex his manifeſte apparet quæ ſint curationis indicationes: Etenim fluxiones alui cum doloribus (quos partim adhæſione ſua & mordacitate materia inteſtinis adhæreſcēs, partim flatuū copia excitatur, tolli numquā poterūt, nec alia ſymptomata cauebuntur, niſi defluxio ex capite vſitata ſiſtatur. Siſti hæc non potuit, frigida & & humida (peccat autem magis humiditas) cerebri intemperie perſeuerante. Quocirca hęc erit primo corrigenda, habita prius totius corporis ratione. Quia vero confirmata tot annis

omnem noxam vſurpatum iri a quolibet, etiam ſi quis eos per totam vitam ferme quotidie ſumeret.

Hæc habui, quæ de viri ornatiſſimi ægritudine nunc mihi occurrerunt. Si certiora cognouero, meliora fortaſſe & conuenientiora reſpondebo. Quantum ex relatis colligere potui, res ita habet vt præſcripſi. Dominus & Deus noſter Ieſus Chriſtus conatibus & conſiliis noſtris clementer benedicat. Amen. 12. Dec. 1585.

Thomas Eraſtus.

Conſilium 23.

NON eſt neceſſe, puto, vt de natura morbi, quo tua dignitas, illuſtris D. Comes, affligitur, multa in medium adferam: eſt enim nil aliud quam podagra: vel (quia pedes, genua, coxendicum alterum, manus, cubitos, humeros, eodem ferme nonnumquam tempore infeſtat) arthritis, aut morbus articularis. Hic porro morbus dolorem habet comitem ab humore in articulos confluente natum, id quod tumor eorum ſatis probat. Sed nec quis, aut qualis humor iſte ſit, obſcurum eſt circumſtantias conſiderati. Quippe confluxit iam pridem miſtus humor, pituita ſcilicet aquoſa, & flaua bilis, ſeu tenuis, & calidus ſanguis; quod corporis temperamentum, animi affectus, ratio victus, excrementorum vacuatio & qualitas, calor, tumor, doloris ſpecies, morbi denique acceſſio, frequens reditus, & longitudo manifeſtiſſime demonſtrant. Sane cerebrum æquo calidius eſt: hoc magis cor: maxime autem hepar calet, vnde neceſſum eſt non ſolum bilem prouenire copioſam, ſed deſtillationes quoque gigni plurimas. Equidem defluxiones pituitæ ex capite numquam ferme ceſſant (aſcendentibus continue multis vaporibus ex ſubiectis membris propter viſcerum caliditatem) quod perpetua expuitio ſatis declarat. Adiuuant pituitæ collectionem ventriculi frigiditas, comeſtio liberalior, & ocium, concoctionem porro non rite peragi, & proinde multos crudos humores coaceruari euidenter mõſtrant. Etenim tumores tarde augẽtur: dolores ſunt mitiores, quam qui a ſolis calidis humoribus ſuſcitantur: ſæpius recurrit malum: durat longiore tempore: non ſic rubet cutis, vt in calidis tumoribus ſolet. Admiſtam eſſe interim partem aliquam calidorum humorum, calor, & color indicant: & fere ſolent craſſorum & pituitoſorum duces eſſe tenues, & calidi humores, qui cum illis permiſti ad articulos contendunt. Hæc, inquam, cum per ſe ſint adeo clara, vt vix dubitari de iis poſſit, pars mittens, ſeu ad articulos propellens, inquirenda fuerit: non enim paulatim in articulis congeritur humor morbi effector, ſed ex aliis partibus in eos confluit, ſicut ante diximus. In his fluxionibus tria præcipue conſideramus, partem mittentem, partem recipientem, & materiam. Natura ſic eſt comparatum, vt corporis noſtri partes, cum vel qualitate vel copia humoris alicuius ſe offendi percipiunt, eum a ſe repellant. Inde fit vt firmiores ſemper ad debiliores protrudant, dum ad aliquam ventum ſit partem, quæ vel propter debilitatem, vel obſtructionem, vel cauſam aliam nec retropellere, nec vlterius detrudere queant. Hinc adeo eſt, quod alii podagræ, alii chiragræ, alii coxendicis morbo, alii renum calculis, alii veſicæ vitiis, alii aliarum partium, vẽtriculi, thoracis, dorſi, &c. malis obnoxii magis ſunt, prout hanc vel illam partem aut natura, aut propter accidens imbecilliorem nacti fuerunt. Ex hoc fundamento illud etiam affirmatum eſt, podagricos viuaces plerumque eſſe. Nam partes reliquas corporis cum membris principalibus ita firmas habẽt, vt ſingulæ a ſe noxios ſuccos remouere & ad pedes vſque demittere valeant. Quis autem ambigit, quin principum partium robur magnum ad conſeruandum vitam momentum habeat? Cæterum pars mittens in tua dignitate videtur caput eſſe: etenim capitis grauitas, ceruicis, ac ſpatularum dolor præcedere, cumque aliquo frigoris ſenſu & horrore defluere materia ſoleat, vt ex te intelligere mihi viſus ſum. Præterea non in magnum ſubito tumorem pars læſa tollitur, nec multæ ſimul partes confeſtim afficiuntur, ſicut euenire ſolet, quoties per venas influit. Nec dubito quin amplitudo tua, ſi modo animum aduertit, (quod ſi nondum factum eſt, deinceps fieri debet) in capite mali initium eſſe ſenſerit. Perpetua quoq; pituitę defluxio in os & fauces oſtendit per dorſum & ſpinã eiuſmodi excrementa frequẽter deſcendere. Adde quod vix alia pars vlla præter cerebrum tantum poſſet humorem colligere, quantum aliquot retractis iam menſibus in membra influxit. Equidem caliditate iocinoris, vt ab igne quodam, vapores ad caput aſſidue tolluntur, quos propter caliditatẽ cerebrum prompte recipit, ac coactos a ſe iterum deturbat. Ergo pars mittens eſt cerebrum robuſtum exiſtens, recipientes ſunt articuli, materia eſt pituita, cui in deſcenſu, dum per muſculos ſub cute fertur, ſanguis tenuis ac bilioſus (quem natura a ſe alio libenter mittit) coniungitur. Quod ad articulos potius, quam ad alias partes deponitur hæc materia, duplex eſt cauſa. Prior quod imbecilliores ſunt articuli cæteris partibus. Altera, quod Natura ſolita eſt mucum quendam ad articulos certi vſus cauſa ablegare. Quocirca mirum non eſt, quod in magna crudorum humo-

rum copia replentur articuli, præſertim autem pedum: vt qui a caloris fonte longius abſint, natura debiliores, & ad recipienda excrementa formati, locoq; ad id idoneo poſiti, adeoque aeris iniuriæ magis expoſiti ſint. His addi poteſt, quod motum etiam adiuuat grauiorum humorum deſcenſum, tunc præcipue, quum ex labore defatigati fuerunt. Penetrationis modus eſt talis. Cum cerebrum vel qualitate, vel quantitate humorum irritatur, conſurgit virtus expultrix, eoſque extra caluariam eiicit ad vicinas capiti partes: hæ rurſus ad vicinas propellunt, idemq; faciunt aliæ, dum ad articulos ſeu debilem, ſuſcipereq; idoneam partem detruſi fuerint. Hanc (quia vlterius ab ea propelli nequeunt, nedum retro pelli valeant) replent, in eaque dolorem, & tumorem efficiunt maiorem aut minorem, prout multi ſunt, vel pauci. Repletur primum cauitas articulorum: ſi enim hæc non repleatur, ſed per carnes tantum, & circumiectas partes materia diſpergatur, nō ex arthritidis genere morbus talis fuerit, ſed affectus alius: (habet enim hic morbus ab affectis articulis nomē, & proprietatē ſuam) motuſque impeditur: deinde implētur & membranæ, tendones, ligamenta, præſertim ex perioſtio enata, parteſq; aliæ. Et quū aliquandiu hic ſæuiit humor (ſæuit autē tāto amplius, quanto eſt calidior) ſenſim exteriora petit pars calidior, & vna ſecum ducit partem aliquam reliqui excrementi: vnde tumor magis apparet, ac mitior vt plurimum efficitur dolor. Quod ſi dolor valde acerbus, & corpus plenum, & cacochymum ſit, plus vel ad affectum locum, vel ad alios articulos attrahitur. Quæ vna eſt ex cauſis, quod, cum ſæpenumero malum in digito pedis incipit, mox ad alias partes alioſq; articulos extenditur. Altera eſt, quod humor ex parte mittente non confertim & ſubito, ſed paulatim extruditur. Quod cum fit, inſenſibilis fere eſt defluxus per muſculorum patentes meatus: cum autem ſemel, & cum impetu ex capite eiicitur in partes ſubcutaneas, non ſine magno horrore, aut rigore, præſertim quum calidi multum liquoris admiſtum eſt, defluit.

Ex prædictis maniſeſte perſpicit tua præſtantia, quæ ſit morbi eſſentia, quæ cauſæ, quæ occaſiones, quis generationis modus, & ratio præſeruationis quæ ſit. Quippe nil aliud eſt præſeruatio, quam ablatio cauſarum dolorem hunc excitantium. Quocirca in duobus præcipue conſiſtit, in roboratione articulorum, ne facile ad ſe aduenientes humores ſuperuacaneos ſuſcipiāt: & collecti humoris vacuatione, priuſquam in articulos illabatur; hoc eſt, antequam mittentem partem grauare incipiat. Optandum certe eſt vt in mittente non colligantur, ſed per alias vias a Natura euacuentur; quod ſi obtineri non poſſit, proximum eſt vt eos extra corpus educamus, priuſquā vel qualitate, vel copia moleſtiam corpori, aut capiti exhibeant Ergo quum generatio illorum ex toto prohiberi nequeat (vix enim, imo ne vix quidem ventriculi, hepatis, & capitis confirmatæ iam & pugnātes intemperies eradicari poterunt) hoc operam dare oportet, vt in capite non coaceruentur ea quātitate, qua cerebrum ad expulſionem ſolicitent. Illud ante omnia procurandum eſt, vt corpus ab humoribus crudis & pituitoſis pariter ac bilioſis qui nunc collecti ſunt, repurgetur: Fruſtra enim his relictis cætera tentaremus. Corpore ab his purificato, alterum hoc agendum eſt, quod dixi, ne iterum ſimiles regenerentur. Demum, quod ſubinde colligitur, pharmacis educendum erit, ne ad caput aſcendens malo nouam occaſionem præbeat.

Quibus porro pharmacis redundantes humores vacuandi ſint, notum eſt, & formulas habet tua præſtantia iam ante a clariſſimis Italiæ Medicis præſcriptas, quas ego velut optimas merito probaui. Corpore exquiſite admodum purgato, ligni guaiaci decoctum tibi cenſerem bibendum (niſi ſubueniret vt ab eo hepatis & viſcerum aliorū caliditas augeatur) multis de cauſis motus. Primum quod vix video, qua ratione alia tanta crudorum humorum copia vacuari poſſit. Deinde quod hoc decoctum mire efficax eſt ad abſtergendos, incidendos, & diſcutiendos humores frigidos vna cum calidis excrementorum inſtar permiſtis. Tertio, quod idem articulos, aliaſq; partes corporis ex frigida defluxione debilitatas egregie roborat. Quarto, quod omnium feliciſſime corporis habitum purgare videtur, dum ex omnibus partibus ſudorem elicit. Quinto, quod alia huius generis ventriculo magis nocere videntur. Poſtremo, quod nullus facile nauſeat ex huius remedii vſu longiore. Quare quum leue pharmacum nihil ſit effecturum, quantouis tempore vſurpetur: efficax autem & inſuaue non facile poſſit longiore tempore ſumi, quod hic fieri oportet, hoc mihi accommodatiſſimum viſum eſt. Nam & efficacitatem habet, & ſuaue eſt, atque ob id continuari eius vſus abſque faſtidio poteſt. Metuendum interim nobis eſt, ne nimiū hepar inflammet, atque exſiccet, ſicut iam monui. Sed huic occurri duobus modis poteſt, vt pro aqua ſimplici decoquatur in aqua ſeu decocto hordei, atque in fine adiiciantur herbæ refrigerantes aliæ. Alter, vt non exhibeatur niſi mane ad proliciendum ſudorem, & quidem ſic exhibeatur, vt ſirupus violarum vel endiuiæ permiſtus bibatur: aut paulo ante huius potum ſorbeatur. Poterit etiam poſt ſudorem conſerua roſarum ſumi, & hepatis regio linimento refrigerāte leniri, quæ certe potenter eius calefactioni reſiſtant. Si cui decoctum videretur rad. chynæ, aut ſalſæ pariliæ magis conue-

nire,

nire; cum eo non pugnauerim. Certum eſt, bas minus exſiccare & calefacere: ſed non minus coctum eſt (quantum quidẽ ego adhuc videre potui) ſtrenue bumores pituitoſos abſumere. Quamobrẽ ſi vtendum bis videretur, longiore tempore vtendũ eis foret. Ergo ſi decoctum ligni mallet tua digitas bibere, poſſet eo modo quo dixi mane tantum ad prolectandum ſudorem bibere, per duos menſes plus minus. Et victus ratio obſeruanda fuerit ea, qua ſemper vteris, tantum de cibi & potus quantitate aliquid detrahendum. Si decocta proxime dicta magis placent, etiam in paſtu eis vti oportebit, tempore non multo breuiore. Et poſt eorum vſum per menſem integrum eadem victus ratio ferme ſeruanda erit, quam ipſe decoctorum vſus requirit. Requirit autem tenuem admodum, ſicut nemo ignorat. Interim ſiue hoc, ſiue illud vſurpetur; ſummo ſtudio elaborandum eſt, vt aluus quotidie excrementa ſua reddat, corpuſque pharmaco leuiore die octauo, aut ſeptimo purgetur.

Corpore toto ſic mundato, alterum illud procurabimus, vt ne tanta inutilium humorum copia generetur. Quod ita conſequemur ſi reſtituendis viribus intenti erimus, & ventriculo roborando ſtudebimus: quæ partim ſumptis, partim admotis perficientur.

Inter ſumpta & admota totam comprehendo victus rationem, ſeu rerum non naturalium obſeruationem. In cibis igitur hoc eſt præcipue obſeruandum, vt non permiſceantur varii in vna menſa: quo vix aliud eſt magis noxium. Gentes certe quæ ſimplici, eoq; peſſimo vtuntur cibo ſolo, ſalubrius degunt nobis, qui longe veſcimur melioribus, aereq; ſalubriore fruimur. Deinde videndum eſt, ne ad ſatietatem venter repleatur: cum repletione in morbo tali nihil ſit nocentius. Ex cibis conueniunt faciles cõcoctu & excrementis vacantes, quos ſpeciatim enumerare actum eſſet agere. Iam enim boc ab aliis egregie præſtitum fuit. Quare generatim dumtaxat quædam recenſebo. Fugiendi cibi aquoſi, frigidi, viſcoſi, concoctu difficiles, putreſcere parati. Præterea quæ ex paſta fiunt alimenta, itemque ſalita, & fumo exſiccata. Plerique piſces noſtrates inutiles ſunt, exceptis fundulis vocatis, Trutis, Thymalis, Percis, Luciis, Salmonibus paruis & magnis: ſi ſic præparentur ex vino & aceto, vt noſtri ſolent. Nocet multus aceti vſus. Nocent quæ facile caput replent, allia, cepæ, naſturtium, ſinapi, raphani, aromatum multitudo, flatulenta & calida, vina generoſa, & ſulphurata, ſicut condire noſtri parum ſalubriter ſolent. Nocent fructus horæi omnes, nec alii crudi proſunt. Conceduntur etiam vua paſſa, pingues caricæ, amygdalæ non inueteratæ, piſtacbia, ſtrobyli. Nocet maxime omnium vinum generoſum liberalius ſumptum, maxime cum ventriculus eſt vacuus, & immoderarata Venus. Hinc veteres podagram Veneris & Bacchi filiam dixerunt. In Venere illud tamen obſeruatione digniſſimum eſt, non minus officere articulis eius abſtinentiam integram, in aſſuetis & coniugatis, atque immodicum vſum. Qui enim aſſueti aut coniugati ætate integra vel monachi ſunt facti, vel alias abſtinuerunt, grauius multo ex articulis laborarunt. Qui boc malo obnoxii non fuerunt, aliis grauiſſimis morbis correpti ſuerunt. Nec eſt neceſſe vt Gal. autoritatem bac de re in 6. lib. de loc. aff. adſcribam, vel experientiam plurimorum adducam. Cogitet vnuſquiſque quantum inter caſtratos & non caſtratos in omni animalium ſpecie ſit diſcrimen. Semen ergo præter conſuetudinem naturæ motum retentum, illud præſertim, quod ex acri & bilioſo aut aliter viriato ſucco natum eſt mirifice totum alterat corpus & virus quoddam humoribus inſerit, atq; amaritudinem homini, actionibuſque eius cunctis inducit. Ex hoc quoque nocturnæ conſequuntur pollutiones, quæ ſic articulos, adeoq; vniuerſi corporis vires debilitant, vt nihil magis. Quemadmodum fluxiones alui ſpontaneæ plerumque vehementius multo affligunt, quam pharmacis excitatæ mediocres purgationes, ita ſerme res in illa vacuatione habẽt. Sicut autem exercitium moderatum mirifice prodeſt, intempeſtiuum, aut modum ſuperans ſumme lædit: ita moderata & licita cum femina conſuetudo in aſſuetis vtiliſſima exiſtit, nimia impenſe nocet. Somnus quoque nimius, præſertim diurnus plus obeſt, quam credi facile poſſit.

Quod ad potum attinet, conſtat in eo tuam Præſtantiam præcipue peccare: id eſt, nimis ſæpe bibere, comparatione ad cibum ingeſtum facta. Ex quo illa ſequuntur incommoda. Primum quidem cibus in vẽtriculo debili & frigido veluti innatans in multo potu nunquam recte conficitur. Deinde, quod facilius crudus adhuc exiſtens ab hepate calido per venas ad fundum eius pertinentes exſugitur. Tertio, quod plures ab eo vapores ad caput tolluntur. Bibendum ergo tuæ Dominationi, cum bona pars cibi ingeſta iam eſt, non mox ab initio paſtus. Vitandus quoque potus, cum in ventre cibus concoqui cœpit: hoc eſt, interpoſito inter prandium & cœnam tempore non eſt bibendũ, niſi cauſa manifeſta potum poſtulet. Quanquam vero ex antiquis aliqui conſtanter & vere aſſeruerint, nonnullos vini abſtinentia ab hoc morbo liberatos ex toto fuiſſe: non auſim ego tamẽ autor tibi huius rei eſſe, propter ventriculi debilitatem, & flatuum multitudinem, qui nunc etiam ſubinde generantur in ventriculo pariter & inteſtinis. Vinum ergo vt bibas conſulo album, tenue, vetus, & maturum, & potentia omnia fugias. Quoniam maxime talia offendunt neruos, præſertim quando vel an-

te cibum, vel ab initio paſtus, vel mox a cibo bibuntur. Nigra quoque (quia craſſiora ſunt, & magis terreſtria facilius obſtruunt, diutius in ventre morantur, plus flatuum generant, excretiones naturales ſegnius promouent, & ad rem nullam vtilia ſunt) a me non laudatur. Si in aliquibus locis rubrum inueniatur, tenue, maturum, ſuaue, ſupradictis vitiis carens: concedi poterit.

De victu ſatis. De exercitio fruſtra nunc dixero. Cum pedes validiores redditi erunt, exercendi fuerint leni deambulatione ante cibum, vt aluus quotidie excrementa ſua deponat. Summe quoq; ſtudendum eſt hilaritati, & tanquam hoſtes nocentiſſimi fugiendæ ſunt animi vehementes perturbationes, ira, triſtitia, & ſimiles aliæ. Fugiendæ curæ, ſolicitudines, intenſiores cogitationes omnes, imprimis freqnentes meditationes.

Veteres Græci mirifice laudarunt ſuas quaſdam antidotos, & noſtra ætate aliqui feliciſſime talibus ſunt vſi. Ex hoc genere ſunt diacorallium antiquorum, Puluis Iouis recentiorum, & hiſce conſimiles alii. Iubēt hos pulueres poſt prædicta remedia per integrum annum vſurpare, vt anno dimidio quotidie drachma deuoretur, deinde dimidia drachma per reliquam anni partem ſumatur, atq; vini parum generoſi ſuperbibatur. Non interim non volunt eoſdem ſæpius purgari, vt dictum eſt. Verum ego tales tuæ præſtantiæ non facile propoſuerim. Nimia enim caliditas hepatis non patitur diuturnum talium vſum. Tot nobis de eo dicta ſint, vt vel non humor colligatur effector huius morbi, vel priuſquam nocere articulis poſſit, educatur. Quod ſi vel decocto guaiaci, vel rad. Chynæ, vel ſalſæ pariliæ vti quotannis libeat, non eſt dubium, quin plurimum profuturum ſit. Diuretica quoq; etſi egregie dinettere, & ab articulis abducere nocentes eis humores poſſunt, conſulere non audeo. Metuo enim ne plus renibus, qui ex frequentium calculorum generatione plus ſatis debilitati ſunt, noceant, qnam articulis commodent. De articulorum roboratione ſupereſt, vt dicamus aliquid. Sed hoc non ante tentandum eſt quam humor, qui influxit in eos, totus abſumtus cognoſcatur. Quippe ſi quid relictum ſit, facile in tophum ſiue porum induratur, & immedicabilem reddit affectum. Ergo humoribus diſſipatis, pedes in decocto ericæ, fructu pinaſtri, fol. quercus, geranii, gallarum, verbenæ, betonicæ ſunt abluendi, & mox oleo linendi, in quo acacia, hypocyſtis, malicorium, gallæ, glandes & ſimilia incocta ſint cum ſale. Eſto autem oleum vel roſaceum omphacinum, vel myrtinum, vel cytoniorum. Poſſunt ex eiſdē aloës cum hypocyſtide, acacia, lycio, glaucio, (Arabes atque officinæ Mentham vocant) ſanguine draconis, pulueribus aliis abſtringentibus, linimenta parari, qualia maxime placebunt. Efficaciſſime exſiccat lapis ſabuli, qui hic paſſim reperitur, ſi cum oleo myrtino, & geranii radicibus coctis puluis eius miſceatur, & cataplaſmatis vice imponatur. Sic deſiccat, vt cutem admodum rugoſam efficiat. Quocirca vtendū eo non eſt, priuſquam conſtet ſuccum in articulis excrementitium nullum amplius contineri, qui reſiccatus in tophum indurari queat. Quanquam periculum caueri poſſit, ſi cum exſiccantibus diſcutientia permiſceātur: in quo caſu ceratum ex Bryonia ab Aetio deſcriptum valde contulerit.

Conferre inſuper plurimum ſolent thermæ, quæcunque ſalem, nitrum, & alumen habent. Sed quia calor hepatis ab inſeſſione reuocat, ac potus earum non valde vſitatus eſt, nolo de eis plura ſcribere.

De dolorem ſedantibus, quum paroxyſmus infeſtat, ideo nihil dico, quia vix vnquam idem pharmacum, eidem homini bis profuiſſe animaduerſum eſt. In cauſa eſt, quia pro temporum anni, ætatis, exercitii, cibi, potus, conſtitutionis cœli, affectionum animi, & dierum, circumſtantiarum alii, atq; alii ſucci in nobis generantur. Quamobrem hæc res committenda eſt præſenti, & oculis omnia inſpicienti medico. Faxit Deus opt. max. vt quæ conſuluimus efficacia ſint, vt nomen eius ſanctum ex eo collaudetur, & Reipublicæ atque eccleſiæ commodum inde adueniat. Amen. Die 30. Mart. anno 1573.

Tuæ dignitatis obſeruantiſſ.
Thomas Eraſtus

Doctori Philippo Scherbio Medico.

Conſilium 24.

IGNOSCES mihi ſpero, ſi in morbo tuo, re obſcura & iudicatu difficili, non tibi ſatisfacio. Equidem ſimilem ſi aliquando caſum vidiſſem, aut legiſſem, maiore confidentia pronuntiarem. Nunc quid agam aliud, quam vt ex ipſis ſymptomatis morbum eiusq; cauſam peruestigare coner? De duobus nunc potiſſimum conquereris, de cordis veluti compreſſione, qua in motu ſuo impediatur. Putas enim debilius iuſto moueri ac ſi ligatum foret. Alterum de

quo que-

quo quereris, & fere præcipuum eſt difficilis reſpiratio. Ad prius quod attinet, exploraui ego nuper (& prius etiam quando aſſeuerabas cum concuſſione & veluti tremore cor moueri) arteriarum motum, ſed nihil eorum, quæ tu percipere te affirmabas, deprehēdere potui. Mirum autem eſt, motum cordis deprauatum in pulſibus non exprimi, cum pro eius motu moueantur arteriæ hoc vel illo motu, vt quæ per ſe non pulſent, ſed nec manifeſtam, ſeu notabilem imbecillitatem animaduertere potui: licet proxime dum tangerem, celerius ſolito pulſarent. Interim nihil dubito, quin pulſus & minores & debiliores, & maxime inæquales tu in te ipſo aliquando ſentias, qui tibi ſemper ades, & ſubinde explorare eos potes. Hoc tantum volo, cordis illud malum non eſſe continuum, ſeu perpetuum, ſed incrementa quædam & decrementa, adeoq; intermiſſiones habere. Quæ faciunt vt ſuſpicer, cauſam πάθους quod in corde ſentis, quocumque nomine appellare velimus, non eſſe aquam in pericardio contentam: magis enim continuum eſſet. Taceo quod perdifficile eſt, ex ſignis hoc cognoſcere, & a flatulento, craſſoq; ſpiritu diſtinguere. Sed quicquid hic ſit, certum hoc maneat, cordis tremorem palpitationem, adde etiam debilitatem non habere neceſſario adiunctam reſpirandi difficultatem. Frequenter admodum nulla eſt apud ægros hac de re querimonia. Et quis neſcit, tametſi propter cor animalia reſpirent, ipſum tamen non eſſe organum quo anima reſpirationem efficit? Non igitur eo laborante neceſſe eſt reſpirationem lædi, niſi cerebrum ſimul patiatur, quale hic nihil eſt. Cauſa ergo in inſtrumentis huius functionis quæri debet. Sed in neruis & thorace nihil eſt vitii. ſicut nec in faucibus & collo. In pulmonibus igitur eſt. At non puto te de tuberculo ſeu tumore, vel comprimendo, vel replendo anguſtiam inuehente cogitare. Nec catarrhi ſeu deſtillationis notæ vel præceſſerunt, vel nunc apparent. Quid igitur dicendum? Ramos arteriæ venoſæ, aut aſperæ plenos eſſe cenſeo vel aquæ, vel craſſi flatus. At aqua ſi tanta in eis contineretur, quomodo non tuſſim, quæ nulla adeſt, cieret? Deinde ſi pericardium maxime, aqua diſtentum cordis motum tardaret, aut quouis modo præpediret (videtur autem tardiorem potius quam celeriorem motum efficere aqua) non tamen reſpirationi impedimentum illa adferret. Probabile autem eſt ab vna, eademq; cauſa tum cordis affectum, tum difficilem reſpirationem effici. Ex quo quid ſequatur, aut quid ſuſpicer, præclare vides. De curatione iam ante dictis nihil addo, niſi quod radix mechoaca egregie aquas vacuat. Ea ſi in vino abſinthite vſurpetur, etiam plus proderit quatenus ab eodem remedio etiam obſtructiones viſcerum recludi ſolent. 20. Decemb. 1582.

Conſilium 25.

ILluſtris ac generoſe D. Baro, vidi excretiones illas tuas per vrinas factas, quas alii ob alias cauſas, quas nō eſt opus percenſere, euenire crediderūt: audiui etiam ex tua Dignitate quæ me ſcire oportuit, ſi certam ſententiam ferre deberem. Omnibus diligenter conſideratis, nihil reperi, quod non iam ante in pluribus maribus, ac feminis obſeruauerim. Eſt enim hæc excretio nihil aliud quam humoris pituitoſi, & crudi vacuatio, poſtquam naturæ ſua vel qualitate vel quantitate moleſtus eſt redditus. Qui muliebre profluuium, ſeu fluorem album notauerunt, ſimile ſymptoma viderunt, hoc excepto, quod non cum vrinis, ſed ſeorſum in ipſis frequenter promanat mulieribus corruptus iſte humor. Sed, ſicut dixi, non minus his quam viris, cum vrina aliquid per veſicam expellitur. Contingit aliis nonnullis incaute viuentibus, ocioſeque degentibus (præſertim podagra, & chiragra vehementius laborantibus) vt ad artus deferatur hic humor, & in articulis in materiam gypſo & calci ſimilem degeneret. Maior eius aut minor copia colligitur, pro diuerſitate victus, & generantis cauſæ robore. Habet autem res hoc modo. Cum hepar vel natiuo, vel acquiſititio temperamento redditum eſt frigidius, & homo interim poſt labores, & negotia in quiete agit, ac nihilominus liberaliter viuit, non poteſt tota ingeſtorum quantitas in ſanguinem verti, ſed relinquitur pars aliqua imperfecta, quæ cum ſanguine per venas in corpus diſtribuitur. Hæc tantiſper in venis, & in ipſo etiam corporis habitu (ſolet enim ex venis in carnes pars aliqua tenuior effundi) permanet, dum incipiat corrumpi, aut naturæ quouis modo grauis ac moleſta effici. Tunc enim virtus expultrix incitata per aluum in diarrhœis per ſudores, per vterum, per vrinas, per cutis ſcabiem, & tumores, per articulos in podagricis, cum ſanguine per nares aut hæmorrhoides vacuare tentat, vt a partibus principibus non ſubmoueat, & a maiore periculo hominem præſeruet. Cur in vno, per vnam, in aliis per alias partes Natura inutilem iſtum humorem extra corpus eiiciat, vel a viſceribus ad ignobiliora membra transferat, notum eſt medicis omnibus. Quod per ſudorem ſæpe vacuetur, ex eo poterit tua dignitas intelligere, quod omnis hæc craſſa fex in tuis vrinis continetur, facile cum vrina per pannos quoslibet penetrat.

Iam vero quod fæculentus iſte humor, quem Natura certis interuallis quibuſdam per vrinam expurgare cœpit, non ſit aliud, quam crudus humor, quodque nullo modo pus ſit,

nulla indiget probatione apud illos, qui inter hunc, & inter pus diſtinguere didicerunt. Nullam enim veri puris conditionem habet, nullus in eo lentor eſt, nullus fœtor, nulla puris qualitas. Deinde tanta huius copia tempore excretionis redditur, vt ſi maxima viſcera in pus reſoluta cogitemus, non ei ſufficiant. Taceo quod multis aliquando menſibus nihil eius apparet. Quæ ideo hic atti.gi, vt omnes intelligant, nullum hic exulcerationis dextri renis adeſſe ſignum. Quoniam totus ren ſin in pus tabefactus diſſolueretur, tantum generare non poſſet, quantum in vna nocte prodit. Qui renem exulceratum vidit, & quantulum puris quotidie effluere cum vrina ſoleat, animaduertit, plus aliquid nõ requirat. Nec argumenti aliquid habet illud, quod initio huius excretionis ren dexter dolet (nunc ſiniſter etiam grauari percipitur, quo argumento intelligimus per hunc quoq; materiam iſtam nunc tranſire:) quippe materia conſertim in renẽ influens, principio leuem in eo obſtructionem efficit, eumque replendo diſtendit, & grauat: ſed mox via patefacta rurſus remitit. Itaque non eſt, quod tua dignitas, illuſtris D. Baro, ex hoc defluxu aliquid metuat mali, dum Natura (quod huc vſq; fecit) inutilem, & crudum iſtum ſuccum ex corpore educit. Millies plus mali expectandum foret, ſi intra corpus remaneret. Quantiſper Natura ſuis eum temporibus, & interuallis expellet, vnum ferme hoc metuere poſſumus, vt videlicet acrimoniam nactus vrinæ vias exaſperet, doloremq; ſeu vrinæ ardorem, & demum veſicæ obraſionem excitet. Vtrumque non ſemel tantum vidi, & Epiſcopus Wormatienſis ex nobili familia Betendorff ſuperiore anno defunctus, permultos annos citra omnem moleſtiam, magno ſuæ valetudinis commodo hãc excretionem perpeſſus eſt: quod in aliis quoque vidi. Alii quoties in victu peccarunt, neque contra ardorem biberunt aliquid, facile ſenſerunt, quantum proba victus ratio in hoc malo iuuet. Sed præſtat rem omnem methodo clarius exponere.

Vrina per id temporis, quo tua dignitas ab hac excretione ſeu paroxyſmo libera eſt, ſemper crudiuſ-cula apparet. In ipſo autem paroxyſmi tempore magna admodum crudi humoris copia reiicitur. Certum eſt igitur concoctionem non fieri perfectam in hepate, in quo eiuſcemodi humor generatur, & coquitur. Et cũ coctio fiat diminuta, non deprauata; neceſſe efficitur cauſam huius euẽtus eſſe caloris iocinoris aut venarum eius debilitatem. Nec multum refert vitium affirmatur, ſi modo meminerimus hanc intemperiem non eſſe admodum grauem. Nec valde quoque cum eo pugnauero, qui maiorem in oblatis ſiue ingeſtis culpam hærere, quam in ipſo hepatis corpore contendat. Quippe certum eſt, varietatem & copiam diuerſorum ciborum in vna menſa, & potuum non parum augere malum poſſe. Contrahi porro facile hoc potuit vitium in eo qui tot annos in militia contriuit, vbi victus ratio ſeruari nulla poteſt, cum naturalis aliqua adeſt habilitas. Equidem huius aliquid adeſſe per Naturã ex eo cõiicio, quod in adoleſcẽtia quoq; in cute multa hepatis non feliciſſime concoquẽtis indicia apparuiſſe audio. Ergo cũ huius fecis in corpore tã tantũ eſt aceruatũ, vt Natura ferre amplius nequeat, cum ſero per renes & veſicam vacuare incipit, ad eum modum, quo in aliis per diarrhœas, aliaſque fluxiones exonerare ſe ſolet. Quod porro hanc viam ſeruat Natura, & non per aluum potius vacuat, in cauſa eſſe videtur quod generoſus D. Baro olim in renę dextro nephritica ſymptomata paſſus eſt. Ab his facile potuit ſic debilitari, vt per hunc, tamquam debiliorem locum cœperit ſeſe ab infeſtante humore, liberare. Quæ vna cum non ſit inconueniens, non videtur ab ea reuocanda. Cur ſub initium huius excretionis ren grauetur, ex ante dictis perſpicue patet. Nec mirari debet vel etiam poteſt in artis noſtræ operibus verſatus, quod, etiam ex illis humoribus, qui extra venas iam in carnes effuſi erant, aliqui in venas rurſus ſubeãt, & rurſus eã regionẽ, per quã expellere Natura redundãtes & inutiles ſuccos cœpit, moueantur: hoc enim tam eſt frequens, vt pro Medico haberi non poſſit, qui id neſcit. His declaratis perfacile eſt viſu, quid nobis agendum indicetur. Nam ſi ab hepatis intemperie frigidiuſcula omnis hic humor ſupetuacaneus ortum habet, illa corrigenda fuerit. Verum quia hoc factu in iuuenibus, nedum in ſenibus, perdifficile eſt, duo reſtant ad quæ reſpicere perpetuo cogimur. Alterum vt Natura quantum eius fieri poteſt, iuuetur; & ſuo tempore regeneratos iſtos ſuccos vacuare pergat. Alterum, vt detur opera, ne acrimoniam acquirant, itaq; vias per quas expelluntur, lædant. Totam igitur victus rationem calefacere, & humectare oportet, ita inquam, vt non inflammet, crudoſq; ſuccos, acres, ſalſoſque reddat. A ſiccãtibus ergo cibis cauendum erit. Fugiendus ob id aromatum creber vſus, ſalis quoq; & ſalſorum ſeu ſalſamentorum fere omnium. Nec generoſa valde vina conducũt, præterquam quod initio menſæ alicuius vini hauſtus commodare plurimum poterit. Copia quoque ciborum, præſertim plurium & diuerſorum in vna menſa noxia eſt. Quanto parcior eſt & ſimplicior cibus, qui aſſumitur, tanto rectius & facilius coquitur, minuſq; huius crudi excremẽti generat. Vt paucis omnia comprehendam, vitanda hæc imprimis ſunt; aromata, ſalſa, allia, cepæ, fumo indurati piſces & carnes, raphanus, caſeus, crudi fructus. Vtendum cibis probe coctis, & carnibus iuniorum animalium, vinis maturis, auſteritateq; carentibus. Nec inter

cænam,

cænam & prandium minus ſeptem horis interponere, nec vnquam ventriculum adeo replere oportet, vt ſine appetentia plus edendi cæna finiatur. Maxime autem proderit, initio prandii ſæpe duo, aut tria cochlearia ſorbere ſirupi infra deſcripti. Mirifice namque hepatis temperamentum, atq; robur confirmat. Quod ſi autem contingeret in excretione dolorem moueri, duabus ante prandium horis, ante cænam vna tantum (vel ſub ingreſſum lecti) ſumere oportebit hauſtum decocti ſimiliter itidem infra notati, vel duas, aut tres tabellas confectionis, quæ cum iam dictis deſcribetur. Omnium horum Natura alimentum potius eſt, quam medicamentum. Vix enim pharmacis indiget affectus, quantiſper in humore inutili expellendo Natura officium fecerit. Si hæc in te ceſſaret, aut vino aliquo medicato, aut alio remedio excitanda foret, de quibus nunc agere non eſt opus. Certum porro eſt, vſum thermarum non poſſe niſi maxime prodeſſe, & multorum pharmacorum loco eſſe. Sed de hac re copioſe ſcribam, cum quales Fabariæ ſint expiſcatus fuero. Datum Baſileæ 16. Martii Anno 1581.

Conſilium 26.

IN ſcripto tuo refers, te anno 47. bombardæ globo iam defatigato in latere dextro ſub coſtis nothis verſus dorſum contuſionem perpeſſum, & veſperi ſanguinem minxiſſe. Poſt illud tempus ſæpe, præſertim vero poſt motum aut calorem ſanguinis miſtum cum ſtranguria rediiſſe, & ſubſidentem in vrina ſanguinem, nigrum, craſſum, fæculentum apparuiſſe. Hunc dolorem lateris cum ſtranguria, & veſicæ dolore per interualla repetiuiſſe, ac tandem anno 66. lapides duos (quorum alter mihi miſſus eſt) excreuiſſe. Vxore deinde ducta dolorem rediiſſe, atque inter meiendum viſum aliquid in vrinæ meatum illabi, quod nō ſine dolore vrinam ſupprimeret. Conſuluiſſe te deinde ſectorem calculorum, eumq; calculum adeſſe, negauiſſe, pulueremque vtendum reliquiſſe. Alium non multo poſt interrogatum, paruum calculum præſentem indicaſſe, & pharmacum ex ſucco limonum concinnato (in quo alterum ex ſupra dictis calculis diſſoluerit extra veſicam) per ſyringam aliquoties fruſtra iniieciſſe. Huic tertium Paracelſi aſſeclam ſucceſſiſſe, & cathetere non magis cæteris calculum deprehendiſſe, ſed medicamentis ex Antimonio, aliiſque venenatis pharmacis ita te excarnificaſſe, vt in membris nunc etiam virulentam ſentias, & noxiam eorum poteſtatem. Tandem vero vxore liberiſque relictis, iſtinc profugiſſe. In præſentia ſic rem habere ſcribis. Motum alicuius rei in veſica de vno latere ad aliud ſentire te ais, ac ſi lapis, ſeu calculus eſſet, præſertim interdiu quum vel ſedere vel ſurgere tentas. Tunc enim ita dolere te, vt citra dolorem progredi nequeas. Et hæc te in collo veſicæ ſolummodo percipere. Noctu autem quum in dextrum latus recumbas, atq; ſi vrinam reddas, ſic ſatis te recte habere. At cum te vertis, non ſine dolore id fieri, & ante veſicæ collum ſimul in alterum latus aliquid cadere. Vrinam te interdiu nonnunquam reddere guttatim magno cum labore, aliquando eam prorſus ſupprimi tantiſper dum flatus (qui ſemper fere inter meiendum commouentur) aut excrementa prodierint: tunc enim copioſe ſatis profluere, cum dolore tamen. Veſica ferme exonerata creſcere dolores, & in virga & perinæo pruritum ſuſcitari tantum, vt eas partes ſcabere, ſeu fricare cogaris. Vrina ſubturbida & craſſa eſt, ac rubet, ac ſi cereuiſiæ fæces permiſtæ eſſent: vt dum recens eſt, apparent in ea ramenta quædam alia, quaſi ab inteſtinis, aut cute abraſa eſſent, interdum rubra, ſeu cruenta. Poſtquam ſubſederint, in fundo cernitur alba, lenta, & viſcoſa materia. His iſto modo habētibus, quæris, quidnam mali te habere putem? id eſt, vtrum calculus ſit. Deinde petis, qua ratione depellendum eum morbum arbitrer. Ad primam reponſio expedita eſt & facilis, minimeq; dubia. Quippe calculum adeſſe plane videtur dubio carere, cūm ſigna calculi adſint euidentia; ac prope omnia. Primum enim longo tempore (videlicet ab anno 47.) hucuſq; effluxit vrina turbida, craſſa, in qua humor ſanguinolentus, viſcoſus, craſſus ſubſidere, & vrinæ difficultatem concitare ſolitus fuit. Quis dubitet ex humore tali in corpore robuſto calculum tandem generari? Equidem humor talis in vrina longo tempore apparens, ſi præſertim difficulter lotium reddatur, præindicare omnino calculum futurum ſolet. Galenus certe ex Hippocrate monuit, ex pure calculum aliquando concreſcere. Taceo iā peregrinationes, labores, vigilias, prauam victus rationem, quæ dolor colicus, & tandem paralyſis membrorum conſecuta ſunt. Accedit illud etiam, quod duo lapides excreti iam fuerunt, in veſica nati. Etenim hunc, quem ego habeo, in veſica genitum tam eſt certum, quam quod certiſſimum. Si ergo eædem poſtea cauſæ manſerunt, quæ prius fuerunt, quomodo non iterum concreuiſſe putabimus? At permanſiſſe poſtea, & nunc etiam permanere ſcribitur. Iam quod ad ſigna præſentem calculum indicantia, nullum fere deeſt. Adeſt ſenſus pōderis: percipitur motus eius de latere vno in alterum: animaduertitur illapſus in collum veſicæ: conſequuntur obſtructio eiuſdem, & vrinæ ſtillicidium, adeoq; ſuppreſſio:

redditur lotium cum dolore, & quum redditur, ſæpe flatus, aut alui excremẽta ſimul exeunt. Veſica prope vacuata, augetur dolor propter attritionem lapidis: pruritus in perinæo & virga excitatur, vt ſcalpere cogatur, exeunt ramenta, ſeu furfures cum vrina. Quid ergo deeſt? Non dubito quin præter voluntatem quoq; ſæpe, præſertim quum mingere deſideras, coles erigatur, & infletur. Quamquam nonnullis contra accidit, vt præter ſolitum langueat. Subinde quoq; cupiditatem mingendi adeſſe tibi æque probabile eſt: licet hoc non ita multum referat. Summa eſt: vix puto nos vllius morbi tam certa poſſe habere ſigna, atque huius habemus. At non effluit per ſtillas vrina, inquis, vt humectet me inſcio pannos. Hoc accidens in quibuſdam eſt non in omnibus. Accidit enim illis, quibus calculus in veſicæ collum illapſus idem illud non exacte claudit, ſed rimulam aliquam relinquit, per quam exſtillare vrina poſſit. In plurimis non eſt præſertim ſi tunicis veſicæ adhæreſcat, quod in tuo caſu contingit. Dices nullas arenulas, nullaſue lapidis particulas abſceſſiſſe. Hoc quoque accidens eſt non generale, ſed ſpeciale. Quippe quibus lapis in veſica coalitus rudimentum in renibus accepit, aut quibus ex materia friabili concreuit, arenulæ cum vrina exire ſolent. At quibus ex lentis humoribus in veſica ab initio coactus fuit, nihil tale vſuuenit. His, quod tibi quoque contingit, euenire illud potius ſolet, vt vrinas craſſas, ſubturbidas, humore viſcoſo, craſſo, ſubcinereo colore plenas, mingant. Quare quod tertio loco adducis ad probandum calculum non eſſe, calculum eſſe maxime probat. Non eſt opus puto oſtendere tumorem non eſſe frigidum, & durum, aut non eſſe carunculam in veſica natam. Quiſquis enim rem examinat, præcedentia conſiderat, quæ ſymptomata tumorem, aut carunculam conſequi poſſint cogitat, nunquam in animũ aliquid horũ inducet, ſi, inquã, modo dicta apud ſe perpendat. Cur ergo nõ eodem ſemper modo afficit, (inquies fortaſſe) ſi calculus eſt? Reſpondeo, quia calculus eſt: Huius enim proprium eſt moueri, & proinde non eodem ſemper modo lædere. Sed grauior manet difficultas, cur cathetere comprehendi non potuerit? Reſpondeo ideo hoc accidiſſe, quia qui indagarunt non ſatis induſtrii, nimiſq; rudes fuerunt. Quamquam excuſare eos poſſit, quod dextro lateri veſicæ omnino veluti adnatus videtur. Intelligitur hoc ex eo clariſſime, quia cum in dextro latere iaces, liberius multo, & ſine dolore mingis, acquieſcis. Si in cauitate libere volutaretur, eadem eſſet plerumq; vtriuſq; lateris conditio. Ergo non tantum ſigna adſunt, & certa, & euidentia geniti calculi, ſed etiam adſunt quæ futurum potuerunt præſignificare, quæ augmentum eius nunc indicant. Credo ad primam petitionem me aperte & vere reſpondiſſe. Quare ad alteram tranſire tempus eſt. Si lapis eſt, inquis, ſcite velim quomodo tolli poſſit, (tollendum eſſe etiam idiotæ omnes intelligunt) medicamentis, an chirurgia. Illud optandum magis foret: hoc certius eſt remedium. Sed vt pharmaca veſicæ calculos cõminuentia abſque periculo vſurpantur, ita ſectio periculo non caret, niſi ab artifice perito, & exercitato adminiſtretur. Valde autem vereor, vt pharmacis opere pretium ſimus facturi: quod ſic intelligetur. Calculus contrario modo ſoluendus eſt, quo eſt compactus. At coactus eſt ex materia lenta & craſſa, a calore veſicæ partes tenuiores ſenſim diſſipante, & reliquas indurante. Ergo ſi pharmacis ſoluendus erit, eiuſmodi eſſe oportet, quæ ſine calore exſiccante in profundum lapidis ſe inſinuent, partiumque cohæſionem ſoluant, aut earum cõtinuitatem, veluti perforando, conterendo, & diuidendo, aut quæ indurata ſunt per humectationem iterũ emolliendo. Medicamenta quæ alterutrum præſtare debent, tenuium valde partium eſſe conuenit, abſque calore, & euidenti ſiccandi poteſtate. Lapidis enim meatus perquam anguſti ſunt, vt non facile aliquid intro penetret. Exoluitur etiam virtus medicamentorum per os ſumtorum antequam ad affectum locum perueniant: & in ipſa quoque veſica propter admiſtionem, vrinæ & craſſæ pituitæ cum vrina confluere ſunt ſolitæ. Plus efficient infuſa per ſyringam, veſica prius exonerata. Inter quæ plurimum laudatur oleum ſcorpionum a Raſe deſcriptum, cuius ego experientiam nullam habeo. Per os ſumta commendantur plurima, vt videre apud Græcos, & Latinos vnuſquiſque poteſt. Sirupus a Rondeletio mihi viſus eſt maxime accommodatus, & omnino tutus. Conducit etiam vinum, in quo per noctem raphanus maceratus eſt, quemadmodum ſuccus raphani expreſſus cum vino miſtus a nonnullis veriſimili ratione laudatur. Perſuadere mihi quidam aliquando tentauit vinum hoc, ſi lapides in capitibus limaciarum, quæ ſine caſis humi repunt reperti, in eodem diſſoluti prius fuiſſent. Ingenue fateor me talibus nunquam vſum fuiſſe, quod omnino perſuaſum habeam lapidem veſicæ diſſolui remediis intra corpus nõ poſſe, propter indicatas nuper cauſas. Si quis de principio rem tentat, dum puſillus adhuc eſt ac mollis, non deſperem curationem, ſi præſertim ex compactis arenulis in renibus concretionis initium cœperit. At qui grandior & durior eſt iam factus, nec ex arenulis, lento humore, velut glutine eſt coactus, ſed ex lenta pituita partibus humidioribus diſcuſſis coaluit, remediis non facile vllis ſuperabitur, dum in veſica remanebit. Quippe nec retineri pharmaca longo tempore in veſica poſſunt, nec ſinit affluens ſubinde vrina pro naturæ ſuæ viribus agere: quomodo extra

veſicam calculis affuſa agere poſſunt. Si tentare libet vtraq;, prius oportet corpus totum exquiſite purgare, ac humoris craſſi ac lenti generationem quãtum fieri poteſt, prohibere. Nec ceſſare oportet leuioribus pharmacis pituitam a ventriculo & inteſtinis quotidie detergere: ne in venas ingreſſus per renes ad veſicam permeet. Quibus hæc ſint remediis perficienda, non eſt opus commemorare, cum longe rectius D. Wichius noſter præſtare valeat. Inter alia valde purificato prius corpore laudarem thermarum, aut fontis alicuius acidi vſum, qui hac vi pollet. Nec dubito, quin in vicinia noſtra tales habeatis, mihi non ſatis cognitos. Si nihil aliud his efficeretur, hoc ſaltem conſequemur, vt ad ſectionem corpus eſſet paratius, & lapis a veſica, cui eum adhæreſcere omnino arbitror, facilius ſepararetur. Ego enim in ſectione per induſtrium, & exercitatum artificem nullum video maius periculum, quam ne vulnere facto lapis a veſica auelli nequeat. Atq; hoc illud caput eſt, cuius ſæpe ac diligenter admoneri artificem velim, antequam manum admoueret.

Summa eſt, me nihil prorſus dubitare, quin calculo veſicæ labores. Puto autem, eum veluti aduatum eſſe dextro eius lateri. Comminui medicamentis poſſe vix mihi perſuadeo. Vtendum tamen eis cenſeo, quæ ſeparare poſſint, corpore prius toto diligenter vacuato, & pituita ab inteſtinis & ventriculo ſubinde abſterſa: quæ res imprimis calculi incrementum prohibet, atq; curationem non parum adiuuat. Demum ad ſectionem veniendum, ſi nihil obſtet, atque periti artificis detur poteſtas. Præmonendum autem reor, adhærere calculum veſicæ tunicæ, ſicut paulo ante dicebam, ne forte ſectio fruſtra fiat.

Conſilium 27.

QVidam annos natus plures 40. panciores vero 50. huius anni menſe Iulio in ephemeram incidit noctu: ſoluta febricula ſenſit pulſum nonnumquam intermittere integra pulſatione. Verum ſanguine miſſo & corpore leuiter purgato nihil præterea ſenſit. Poſt hoc tempus die 27. Septembris idem in Laconico ſudauit copioſe horis fere duabus ante prandium, & in prandio ſenſit potu caput impleri, etſi neq; plus more ſolito, neque auidius biberet, quantumuis ſolito magis ſitiret. Sequenti nocte dormiuit minus quiete, & poſtridie mane animaduertit pulſus illam intermiſſionem rediiſſe. Ergo per dies aliquot magna diligentia attentiſſime obſeruauit omnes in pulſu mutationes, quas nunc commemorare tentabo.

Primum obſeruauit pulſus valde eſſe inæquales magnitudine, paruitate, raritate, frequentia, tarditate, celeritate pariter, & inordinatos. Etenim multas ſæpe habet pulſationes æquales, poſt quas nullo ordine ſeruato ſequuntur modo plures, modo panciores pulſationes, aliquando celeres, frequentes, paruæ, modo raræ ac tardæ. Et aliquando poſt raras & tardas aliquot pulſationes intermittit, nonnumquam poſt æquales, interdum poſtquam mutatus ad celeritatem & frequentiam, paruitatemque fuit. Eodem modo poſt intermiſſionem rediens plerumque æqualis eſt, aliquando celerior & frequentior, cum raritate non obſeruauit eum rediiſſe.

Videtur interdum non ex toto, ſed ex dimidio ſolum intermittere, quo tempore vndoſus apparet, quaſi per arteriam vnda quædam decurreret.

Intermiſſionis interualla admodum ſunt inęqualia: nam ſæpe poſt centum pulſationes, poſt ducentas & ſexcentas demum intermittit, aliquando poſt ſexaginta, aut octoginta, aut triginta, aut viginti, aut duodecim, raro citius intermiſit. Accidit etiam, vt horis quadraginta & pluribus nihil ſenſerit qui hoc affectu laborat. Plerumq; a prandio & cœna aliquot horis liber eſt, & cum a ſomno expergiſcitur, atq; immotus iacet. Cum moueri incipit malum redire ſentit, &, quod mirabile eſt, alias numquam minus ſentit, quam cum aut loquitur, aut ambulat, aut alias mouetur, tuſſit, ſuſpirat, aliudue tale quidpiam agit. Contra vero cum attente ſtudet, vel cogitat, ſæpius & clarius ſentit. Cuius rei cauſa forte putetur eſſe hæc, quod tunc non æque obſeruet. At, vt hoc aliquando verum ſit, verum tamen ſemper non eſt: nam quicquid horum interdum agat, nihilque de pulſu cogitet, animaduertit nihilominus. Summa eſt, nec tempus, nec interualla certa eſſe, niſi quod plerumque a prandio & cœna minus aut nullo modo moleſtum eſt malum, & poſt ſumptum prandium ſæpe nihil ad cœnam vſq; ſenſit, ſæpe horis tribus aut quatuor a prandio malum rediit. Sic a cœna vſque ad ortum fere ſolis frequenter ſibi viſus eſt liber eſſe, aliquando etiam noctu cum vigilat, ſentit, ſed fere ex longioribus interuallis. Sumpſit æger cibum mane, aliquoties præter conſuetudinem, vt experiretur an eo iuuaretur, ſed nil profuit exiguus, pleniorem non ſumpſit, nec electuaria, aliaue remedia robur cordi afferentia contulerunt, ſed perinde fere habet, ſiue ieiunet, ſiue edat aliquid mane. Nec potuit hactenus iudicare, an vllis ciborum generibus iuuetur, aut lædatur. Cum ad ſaturitatem edit, rectius fere habere videtur. Doluit etiam aliquando ventriculi os noctu ex aquæ potu, alias ex neſcio quo cibo ſumpto; ſed cordis affectus ex hoc neque me-

lior, neque deterior eſt redditus. Solitus eſt alias æger multum, ſæpe, & facile ſudare, cum interdiu, tum etiam mane poſt peractam coctionem. Hæc vacuatio aliquamdiu ceſſauerat: ſed ante inuaſionem huius mali iam redierat, & durante malo ſudor nihil profuit omnino, licet vrina liberius profluente malum remiſiſſe nonnihil aliquando videretur. Dum abeſt malum hoc, ſuſpirare ac oſcitare crebrius cogitur patiens, flatuum per aluum minus exit, ac ſibilus auris ſiniſtræ, qui vix antea percipiebatur ab eo aliquantum auctus eſt. Senſit etiam hypochondria aliquando, præſertim ſiniſtrum, inflari aliquantum, & leues dolores ex flatu ſub coſtis ſiniſtris mendoſis.

Nullam aliam totius corporis actionem æger læſam, alteratam, aut debilitatam ſentit, ea excepta, de qua mox dicam: ſed edit, bibit, appetit, concoquit, dormit, mouetur, meditatur, lætatur, triſtatur, vt prius ſolebat. Vt ſemel dicam, nihil omnino ſentit præter iſtam pulſus intermiſſionem: quin ne colorem quidem vllius partis, aut aliud quodpiam accidẽs mutatum nouit. Vnicum eſt accidens, quod vel non ſenſit antea, vel certe non obſeruauit, quod hoc iam loco exponere tentabo.

Cum principio pulſum intermittere animaduertit in carpo arteriæ motum obſeruauit, dum, vtrum a febricula liber eſſet, explorare voluit. Poſtea vero cum omnia attentius conſideraret, deprehendit eodem temporis puncto fere quo pulſus intermittitur, ictum quendam fieri ſub clauicula in profundo ad ſpinam, quem manifeſte ſic percipit, vt tangenti arteriam, ipſe non tangens dicere momentum poſſit, quo pulſum intermittit. Ex hoc ictu ſeu impulſu, quouis loco & tempore, ſiue quieſcat, ſiue moueatur, ſcire poteſt, quando & quoties pulſus intermittat. Porro qualis ſit iſte ictus etſi difficile eſt verbis exprimere, conabor nihilominus quam potero clariſſime deſcribere. Similis iſte ictus videtur impulſioni, ſeu incurſui flatus craſſi in partem aliquam mollẽ cauamq; confertim ac ſemel incurrenti, ipſamq; extendenti, veluti ſi in partem aliquam inteſtini, ſubito flatus irrueret, ipſamque diſtenderet, ac mox iterum collabi ſineret. In gula ſimile quidpiam accidit, cum in oſcitatione flatus multus craſſusq; ſemel totus exit, niſi quod in oſcitatione eruptio diu durat, hic non longius durat, quam arteriæ pulſatio vna. Magis accedit ructus, cum breuis eſt, ac ſpiritus ex ventriculo ſimul in fauces erumpit. Videtur enim aliquid ſubito repleri & attolli, ac mox iterum collabi, quemadmodum arteria diſtenditur, ac iterum in ſe concidit. Contingit aliquid ſimile in ſingultu quoque, attamen non æque vehemẽs eſt in hoc ſymptomate motus, nec in regione oris ventriculi, ſed loco altiore percipitur. In externis rebus nihil occurrit, quod propius naturam huius accidentis referat, quã quod in ebullitione craſſi alicuius ſucci, aut pulris vſu venire cernimus: vt enim hic inter bulliendum ex ruptis bullis cum impetu flatus exilit, ſic fere ſpiritus aut aer ex corde extrudi, & in eam partem, in qua ſola ſentitur, impelli videtur.

Putauerim ego nil aliud eſſe, quam maximam, vehementem, violentamq; arteriæ pulſationem, diſtenſionemue, niſi in vnica illa totius corporis parte ſentiretur. Verum vt res ſit clarior, primum quid actum ſit, exponam; ſimul quot & quales mutationes per integrum menſem, qui ſic laborat obſeruauerit, referam. Tertio quid de affectu, pariter & loco affecto ſuſpicatus fuerim, commemorabo. Poſtremo quid de cauſa huius accidẽtis cogitarim, breuiter recenſebo. Die 28. Septembris, vt ſupra dixi, cum pulſum intermittere percepiſſet æger, ac præparato mox corpore venam 29. die ſecuiſſet, nihil admodum profeciſſe viſus eſt. Die poſtea ſecundo Octobris poſt prandium quieuit affectio, vt nihil ante prandium ſequentis diei ſenſerit. Die quarto pharmacum mane ſumpſit, & ad horam vſq; prandii more ſolito habuit. A prandio eius diei vſq; ad horam octauam ſequentis diei, hoc eſt, per horas circiter viginti duas iterum nihil ſenſit. A prandio iterum ceſſauit malum, ſed paulo ante cœnam rediit, ac ſumpta cœna iterum quieuit, vſq; ad horam quintam matutinam diei ſexti Octobris. Cum e lecto ſurrexiſſet, & ouum ſorbile hauſiſſet, bis, terue ſenſit: deinde vſq; ad horam matutinam tertiã ſeptimi diei nihil animaduertit. Cũ obdormiuiſſet deinde iterum ſenſit, poſtea ex longioribus interuallis ad prandium: hoc eſt, ad horam vſque decimam. Hoc die nihil ei profuit cibum ſumere. Vſus enim eſt hoc & ſequentibus etiam diebus electuario cordiali & pane Martio, ſed fruſtra. A prandio iterum ceſſauit per horas quinq; vel ſex. A cœna ad horam vſque ſextam matutinam diei octaui, nihil ſenſit, quantumuis circa mediam noctem ex ore ventriculi plurimum doluiſſet. Deinde cum circa ſextam bis ſenſiſſet, abiit, ac hora vna ante prandium demum rediit, & per interualla ſatis longa affecit. A prandio ad horas viginti ceſſauit. Die nono poſt prandium horis quatuor rediit, atque a cœna iterum per horas octo ceſſauit. Similiter fere die decimo omnia habuerunt, niſi quod mane panem ex iure carnium edit, nullo tamen cum fructu. Eadem prope ratio fuit ſequentium dierum vſque ad decimumoctauum diem Octobris: hoc excepto, quod die decimoquarto, & decimoquinto cum veſperi cubitum iret, ictum illum ſenſit, abſq; pulſus intermiſſione integra, qui tamen languidior, vndoſuſq; reddebatur. Obſeruauit hoc idem poſtea ſæpius cum propter motũ aliquem

pulſus

pulſus eſſet factus maiot ac vehementiot. Die prædicto decimo octauo a ptandio ceſſauit malum, & ad horam vſq; ſextam matutinam diei viceſimi remanſit: hoc eſt, horis plus minus quadraginta intermiſit. Senſit deineeps toto die leuiter & ex longis interuallis, etiã poſt ſumptum cibũ vſque ad horã cænæ. Ab hoc tẽpore vſq; ad finẽ menſis ſimiliter fere abiit ac rediit, vt de ſuperioribus dictum eſt diebus.

De affectu, locoque affecto ambigo non parum. Certum hoc eſt, cor ſimul cum arteriis quieſcere. Nam ſi manus altera, ſiniſtro pectoris lateri, altera arteriæ admoueatur, manifeſte ſimul quieſcere percipiuntur. Proinde dubium non eſt, quin cor ſit affectum, & per hoc arteriæ quoq; afficiantur, vt quæ pulſandi vim omnem a cotde accipiunt. Certum non minus hoc eſſe videtur, affectum non eſſe ptimo & per ſe eſſentiam in corde. Etenim tam multa, & tam longa interualla non habetet. Et quod intemperie cot nulla labotet tanta, propter quam pulſus intermittat, cum hoc, quod nnper dixi, oſtendit, tum illud etiam demonſtrat, quod actio nulla alia læſa eſt, præter pulſum, & nulla percipitur facultatis vitalis imbecillitas. Scio quid Galenus de interminente pulſu cum alibi, tum In libro primo de differentiis pulſuum cap. 12. ſcriptum teliquerit: at vtrum cum noſtro vſu ea congruant, nondum ſatis video. Dixit enim ex inæqnalitare raritatis & paruitatis cõſtare intermittentẽ, aut certe ex raritatib. ex deficiente ex paruitatibus. HIc autem ſtequenter, imo plerumque intemittit nulla præcedente raritate, aut paruitate, aut inæqualitate, ſicut etiam poſt intermiſſam pulſationem plerumq; redit æqualis, & ſui ſimilis. Quamquam vero hoc non eſt perpetuum, ſic tamen plerumque accidit, vt quæ intermiſſionem ſequuntut pulſationes, nihil ab iis differant, quæ eandem præceſſerunt. Quo ſit vt putem illa etiam non omnino conuenire propoſito noſtro caſui, quæ in fine quarti capitis lib. 2. de præſagit. ex pulſibus tetulit.

Ergo vt ad inſtitutum redeam, non videtut cordis intemperies aliqua huic accidenti cauſam præbere. Quinimo ne inſtrumentalis quidem cotdis morbus, præſertim fixus & permanens eſſe videtur, ptopter eaſdem cauſas. Proinde neceſſarium eſt, vt vel arteriis conſentiat, vel propter infuſum humorem, aut ſpiritum ſic afficiatur. Quod ſi arteriæ cordi vicinæ ſic laborarent, vt cordi affectionem ſuam communicarent, non poſſet nõ imbecillius agere. Ego ſane exiſtimo ſpiritum flatuoſum in cotdis cauitatem infundi. . . . . *Reliqua deſunt.*

Conſilium 28.

ADoleſcẽs annos natus plus minus viginti duos, corporis habitu mediocri, colore & pilis nigris morbũ talẽ patitur. Annus iam eſt ſextus, ni fallot, cũ in dextra parte capitis, ſeu frontis dolotem percepit. Is mane vbi ſurrexiſſet, accedebat, & per horas tres paulatim augebatur, vt acerbe admodum eum affligeret. Ab eo tempote imminui rurſus incipiebat, vt aliis tribus horis ſequentibus omnino euaneſceret. Sequenti die eadem hora & modo accedebat, augebatur, affligebat, decreſcebat, vt plane ab omni malo liberatus eſſe putaretur. Hanc periodum vbi ſeruaſſet diebus plus miuus octo prorſus abiit. Occupabat autem dextrum frontis cornu; demittens ſeſe ad dextrum vſq; ſupetciliũ, quo in loco dolot eſt maximus, cúm ad ſummum excreuiſſe videtur. Poſt anni quadrantẽ rediit, eodemq; modo, ordine, circuitu, quo dictum eſt. Et ab eo tempore ſingulis annis quater, interdum quinquies, & proximo anno ſexies eodem labotauit. Durauit proximis temporibus aliquando decem, aliquando quatuotdecim dies. Locus affectus nõ intumeſcit, niſi quod nuper ſupetciliũ intumuiſſe viſum eſt. Neq; colot ipſius ita mutatut, vt percipi poſſit. Si calida manu frontem premat atq; ſupercilium, plurimũ Iuuatur. Calidis leniri, frigidis exacerbari dolorem animaduertit. Si tarde ſurgit, tardius accedit dolor: Si citius ſurgat, citius quoq; dolet. Semper.n. quo tempore ægrotat, a ſomno dolere incipit hora vna plus minus. In reliquo cotpore nihil omnino ſentit mali. Semel puto, aut bis ad ſummnm, ptidie veſperi, quam dolere incepiſſet, leuem in affecto loco dolorem percepit. Sequentibus diebus nihil animaduertit inſoliti. Ipſe, quia eandem ſere perpetuo victus rationem ſeruat, in errotem in victu reſerre non audet. Eadem tatione non poteſt aeris mutationes pro cauſa adferre, propterea quod in omni temporis conſtitutione vno eodẽq; modo ſe affici putat: nam & ſereno & pluuio cælo, calido & frigido accedere eum ait. Videtur etiam ex corporis quadam inæqualitate & triſtitia ptæcedente aliquot ante diebus ptæſagire poſſe. Cur potiſſimum illa pars frontis doleat, cauſam ipſe tefert in caſum: ait enim puerum ſe frequenter in eam partem cecidiſſe. Hæc ſunt, quæ de ſuo motbo commemorat. Cupit autem ab eodem liberari. Quia vero curationẽ cognitio præcedit, inueſtiganda erit morbi eſſentia, eiuſdemque cauſa, vt ab ipſis indicatione ſumpta curationem recte inſtituamus. Dolorem de quo quæritur ſymptoma eſſe nemo neſcit. Fit porro dolor omnis, aut ab intemperie vehementiore, aut continui ſolutione. Præſens dolot a poſteriore cauſa oritur: nullam etenim intemperiem tantam percipit æger a qua tam acerbus gigni dolor queat. Etſi namque

calidis magis gandet quam frigidis, nullum tamen frigus præcipuum ſentit. At vero continui ſolutionem eſſe quæ fit per tenſionem, planum eſt. Neceſſarium itaque eſt, vt cauſam inquiramus extendentem, & partes quæ tenduntur. Dolor cum ad ſummum incrementum peruenit, tam eſt acerbus, vt crebras ex oculo lacrymas exprimat. Quamobrem magnam eſſe, aut ſaltem vehementem tenſionem oportet. Ergo cum tumor in affecta parte nullus appareat, niſi ſupra ſupercilium exiguus admodum, & cutis color non varietur, temperies aut nullo modo immutetur, aut vix, & ſex horarum ſpacio periodum ille ſuam conficiat: ſatis apparere arbitror, non humorem aliquem, ſed flatum potius vaporoſum tenſionis huius cauſam exiſtere. Non enim tam cito humor reſolui poſſet, maioremque intemperiem parti adferret. Ipſa quoq; loci compreſſio alleuiationem aliquam pariēs oſtendit ſpiritum vaporoſum, non humorem eſſe cauſam. Quippe ſi ab humore infarcto tenſio illa fieret, pars compreſſa magis doleret, aut certe non minus, vt cum ratio docet, tum experientia probat. Ex compreſſione, a qua iuuari ægrum diximus, illud etiam addiſcimus, cauſam doloris non intra, ſed extra caluariam contineri. Flatum vero iſtum ſub membranis contineri oportet, ac in anguſto loco: non enim in carnoſis partibus tantum facile peperit dolorem. Puto igitur ſub muſculo frontis præcipue, & fortaſſe ſub ipſa quoque oſſa veſtiente membrana. Attamen pauciorem huc ſubingredi oportet. Non enim multus tam cito diſſolui poſſe ibidem videatur. Si ſub extrema cuticula tantum cogeretur, in tumorem eam attolleret, vt ſupercilium attollit, quo in loco laxior eſt cutis, & ab oſſe magis deduci poteſt. Iam igitur & morbi eſſentiam, & eiuſdem cauſam inuenimus. Reſtat iam vt periodorum cauſas perquiramus. Eſt ea duplex: nam & certis anni temporibus accedit, & cum acceſſit ſex pene horis ſingulis diebus curſum ſuum perficit. Ergo quia non eſt perpetuus dolor, conſtat flatum in affecto loco non generari, ſed aliunde ad eum accedere. Etenim aut ex alimento partis, aut huius excremento aut alio quopiam humore præter naturam eo in loco reperto generari eum oportet. At nullum horum fieri poteſt. Pars enim ea vt & cæteræ perpetuo alitur, aut alimentum præſens habet. Quare non certis tantum diebus, ſed ſemper doleret. Similiter de excremento nutrimenti dicere poſſumus. Non enim cur certis tantum temporibus ibi colligatur, aut ſi aceruatum ſit, cur tanta ipſius pars dumtaxat ſingulis diebus in flatum vertitur; intelligi facile, exponiq; poterit. Si humorem aliquem alium ibidem cogitemus colligi, qui quotidie in flatum conuertatur, manet eadē difficultas, vnde ſcilicet is humor eo perueniat. Melius ergo multo, & verius flatum aliunde accedere dicemus. Eſt enim hoc & rationi conſentaneum, & fieri facilius poteſt, & quotidie ita accedere videmus. Vbi vero generetur, colligaturue difficile admodum eſt videre, præſertim cum de nulla totius ſui corporis parte quæri poſſit. Ego, quia hunc dolorem inæqualitatem quandam corporis præcedere ſentit æger, qualis ante febrium acceſſiones percipi ſolet, & præterea triſtior fit ſolito, corporiſq; habitus indicat non parum melancholici in eo ſucci generari, circa hypochondria ſpiritum iſtum colligi, exiſtimo. Qui hypochondriaca melancholia laborant, ii perpetuo ægrotant, ſed per multos ſæpe menſes recte valent. Vt igitur non ſemper in talibus aceruantur vapores caput petentes, & melancholicas imaginationes inducentes: ſed aliis bis, aliis ter, aliis crebrius in anno quolibet hæc eueniunt: ita hic quoque rem habere crediderim. Sane quia inæqualitatem iſtam in corpore inferiore, non in capite ſentit, circa thoracem, ventremq; flatus iſtos colligi veriſimile eſt. Quo vero alio in loco eos colligi putemus quam in hypochondriis, aut meſenterii venis, dictu perquam difficile eſt. Gignitur ex cibis craſſus, incoctuſq; ſuccus, qui cum multus iam eſt collectus, obſtructionem in meſenterio parit. Ab hac, iecinoris & vicinarum partium calor auctus flatuoſum ſpiritum craſſum quotidie ex craſſiore humore generat, qui cum neque tam multus, neque tam prauus ſit vt deliria melancholica inducere poſſit: facile fit, vt a cerebro in exteriorem capitis partem protruſus in eam frontis partem quæ maxime imbecilla eſt, colligatur. Hanc autem partem imbecilliorem frequens caſus in pueritia reddere potuit: affirmat enim æger ſe quoties fere cecidiſſet eam capitis partem ſolo impegiſſe. Quod huiuſmodi vapores ſurſum frequenter contendant, caputq; occupent, probatione nulla eget. Credibile quoq; eſt in dextro potius hypochondrio, latereue gigni, quam in ſiniſtro, propter admirabilem vnius lateris conſenſum & rectitudinem. Ergo quo tempore in hypochondrio generatur iſte ſpiritus, & caput petit; triſtitiam aliquam parit, ſed minime notabilem, quia nō multus admodum eſt, neq; vt in melancholicis paſſionibus, aduſtus. Veriſimile illud etiam eſt, eundem inter dormiendum potiſſimum caput petere propter notas Medicis cauſas. Vbi iam a ſomno ſurrexit, & calor innatus ſeſe rurſus ad membra & ſuperficiem extēdit, vaporoſi iſti ſpiritus excernuntur. Qui, quia leues ſunt aliis cerebri excrementis comparati, per ſuturas cranii exeunt, & ſub cute repentes ad partem eam frontis deponuntur. Certum eſt, eos non intra, ſed extra caluariam collectos dolorem parere, & ex ſupraſcripta narratione liquet. Quod ſi quis aliam viam inueniat, per quam aptius huc commigrent, non repugnabo. Eo in loco quum coquuntur,

extenſionem, ſimulq; dolorem tantiſper faciunt dum a loci caliditate attenuati, & reſoluti euaneſcunt. Hoc tempore a dolore impeditus minus edit, ac bibit ægrotus. Ita fit vt affectio hypochondriorum concoctis atque digeſtis crudis humoribus ſoluatur, eaque ſoluta nulla capiti materia ſubminiſtretur amplius. Veſperi tales vapores, noctuque magis aſcendere in caput, hoc etiam ſignum eſt, quod ſemel, iterumque cubitum iturus pridie quam eum dolor inuaderet, ea in parte dolorem percepit. Quod poſtea non doluit, eius cauſæ multæ poſſunt adduci. Præcipua eſt quod calor in profundum ſeſe recipiens ſecum tales vapores trahit. Fieri hoc ſæpe cum in aliis quibuſdam, tum in me ipſo animaduerti. Ergo cum quæritur cur a ſomno dolor iſte incipiat, paulatimq; auctus acerbiſſime excruciet, ac ſenſim iterum ratione certa decreſcat: reſpondendum eſſe eo ideo fieri, quod innatus calor poſt ſomnum in omnes partes extenſus extra cerebrum eundem illum ſpiritum expellat, iſque ſenſim in locum illum imbecilliorem colligatur, & tandem a calore loci extenuatus diſſipetur. Fieri poteſt etiam vt is ſpiritus paucus quidem ſit, at valde craſſus: Hunc cum a calore partis magis attenuatur plus occupare ſpacii, magiſq; extēdendo maiorem efficere dolorem. Vbi iam ad ſummum ſit rarefactus, ab eodem calore paulatim diſſolui. Hoc tam diu fit quam diu ex hypochondrio materia ſuppeditatur. Hinc etiam fit, vt alias grauior, alias tenuior ſit, & modo plures, modo pauciores dies perduret. Colligitur autem in hypochondrio, dum obſtructæ ſunt ipſius venæ. Obſtructione ſoluta ceſſat affectio. Si quæratur amplius cur certis anni temporibus fiat iſta obſtructio, & vaporoſi ſpiritus generatio, non vero ſemper adſit: hoc tantum reſpondendum, toties recurrere, quoties materia idonea, & ſatis copioſa collecta eſt. Argumento ſit, quod non quater ſolum in anno, vti ab initio cum recens morbus eſſet, ſed quinquies, & ſexies infeſtatur. Neque dubito, quin, ſi victus rationem deteriorem ſeruat, frequentius eo ſit laboraturus. Colligitur ergo materia pro obſtructione generanda, pro victus ratione citius & tardius, certo tamen temporis ſpacio, vt in aliis cunctis morbis vſu uenire videmus, qui per circuitum aliquem recurrere ſolent. Quare qui plura hic videre cupit, is quæ de talibus a probatis authoribus ſcripta ſunt, perlegat. Non temere in victus rationem potius quam in aeris mutationes vt cauſam, refero: expertus enim eſt in omni aeris conſtitutione ipſi accidiſſe, vt ex eo laboraret: neque propter aeris mutationem aut leuiorem, aut grauiorem eum meminit fuiſſe. Quare diſſimilis eſt eius ratio, ab eo quem author libri de theriaca ad Piſonem narrat, Auſtri flatum ex capitis dolore præſentiſſe, domi licet decumberet: neque ad cephalæam recte, aut hemicraniam (quamquam ſi quis ita vocare velit, non multum aberret) referri poſſe videtur, ſi quæ horum morborum propria ſit natura accurate æſtimetur. Atq; hæc de morbi huius natura & cauſis ſufficiant. Ad curationem tranſeundum iam erit. Curatio huius doloris erit præſeruatio: Vbi enim partem & roborauerimus, & ne ad eam flatus iſte deponatur cauerimus, quod cupimus, iam obtinuimus. Et de roboratione tum aliquid dicetur, cum, qua ratione collectionem ipſius prohibendam putem, expoſuero. Prohibebitur ipſius in caput collectio, ſi opera detur ne in corpore generetur. Non generabitur, modo vera ſint quæ ſupra diximus, ſi nullam fieri obſtructionem in meſenterio ſinemus. Fiet hoc, ſi victus rationem conuenientem ſeruabit æger, cruditatem fugiet, ab illis quæ lentum, craſſumque ſuccum generare poſſunt, ac ſolent, abſtinebit. Quoniam vero tam inculpate victurus non videtur, vt non multum huius humoris in corpore colligatur: proximum erit, vt medicamento eum aliquo per interualla repurget, partim per aluum, partim vero per vrinam educendo. Præterea vtilis ad hanc rem erit eorum ciborum, & medicamentorum vſus, quæ farctu liberare, incidere abſtergereq; humores tales, itemq; vrinas leuiter ciere poſſunt. Vtatur ergo cum cibis cappatibus, aceto, ſucco limonum, arantiorum, ſucco berberum, & ipſis etiā fructibus (Germanice appellantur Saurach/ Saurtnig/) item ceraſis acidis, quæ Weichſel vulgo nominamus, ac malis acidis coctis, itemque prunis acidis: Ab his enim aperietur obſtructio facta, & fieri prohibebitur. Prodeſt etiam vinum interdum bibere abſinthite, atque id quod cum carduo benedicto, & quod cum ſaluia paratur præſertim ſi non ſint noua. Caueat caſeum, carnes, & piſces aridos, & duros, legumina, piſces lentos, fructus crudos, & in vniuerſum quæ difficulter concoquere poteſt. Edat ſuo tempore, & modo, vt non inferciatur cibis venter, ſed mediocriter ſolum ſatietur. Vino vtatur veteri, tenui, non vinoſo. Si tale ſit, diluat aqua in qua folia aliquot cichorei herbæ ebullierint. Valde hoc eum iuuabit. Sumat per interualla, ſingulis ſcilicet menſibus vel ſirupi roſ. ſolut. vncias aliquot, vt leuiter purgetur: vel ſirupum ex multiplici florum perſicorum infuſione ſibi fieri curet, vel ex floribus prunellorum ſilueſtrium (Germani vocant Schlehen) ſimiliter præparatū, vel caſſiæ aliquid ante paſtum ex arundine craſſæ edat, vel pilularum cōmunium, quas peſtilētiales appellant, ʒ.i. vel maſtichinarū, vel tertiā, ſiue dimidiā drachmæ partē pulueris rhabarbari cū ouo ſorbili ſæpius deglutiat, vel terebinthinæ ℥.ß. ſimiliter abſorbeat cum Iulepo viol. vel fol. ſenæ ℥.ß. in hauſtum vini infundat, per noctem in loco calido vas bene tectum ſeruet, poſtridie percolatum bibat.

Proderit etiã, vti ſanguinis miſſione ſemel in anno, aut bis, & pridie corpus leuiter purgare. Item iuuant cucurbitulæ appoſitæ. Quæ omnia facienda ſunt, non tam propter prædictum dolorem, quam propter metum melancholiæ hypochondriacæ ſeu flatuoſæ.

Poſt aliquot annos rediit idem ad me, & conqueſtus eſt de dolore quodam ventris, qui ipſi poſt ſomptum cibum horis aliquot oboriatur, & poſt confectum cibum diſpareat. Apparet vel hinc recte nos de ſuperioris morbi cauſa diſſeruiſſe. Fit enim flatus iſte in meſenterio, & cum per venas hepar attrahere aliquem ſuccum incipit ex ventriculo, in inteſtina motus effunditur, doloremque parit. Neque alia hic eſt opus curatione quam ſupradicta, niſi quod mane poſſet nucis muſcatæ ſaccharo conditæ dimidium edere, vel myrabol. chebulum ſic conditum, vel ſaccharum roſaceum vetus cum puluere cinnamomi, & aniſis ſaccharo incruſtatis.

Quæritur etiam nunc de ſcabie, quæ circa hiemis initium ſæpe eum inuaſerit, & redeunte æſtate iterum reliquerit. Fit ea propter ſanguinem vſtum & ſalſum, propterea quod hieme non facile expirare vapores iſti poſſunt: vnde in ſanguine ſub cute retenti eum vitiant, & corrũpunt. Proderit ergo ſub autumni finẽ ſanguinẽ mittere, & corpus purgare, vt arceatur. Quamquam ſi ſupradictam curationem ſequatur, minime verendum ei putem, vt ſcabies ei moleſta ſit futura. Nunc autem ſic curabitur. Accipiet ℥. j. caſſiæ in arundine. Ante cænam fracta arundine, aut per medium ſecundum longum fiſſa eradet caſſiam, & abſq; ſeminibus edet, poſtea mox cænabit. Poſtridie hora dimidia ante prandium vbi prius mediocrem fecerit deambulationem, venam iecorariam in dextro cubito curabit ſecari. Deinde per triduum mane bibet hunc ſirupum, quem in charta deſcripſi. Poſt hoc, medicamentum ibidem annotatum ſumet. Poſtea veſperi cubitum iturus, ad calidam fornacẽ, vel ad ignem calefacta parte vnguenti ibidem quoq; deſcripti, ſe diligenter innunget, cubitumque ibit. Hoc facto per triduum aut quatriduum in balneo ſudabit paulum, & diligenter ſe exterget. Si quid notabile ſuperſit, per aliud biduum ſe inunget, iterumque ſudabit, & ſic bene habebit.

FINIS.

INDEX

INDEX RERVM ET VERBORVM PRAECIPVE NOTATV DIGNIORVM, IN VARIA OPVSCVLA Medica Thomæ Eraſti D. locupletiſſ.

A.

ABenzoar 2,26
Aceti plurimus uſus podagricis obeſt 208,47
Actiones ab anima, ut a cauſa effectrice proficiſcuntur 1,32. inter Actionem & factionem diſcrimen 16,32. inter Actiones quæ a temperamento, & illas quæ ab inſtrumento proficiſcuntur, diſcrimen 38,4
Aegyptii unius morbi aut partis unum voluerunt eſſe medicum 2,28 præ cunctis aliis gentibus medicinæ ſtudioſi 5,26. ante Græcos medicinam inuenerunt & coluerunt 4,47. ætatem hominis conſtituerunt 100 annorum 132,35
Aeſculapius 3,38
Aetatum diſtinctio ſecundum Aſtrologos 28,3,10
Aeſtas omnes morbos breuiores efficit, hiems lõgiores 111,51
Αἰτιολογικὴ 19,20. cauſas, affectus præter naturam & ſymptomata inquirit ibid. 21
Alexander Magnus medicæ artis ſtudioſus 5,56
Allia podagricis nocent 208,47
Aloe cum ſucco roſarum, cum pauco agarico excremẽta capitis & reliqui corporis vacuat 199,20. ſenibus minime prodeſt 205,23
Aloe uſus noxius duabus rationibus probatur 205,37
Aloe non cum cibo ſumenda, ſed mane cum cibus eſt tranſmutatus 206,12
Aloe qui negant iecur offendi, experientia ſintica digni ſunt 206,52
Ἀλυσμὸς in ægris quid indicet 150,48
Amſia ad Venerem ciendam accommoda 65,59
Analogiſmus & Epilogiſmus differunt 144,10,15
Anaſarca 163,35
Anatomia librorum Comitis Montani Vincentini 103,7
Aneuryſma quid 178,49
Antoninus Pius Metropolitanis urbibus mandauit ut decem alerent medicos 10,25
Antonio Muſæ medico clariſſ. ab Auguſto Cæſare ſtatua ærea iuxta Aeſculapii ſtatuam collocari iuſſa 5,43
Aphion, opium Turcis dicitur 65,16
Aphoriſmus quid ſit 123 17,20
Apis Aegyptiorum rex, medicinæ laudem ſibi acquiſiuit 3,21
Aqua nitroſa ad lauandum 2 7,64
Aqua ex fabarum floribus 214,10
Arabus Apollinis & Babylonis F. herbariam inueniſſe ſcribitur 4,52
Ariſtoteles & Cicero non idem de diuinatione ſentiunt 141,24
Arteriæ pulſatio quando percipiatur 158,19
Artifices non ſunt periti qui artis totius rationem reddere nequeunt 37,22
Aſclepiades ingentes pollicitationes Mithridatis ſpreuit 5,40
Aſcites 163,33
Aſtrologi diuidunt ætatem hominis iuxta Planetas 122,53
Auguſtus toti medicorum ordini immunitates multas, & ius aureorum annulorum conceſſit 10,34
Aures cur frigeſiat in acutis 144,47. cur inuertantur, contorqueãtur, & breuiores fiant 144,51

B.

BAcchus 3,13
Bilis flaua æſtate abundat 115,5
Boithus pro uxore curata 30 donauit aureos 6,17
Boli deſcriptio 194,17
Bona omnia vel ſunt intra nos, vel extra nos 8,21
Βορβορυγμὸς 173,4,8
Bruta plurima ſolo naturæ inſtinctu ſibi medentur 1,38

C.

CAlculi curatio 241,50
Calculum medicamentis minui vix veriſimile 243,14
Calendula ſuccus nihil præſtantius in principio peſtis 87 12,95,18
Calidis temporibus oriuntur morbi calidi a flaua bile & ſanguine 1,1,56
Caligo oculorum 160,6
Calor innatus multum a temperatura differt 21,16
Calor externarum partiũ quando reſtitui poſſit 149,25
Caltha, vide Calendula.
Carneades non prius ad diſputationem prodire ſolitus, quam prius ellebore caput purgaſſet 14,23
Catapocia, ſeu pilulæ Comitis 210,54
Cauſa quid 40,10
Cauſſæ apud medicos duæ, efficiens & conſeruans 41,12
Ceratum ex bryonia 211,19

Centaurion herba a Chirone Centauro inuenta 3,55. 5,59
Cerebri valde debilitati nota 152,24
Chamſenus rex, qui & Senius, Rheam vxorem habuit 2,56
China radix 207,42
Chiron Centaurus, magiſter Achillis, Saturni & Philyræ F. 3,54
Chironi Medicamentaria adſcribitur 4,53
Chirurgi & Phyſici olim iidem fuerunt 2,23
Chryſippus 4,31
Cydoniorum ſuccus 217,39
Cibus & potus non ſolum morbos generant, ſed & aer, aqua, exercitia, labores, animi affectiones 1,25
Cibus quomodo exhibendus in acceſſione particulari 45,15
Cibus tenuis exquiſitus, iuſculi carnium cum aliquanto pane 127,12
abſq; Cibo vltra dies ſeptem vitam protrahere nemo poteſt 46,39
Clinice Medicinæ altera pars 2,22
Clinici 2,17. *Phyſici nunc appellantur* ibid.
Cnidia ſchola 4,21
Cos Hippocrati ſacra plurima inſtituerunt 5,34
Colico dolore nullus maior in extremo 39,13
Color liuidus cur fiat 141,10
Color niger in facie ſæpe apparet, & in aliis corporis partibus 145,17
Concoctionis ſpecies tres 139,20
Cor auctor vitæ 166,38
Corporis temperamentum cõſequitur mores 8,25

D.

Decubitus laudabilis qui ſit 149,55
Decubitus ſupinus cur malus 149,55
Democritus 3,7.4,20,51
per Διάθεσιν quomodo actio aliqua fiat 36,27
Diateſſaron medicam. 201,12
Deus medicinæ ſcientia homines donauit 2,37
Diabetes curatio 186,27. 187,1. *& deinceps.*
Diaboli ſolertia & aſtutia 141,49
Διαίτη & Διαγνώσεως diſtinguuntur ſicut iudicium arbitrium 126,17
Διαιτητικὴ medicinæ pars 19,26
Diarrhœa cur in hydrope fiat 164,17
Diocles Caryſtius 4,30
Dioſculus quidam Aegyptius hominis cor primo pondus duarum drachmarum dicit habere; & ſingulis annis duas accedere ad pondus centum drachmarum 28,25
Diſsimilares partes quæ 30,8
Diſſolutio vnitatis 39,9
Dolor omnis fit aut ab intemperie vehementiore, aut continui ſolutione 245,58

E.

Elaphus Chryſæ F. medicus 4,29
Electuarii purgãtis deſcrip. in Podagra 210,61
Electuarium pro roboratione ventriculi 211,8
Elementum quid 21,56
ex Elementis qua ratione quæq; fiant 25,40
Empedocles 3,57
Emplaſtrum ex geranio contuſo & ſuilla pinguedine fractis oſſib. plurimum prodeſt 73,3
Ephemera febris 176,48
Epidaurus 4,9
Ἐπίδοσις 131,57
Epigennema quid 43,12
Epilepſia pueris proprius morbus 27,54
ad Epilepſiam remedia accommodata 184,58. 185,2
in Epilepticis ſpuma cum videatur 171,8
Errores odi debent, non homines 103,10
Eraſiſtratus 4,31
Excrementa aquoſa quid ſignificent 170,48
Excrementa quorumdam animalium cur boni ſint odoris 170,5
Experientia periculoſa ob ſubiecti dignitatẽ 123,39
Expoſitor & ἐξηγητὴς differunt 140,35

F.

Facies cur cerebri affectus indicare poſsit 143,51
in Facie cur morborum ſigna facile appareant 143,35
Facies Hippocratica 144,7
Facies puſtulis & ficoſis tumoribus deformata hepatis calidi indicium eſt 213,34
Facultates quot ſint 29,40
Febris tertiana a bile accenſa 177,46
Febris quotidiana a dulci pituita accenditur 177,43
Felle piſcis oculi Thobiæ patri curati 6,5
Fœtida in hyſtericis naribus admota cur iuuent, odorata noceant 227,5
Frigidis temporib frigidi morbi ab atra bile 131,56
Fructus horarũ podagricis obſunt 208,48
Fouea in facie quid ſignificent 144,54

G.

Galegæ ſuccus epotus materiam putreſcentem ad glandulas trudit 95,15
Galenus medicam artem perfeciſſe creditur 4,32
Gangræna 178,53
Gentius rex Illyriorum 5,58
Gorgias Leontinus 4,29
Græci medicinam, ſicut omnes alias artes maiori ſtudio expolierunt & illuſtrarunt 4,8
Gregorius Nyſſenus 10,56
Guaiaci decoctum vtile ad euacuãdos frigidos humores per totum corpus collectos 207,32

H.

Hectica febris triplicem differentiam habet 176,53
apud Hebræos iidem fuerunt Theologi, politici & iuriſprudentes 13,9
Hepar bifariam affici poteſt 163,45
Hepar dolorem ſentit quãdo diſtendatur membrana cui inuolutum eſt 165,5

Hepar

250

Hepar calidius factum omnẽ humiditatem celeriter ad renes depellit 186,48
in Hepate ſi ſit hydrops eſt incurabilis 163,51
Hepatis calidi curatio quomodo inſtituẽda 213,41,56.58.& 214,3,15,20
Heraclides medicus 4,28
Herba pro luxatio 194,37
Hermodactylis non temere vtendum in podagra 209,35
Herodicus Selybrianus Medicus 3,57.4,29
Herophilus 4,21
Hippocrates primus medicinam a ſtudio ſapientiæ ſeiunxit 3,58. ex quibus ſcriptis opera ſua compoſuerit 4,14. ad finem artis medicæ ſe non perueniſſe teſtatur 4,25. quos medicos audierit 4,28. quando floruerit 4,30.123,10. doctrinã de pulſib. aut neglexit aut neſciuit 4,36
Hippocrati honores Herculis tributi 5,36. eidẽ ſtatua aurea poſita 37
Hippocrates Perſarum regis preces ſpernit 5,38
Hippocratis filij Podalirius & Machaon 123,6
ex Hirundinibus aqua ad quid vtilis 185,53
Homerus medicinæ ſtudioſus 3,56
Humores quatuor 30,16. quãdo abſumãtur 144,25
Hydrops 163,38
Hydrops ſi ſit in hepate eſt incurabilis 163,51
Hydropis ſigna per cõſenſum inanium partium 164,8
Hypochyma quid ſit 153,10
Hypochondriorum conſideratio vtilis 157,30
Hypochondria quæ contineant 157,40
Hypoſtaſis in vrina nulla appareat ſi tenuiter vrinatur; copioſa vero ſi largius; exigua vero ſi mediocriter 173,52

I.

IAchenus medicus apud Aegyptios, docuit accenſis ignibus depellere peſtem 2,53. cur pro Deo cultus apud Aegyptios 2,58
Iacob patriarcha mortuus quando 2,13
Iacobus Carpenſis cum ex aliorum morborum curatione, tum præcipue morbi Gallici moriens reliquit ſupra 40000 coronatorum 6,32
Ἰητρὸς, φιλόσοφος, ἰσόθεος 14,26
Impetigines curata illitione humoris qui in putaminibus ouorum colligitur, poſt ſubſtantiæ oui ablationem 215,3
Inediam cur quidam ferre nequeant 145,36
Infinitorum nulla ſcientia 35,50
Ingenioſi cur melancholici 8,15
Inſanabilib. morbis cur adhibeãtur remedia 140,30
Ioannes Meſue 5,60
Ioſeph corpus Iacobi patris Medicis condire præcipit 2,12
Iſis multorum remediorum inuentrix 2,16. eius epitaphium columnæ inſcriptum ibid. 18
Iulepi confectio 210,29
Iura mortalitatis euentus non patiuntur medicis imputari 11,19

K.

Καιρὸς quid 124,8
Καῦσος 177,38
Κοιλία 142,56
Κρίσις quid 124,26

L.

LAbrum ſuſpenſum 149,7
Lapathi ſuccus ad rubedinem faciei tollẽdam 214,24
Lapis ſabuloſus, qui in Palatinatu reperitur, in fracturis & rupturis multum poteſt 72,53. ex vapore ſulphureo gigni videtur 73,10
Legem qui fixit, idem refigere quoq; poteſt 13,17
Λειποθυμία 187,47
Lepra 180,15
Λῆμη quid 147,51
Lienis inflammatio circa morbum acutum 159,3
Linimentum ex albuminibus ouorum pro calido hepate 214,54
Liquidorum propriè eſt miſtio 17,10
Lithotomi 2,27
Liuor in morbis acutis quid ſignificet 166,26
Ludouicus rex Galliæ medicum ſuum in ſingulos menſes ſtipendio 1000 coronatorum conduxit 6,28
Lyſimachus 3,59

M.

MAchaon Aeſculapij F. 3,51
Manlius Cornutus pro mentagra curatione 20000 ſeſtertium, hoc eſt, 7272 Ioachimicos vnciales 6,19
Max. Tyrii carmen 8,7
Mechoaca radix egregie aquas vacuat 239,28
Meconium 186,23. pro opio poterit ſubſtitui 24
Medicina inter omnes artes liberales de præſtantia & dignitate certare poteſt 1,4. Phyſica germana ſoror 7,48. quid præſtet 8,51,55. verſatur circa materiam viuentem & agentem 11,24. vtrum ſcientia ſit an ars 16,8. vtrum rectè diuidatur in Theoreticam & Practicam 16,20
Medicinæ partes quot ſint 18,9,10.19,18
Medicinæ definitiones 15,23. eius opus eſt ſanitas 16,42.21,36
an Medicina methodus breui tempore poſſit addiſci 15,4
Medicinæ tres partes 140,17
Medicæ artis origo eadem quæ hominum 1,16
Medicinam & medicos a Deo manaſſe teſtatur Eccleſiaſtes 4,44
Medicinam qui coluerint 5,18
Medicinam eſſe artẽ effectiuam probatur 17,26
Medicarum prædictionũ fundamentũ 141,56
in Medicina nullum præceptum iam verũ, iam falſum, ſed ſempiterna eſt omnium eorum veritas 12,21
Medicus & medicamenta a Deo creata 2,36
Medicus quæ conſiderare debeat 7,9
Medicus peritus vere vocari poteſt Alexicacos 10,49. miniſter naturæ 11,24. quid propriè ſit 17,18

Mediciſcõducti 900 othaleris Ioachimicis 6,14
Medici nec immortalitatem præſtare poſſunt, nec omniũ morborũ curationẽ pollicentur 11,15
Medici quando præſagiant 141,39
Medici cur nõ ſemper ægrotos ſanent 142,20
Medici Chriſtiani officium 143,2
Medicos in Dei populo exſtitiſſe probatur 2,10
Melancholiæ hypochondriacæ cauſſa 219,26
Melancholici flatus generationis cauſſa eſt, tum hepatis caliditas, tum venarum in meſenterio atq; lienè obiuberatio 228,52
Mercurius inuẽtor medicus a nonnullis ſcribitur 3,15
Mercurius Triſmegiſtus paulo poſt Moſen, Ioſuæ ſ. temporibus claruit 3,48
Methodi omnes habent finem ſcire, agere, facere 16,25
Miſtio quid ſit 23,37,41. quarum rerum ſit 24,45
Miſtionis modi 25,23
Mithridatis antidotus 5,57
Morbus quid ſit 31,6
Morbus acutus qui breui a ſua tẽpora habet 127,14
Morbus peracutus qui tantum ad ſeptimum diem extenditur 127,18
Morbi quidam immedicabiles, ut facta elephantiaſis, confirmata podagra, cancroſa vlcera, cordis vulnera 11,35
Morbi cur aliquando augeantur 142,23
Morbi principium apud medicos 146,3
Morbi curabiles in certis incurabiles fiũt 14.,26
Morbi omnes breues oriuntur ab humore calido tenui, langi a frigido & craſſo 131,54
Morbi omnes in venis & arteriis oriuntur ob vitium corruptorum humorum 173,24
Morbos quæ generent 1,25,26
Morborum non eſt omnium vna conditio 11,33
Morbis extremis extrema conueniunt remedia 90,5
Morbifica cauſſa non ſemper tota per vniuerſalem ſudorem vacuatur 156,22

N.

NAſturtium podagricis multum obeſt 208,48
Naſus cur fiat acutus 144,18
Natura quid ſit 20,29.174,29
Natura ſecundum medicos quid ſit 20,57
Natura curat morbos 11,24
Nigredo a contrariis cauſsis fieri poteſt 147,48
Notitia omnes ſunt vel contemplatiua, actiua, effectiua 17,50
Nux moſcata condita 185,47
Nucum aqua ex corticis viridibus diſtillata 95,28

O.

OCulus ſex habet muſculos a quibus mouetur; & adhuc eſt ſeptimus, qui facit vt oculum fixum habere poſsimus 47,30
Oculus alter minor factus quid ſignificet 147,35
Oculi concaui quid ſignificent 144,40
Oculi cur fiant minores 147,35
Oculi obſcuri cur fiant 148,17
Oculi ſemiclauſi quid ſignificent 148,50
Oculorum peruerſio vnde fiat 147,18
Odorata an calida 53,15
Oedema quid 160,27
Olera multum excremẽtorum in ſe habent 168,37
Oleum chamæmelinũ atrophia muſculorum prodeſt 199,54
Oleum maſtichinum & abſinthii 209,57
Oleum ſcorpionum ad calculi dolores plurimum valet 242,46
Opio vix aliquid Turcis familiarius 65,49
Ore hiante cur dormiamus ſæpe 151,2
Orus Oſiridis atq; Iſidis filius 3,20. inuentor medicinæ a nonnullis putatur ibid.21
Oſiris, poſt rex Magnus vocatus 2,57
Oſirides duo Aegyptiorum reges quando regnarunt 3,10
Oſiris Aegyptiorum lingua antiqua multos oculos habẽtẽ, perſpicacẽ & oculatũ ſignificat 3,8
Oſiris Saturni & Cybeles filius, cuius ſoror Iſis 3,12

P.

PAracelſus eiuſq; diſcipuli partim impie, partim impudenter vera medicinæ inuentionẽ ſibi arrogant 4,54
Paracelſus eiuſq; diſcipuli negant quatuor ſimplicia corpora, ignem, aerem, aquam, terrã naturalium miſtorum elementa exiſtere; ſed calũ & terram, quæq; his continentur vniuerſa, ex Mercurio (ſic argẽtum viuum vocant) ſulphure & ſale primo miſta cõcretaq; eſſe, inq; hæc iterum diſſolui 3,2,3
Pergamum 4,9
Peripneumonici omnes ſunt orthopnoici 151,57
Peſti remedia aduerſantur q̃ venenis reſiſtũt 99,31
aduerſus Peſtem acetum deſtillatum cum ſempervivo, ſolano, verbena, nucibus immaturis, remedium præſtantiſsimum 87,39
Petrus Aponus ſtipẽdio in ſingulos dies quinquaginta coronatorum conductus 6,26
Phantaſia munus quid 153,22
φαρμακευτικὴ medicinæ pars 19,29
Pharmacary 2,27
Pharmacorum compoſitiones auaritiæ cõmentum 12,5
Pharmaca leniter purgantia 186,5
Philoſophi & Medici ante tempora Hippocratis iidem 5,49
Philotheus optimus aphoriſmorũ interpres 123,17
φυσιολογικὴ 19,18. eius partes 20,13
Pilula Comitis 209,24
Pilula purgatoria 194,27
Pira cocta, auſtera præſertim in fine menſæ podagricis concedi poſſunt 208,50
Plato ſtatuit LXXXI. annum eſſe hominis ætatem 132,39
Podagræ origo 235,14. eius curatio 202,4.207,5. 235,13
Podagra Veneris & Bacchi filia 237,31. & cur veteres ita finxerint 208,54

Podagra

Podagra tenui victus ratione, vini abſtinētia, ſudoribus multis, vrinarum prouocatione, ſanguinis larga miſsione, &c. 230,43
Podagram curandi methodus generalis 230,19 *& deinceps.*
Podagrici plerumq; viuaces cur 235,41
Podagricis quæ obſint 208,47. 237,26. *quæ proſint* 208,47
Podalirius Aeſculapij F. 3,51
Praxagoras 4,31,51
Præuiſio futurorum ad curationem vtilis 143,28
Principia rerum contraria 22,16
Prodicus medicus 4,20
προηγουμένη cauſſa, i. antecedens 41,35
προκαταρκτικὴ cauſſa, præincipiens 41,34
προσποιοῦντες ἐκρεῖδης 144.8
Ptolomæus propter ſeruatum patrem Eraſiſtratũ centum talentis donauit, h.e. 51000 aureorum Vngaricorum 6,22
Pudendum binos habet muſculos 167,12
πτύαλον 13,16
πτύσμα aquoſa & tenuis exſpuitio 132,15
Puerisia quaſi pura Varroni dicitur 132,54
Pueri circa ſeptimum annum dentire incipiunt 28,35
Pulſatio in hypochondriis quid indicet 158,8
Puluis D. Wirſungi ex chamædry, chamæpity, cētaureo minore compoſitus 189,27
Puluis ex cornu cerui vſto, & ex oſsib. boum aut ceruorum vſtis, & ex citris & dactylorum nucleis, mandibulis lucij piſcis, ſingulorum partes æquales, corallorũ vſtorum, aut eboris vſti pars dimidia vel tertia, prodeſt multum podagricis 209,46
Pulueris Iouis deſcriptio 204,23
Pulueris pro ſuffumigio & inſperſione capitis 194,55
in Purgatione quatuor conſideranda 46,20
Pus qualis humor 161,2
Puris optimi nota quatuor 162,11
Putreſcentia quædam cur non albeſcant 162,49
Pyrrhonij ſoli medicæ arti pepercerunt 6,38
Pythagoras 3,78

R.

RAphanus multum podagricis obeſt 208,48
Remedia hieroglyphicis ſignis ante inuentas literas notata 4,12
Reſpirationis vſus 153,48
Rhea 2,56
Roſacea aqua mirifice cor reficit 99,39

S.

SAbuloſus lapis, vide Lapis ſabuloſus.
Salſa parilia 207,44
Sanguis ſi mittatur ſano, aiũt viſu debilitari 46,12
Sanguis ſolus nutrit 30,19
Sanguinis fluxus per nares quõ præuideri poſsit 160,2
Sanitatis opifices & conſeruatores tres; natura, medicus, iuriſconſultus 13,54
de Saporib. diſputatio 48,10. *vſq; ad paginam* 73
Schirrus qui generetur 159,36
Scientiæ habent finem propoſitum, ſcire 16,10
Scholæ medicæ tres; Cnidia, Italica, Coa 4,21
σημειωτικὴ pars medicinæ, quæ ſigna explicat, quæ morbum præſentem oſtendunt, & futurum indicant 19,23
Semiramis annis 800 ante bellum Troianum vixit 3,43
Senuus rex 2,54. *cum Rhea coniuge quando regnauerit* 3,2
Serapis 3,12
Serpentariæ ſuccus 95,32
Septenarius numerus maximã habet vim immutandi corporis iuxta Mathematicos 28,15
Signum quid ſit 139,55
Signum duplex 139,56
Similares partes ſunt, quæ poſſunt diuidi in partes ſimiles ſpecie, vt adeps, pinguedo, arteria 30,8
Sinapi podagricis multum obeſt 208,48
Sirupus ex ſucco conſolidæ maioris radice ad diabetem prodeſt 187,12
Sirupus ex omphaceo 206,30
Sirupus ex florib. prunorum ſilueſtrium 76,11. 206.36
Solani ſucci maioris vſus 214,30
Solon ætatem hominis ſeptuaginta annorum ſtatuit 132,37
Somnus quid efficiat 174,43
Soranus Hippocr. vitam deſcripſit 5,34
Sphærulus 187,54
Spiratio magna & erebra quando fiat 154,36
Spirationis tres præcipue differentiæ 154,6
Spiritus frigidus in acutis quid ſignificet 154,55
Stipendia medicis in ſingulos annos data 6,14
Stridor dentium quid ſit 152,12
Strobili podagricis proſunt 208,52
Sudor qui fiat 155,56
Sudor cur aliquando cruentus 156,11
Sudor frigidus quid ſignificet 156,45
Sudor circa caput quid indicet 157,5
Sudores in crudis morbis nec prodeſſe, nec boni ſigni rationem habere 97,35
Sulfuris ſuffitu quædam albeſcere ſolent 70,57
Suppuratio peſsima 161,57
συνεκτικὴ cauſſa, i. continens 41,35
Symptoma duo ſignificat 43,3

T.

TEmperamentum 25,54. *quomodo diuidēdum* 26,10
Temperamenta totius corporis 27,12
θεραπευτικὴ medicinæ pars 19,25
θερμὸς ἔμφυτος quid ſit 134,14
Tetrapharmacum 201,51
Teſtes conuelluntur ob muſculos cremaſteres, qui ſunt vaſis ſpermaticis inuoluti 167,12
Teſtium muſculi non habent oppoſitos 167,15
Themiſon methodicæ ſectæ primus auctor 141,4
Theriaca tutos reddit ab aeris noxa 100,57
Theriacæ vis 199,47

Theriacam Romani in peſte Romæ ſæuiente vſurparunt 99,50
Theriaca frigidioribus tantum prodeſt 2c 3,2
Theſſali Hippocratem ſummo honore affecerunt 5,35
Tormentillæ ſuccus ad quid proſit 95,32
Trochiſci de ſcylla 186,15
Troianum bellum circa ætatem Abrahami, annis ferme 400. ante natum Moſen 3,38
Tumorum duo genera poſſunt eſſe in acutis morbis 160,23
Turcæ in militiam profecturi opio vtũtur vt alacriores fiant 65,53
Tympanites nothus hydrops 163,32

V.

V*Apor aqua attenuata a calore* 77,52
Vaporibus omnia foſsilium genera, ſuccoſque, & lapides concreſcere docet Ariſtoteles 71,29
Vaticinium apud veteres 141,44
Vena quibus inciſa in peſte multo plures obijſſe quã quibus non 89,31
Vena an in peſte ſecanda 88,39.89,10
Veneni hauſti & peſtis non eadem eſt ratio 9,97
Ventriculo amara omnia inimica 205,12
Ventriculo ſicco inimiciſsima eſt aloe 206,4
Venus immoderata, & largior vini potus multum podagricis obſunt 208,58
Vermes nõ e ligno generari. ſed ex humore 139,20
Veronicæ herbæ ſuccus 95,29
Vermes omnes e putredine generantur 170,15
Vinum abſinthites 217,20
Vini factitij præparatio 186,8
Vini paſſulati præparatio 217,32
Vini abſtinentia illis podagricis ſolum profuit, quibus calidi & bilioſi humores in pedib. dolores concitarunt 230,50
Viola nymphæa vitiumq; flores cur ex ſubſtantia humida, frigida, craſſa, lenta iucundum ſpirent odorem 54,6
Viperarum paſtilli 186,18
Vmbricius aruſpex peritiſſ. 53,52
Vnguentum pro hepate 214,40
Vita non eſt vita, ſed ſanitas, ſiue recte valere vita eſt 8,9
Vitæ nomen quot ſignificationes contineat 123,32
Virtus quid 8,34
Vrina iudicium eſt affectuum qui in vaſis continentur 173,25
Vrinæ & ſudoris materia 155,31
Vrina differt a ſudore loco 173,31
ex Vrina quid iudicare poſſimus 173,39
Zoroaſter Magus apud Bactrianos quo tempore vixerit 3,29
Χειρουργικὴ *medicinæ pars* 19,31
Υγιεινὴ *pars medicinæ qua corpus, quatenus ſanũ conſiderat* 19,23

F I N I S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

[illegible]

AURO DEL LIB
CAPOLA